

Series II. Sectio I. - «ANALECTA OSBM» - Vol. I
Серія II. Секція I. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Том I

MELETIUS M. WOJNAR OSBM

DE REGIMINE
BASILIANORUM RUTHENORUM

A
METROPOLITA JOSEPHO VELAMIN RUTSKYJ
INSTAURATORUM

VOL. I

Ed. 2.

ROMAE 1949

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI, 3



ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Sectio I:

OPERA

Vol. I.

M. M. WOJNAR OSBM

DE REGIMINE BASILIANORUM RUTHENORUM
A
METROPOLITA JOSEPHO VELAMIN RUTSKYJ
INSTAURATORUM

VOL. I.

ROMAE

Series II, Sectio I. - «ANALECTA OSBM» - Vol. I
Серія II, Секція I. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Том I

MELETIUS M. WOJNAR OSBM

DE REGIMINE
BASILIANORUM RUTHENORUM

A

METROPOLITA JOSEPHO VELAMIN RUTSKYJ

INSTAURATORUM

VOL. I

Ed. 2.

ROMAE 1949

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI, 3

VIDIMUS ET APPROBAMUS

Romae, ex Pont. Univ. Gregoriana, die 22-VII-1947.

P. AEMILIUS HERMAN S. J.
P. ANTONIUS WUYTS S. J.

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani St. Josaphat, die 18-I-1949.

P. HLIB GR. KINACH OSBM
Vicarius Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 26-I-1949.

✠ ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep.us Caesarien., Vicesgerens



JOSEPHUS VELAMIN RUTSKYJ
METROPOLITA KIOVIEN HALICIEN TOTIUSQUE RUSSIAE
1573-1613-1637

« ECCLESIAE COLUMNAE »
« UNIONIS ATLANTI »
« ATHANASIO RUSSIAE »

JOSEPHO VELAMIN RUTSKYJ

METROPOLITAE

ORDINIS BASILIANI RUTHENI INSTAURATORI

IN

HONOREM, GRATITUDINEM ET SPEM

SUPREMAE EIUS IN TERRIS EXALTATIONIS

HASCE PRIMITIAS

DEDICAT

EIUSDEM ORDINIS
FILIUS

INDEX

<i>Praefatio</i>	<i>pag.</i> IX
<i>Fontes et Bibliographia</i>	XIV
<i>Abbreviationes</i>	XIX

INTRODUCTIO

CAPUT I.

De regimine monachorum secundum Regulam S. Basilii Magni

ART. I. De authenticitate « Asceticorum » S. Basilii Magni	3
ART. II. De forma regiminis monachorum secundum Regulam S. Basilii Magni	6
A) De regimine externo seu Episcopo	8
B) De regimine monachorum interno	10
§ 1. De Superiorum conventu	12
§ 2. De Superiore locali	13
§ 3. De Senioribus	23
§ 4. De ceteris officialibus	26

CAPUT II.

De indole regiminis monachorum Ruthenorum ante annum 1617

ART. I. De regimine monachorum externo	29
§ 1. De potestate Episcopi	29
§ 2. De potestate Patriarchae	36
<i>Appendix. De potestate Metropolitae</i>	38
§ 3. De potestate fundatorum	39
ART. II. De regimine monachorum interno	45
§ 1. De monasteriorum autonomia	45
§ 2. De monasteriorum Superioribus	47

PARS PRIMA

De generali regiminis Basilianorum Ruthenorum saeculis 17 et 18 characterere

CAPUT I.

De regiminis evolutione

PERIODUS PRIMA: 1617-1743.

§ 1. <i>Phasis prima</i> 1617-1624. Forma Basilianorum regiminis in effor- matione Congregationis SS. Trinitatis	62
§ 2. <i>Phasis secunda</i> 1624-1686. Forma Basilianorum regiminis post decretum SCPF a. 1624	65

	<i>pag.</i>
§ 3. <i>Phasis tertia</i> 1686-1720. Forma Basilianorum regiminis post capitulum Novogrodense 1686	69
<i>Appendix</i> . De conventiculo Unioviensi 1711	74
§ 4. <i>Phasis quarta</i> 1720-1743. Decreta synodi Zamostianae 1720 regimen monachorum Ruthen. respicientia	76

PERIODUS SECUNDA: 1743-1795.

§ 1. <i>Phasis prima</i> 1743-1756. Forma Bas. regiminis in unione duarum Congregationum in cap. Dubnensi 1743	81
§ 2. <i>Phasis secunda</i> 1756-1780. Forma Bas. regiminis post secundam decretalem PP. Benedicti XIV a. 1756 editam	90
§ 3. <i>Phasis tertia</i> 1780-1795. Forma Bas. regiminis post divisionem Ordinis in 4 provincias a. 1780	99

Appendix. PERIODUS TERTIA: 1795-1882.

§ 1. Forma Basilianorum regiminis in imperio Russo	110
§ 2. Forma Basilianorum regiminis in imperio Austriaco	117

CAPUT II.

De regimints e duplcti disciplina compositione

CAPUT III.

De regimints centralisatione

CAPUT IV.

De regimints exemptione

ART. I. De relatione iuridica Metropolitam inter et Ordinem Basilianum	148
A) <i>QUAESTIO PRIMA</i> . Utrum Metropolita in Protoarchimandritam eligi potuerit	148
B) <i>QUAESTIO SECUNDA</i> . De Metropolitae, qua Metropolitae in Ordinem Basilianum potestate	154
PRIMA PERIODO 1617-1743	155
§ 1. <i>Phasi prima</i> 1617-1624	155
§ 2. <i>Phasi secunda</i> 1624-1720.	156
a) Primum stadium praxeos 1617-1686	164
b) Secundum stadium praxeos 1686-1720	169
§ 3. <i>Phasi tertia</i> 1720-1743	179
SECUNDA PERIODO 1743-1795	186
ART. II. De relatione iuridica Episcopos inter et Ordinem Basilianum	195
<i>Conclusio de exemptione</i>	198

APPENDIX

I. Epistola Metrop. Rutskyj de reformatione Basilianorum	201
II. Regulae Communes S. P. N. Basilij Magni	203

PREFATIO

Ordo Basilianus in Ecclesia Ruthena¹ cum Sede Apostolica Romana inde a saeculo XVI unita suam in illa huiusmodi exercuit activitatem, ut auctores omne genus sive ecclesiastici sive laici, sive catholici sive schismatici, Basilianis sive benevoli sive minus, in hoc generali convenient concordisque sint asserto proclamando Unionem Ecclesiae Ruthenae praedictam per saecula subsequenter conservatam propagatamque fuisse Basilianorum opera.

At non tantum per suam activitatem pastorem, missionariam, editorialem unicus ille per tria saecula in Ecclesia Ruthena monasticus Ordo vitae ecclesiasticae praedictae Ecclesiae constituit «essentiam» (cfr. N. Petrov - Ocerk istoriji basiljanskoho Ordena v byvsej Polsce - in Trudy Kievskoj Duchovnoj Akademji, 1870, t. II, p. 428) verum etiam in sua figura iuridica Ordo ille in iure Ecclesiae Ruthenae - quae sicut et ceterae Ecclesiae orientales sub respectu iuridico in eadem invenitur conditione ac Ecclesia latina proprio scilicet gaudens iure sive communi sive particulari (cfr. Coussa A. - Epitome praelectionum de iure ecclesiastico orientali - t. I, p. 4) - momentum habuit speciale non tantum uti ius religiosorum praedictae Ecclesiae per trecentos annos fere exclusive per se ipsum repraesentans, sed etiam propter suas peculiare relationes ad cetera iuris administrativi Ecclesiae Ruthenae Instituta iuridica, puta praesertim Eiusdem Hierarchiam.

Tractatus inde de figura iuridica Ordinis Basiliani saeculis XVII et XVIII idem valet ac tractatus de Ecclesiae Ruthenae iure religiosorum, quod Illius in iure generali partem vix non principalem constituit. Sed sicut ius Ecclesiae Ruthenae in genere, ita etiam Basilianorum in specie illis saeculis vigens hucusque nondum est elaboratum. Nam praeter editionem fontium iuris canonici Ecclesiae Ruthenae in genere (uti e. g. labor a S. Congregatione pro Ecclesia Orientali in

¹ Ex proposito utitur hic et in universo opere terminus «Ruthenus», prout talis qui in documentis periodi, de qua agitur, constanter in usu erat. Qui terminus secundum hodiernam denominationem terras ac populos Ucrainae et Albae Russiae designat. Cf. D. DOROSHENKO, Der Name «Rus», «Russland» und «Ukraine» in ihrer historischen und gegenwärtigen Bedeutung (Berlin 1931). — Mich. TYSZKIEWICZ le C.te, Documents historiques sur L'Ukraine, p. 58. Les termes «Russie». «Petite-Russie» et «Ukraine» (Lausanne 1919) — E. ONATSKY, La Terminologia Etnica nell'Europa Orientale (Rus-Ucraina) in «Annali del R. Istituto Super. Orient. di Napoli», vol. IX, dicembre (1938).

ordine ad Codificationem canonicam orientalem susceptus) et fontium iuris Ordinis Basiliani Rutheni in specie (uti antea, praesertim Unione in imperio Russo abolita, ab ipsis fratribus separatis) peractam, opera, quae ius Ecclesiae Ruthenae unitae ordine systematico exponerent, exceptis quibusdam eiusdem partibus, uti ius matrimoniale, hucusque nondum apparuerunt. (Novissime tantum, quod Ordinem Basilianum spectat, praecipue eius ad Metropolitanam relationem, opus publicatum est mei in labore comitis Dr. D. Blazejowskyj - *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in clerum regularem* - Romae 1943).

Scopus huius dissertationis est exponere Basilianorum Ruthenorum regimen seu eius instituta iuridica in eorundem evolutione per duo saecula XVII et XVIII, a momento scilicet, quo monachus Ecclesiae Ruthenae unitae ex sua forma primitiva orientali transformari coepit in unam Congregationem seu Ordinem religiosum adinstar Ordinum religiosorum Ecclesiae Latinae inde ab anno 1617 sub tertio Metropolitano Rutheno unito, Josepho Velamin Rutskyj, eiusdem transformationis praecipuo Auctore et inde Ordinis Instauratore - usque ad finem saeculi XVIII seu ad Ordinis Basiliani Rutheni ab imperiis Russo et Austriaco, quibus tunc ille, regno Poloniae diviso, extendebatur, in sua organisatione constitutionali fundamentalem trasmutationem.

Eligitur ergo periodus in evolutione iuridica Ordinis Basiliani Rutheni seu eius regiminis, quae primo aspectu videtur esse e medio eius historiae erepta, revera tamen illa pro se ipsa constituit unum totum cum speciali suo caractere, quo distinguitur tum ab organisatione monastica Ecclesiae Ruthenae tempore eam praecedenti, tum consequenti.

Nam usque ad saeculum XVII disciplina monastica Ecclesiae Ruthenae communis erat cum generali disciplina monastica totius Ecclesiae orientalis. Monachus enim Ruthenus originem suam duxit e Byzantio, unde ad Ecclesiam Ruthenam venit fere contemporanee cum erectione ipsius Ecclesiae Ruthenae seu cum momento, quo principatus Kioviensis sub principe S. Volodymyro c. a. 988 cum solemnibus baptismate fide catholica « illuminatus est ». Forma autem primitiva monachus Rutheni erat eremitica (S. Antonius Pecerskiensis seu Speluncator a speluncis prope Kioviam + 1073), quam tamen brevi forma coenobitica substituit, introducta ab Antonii discipulo S. Theodosio Pecerskiensi (+ 1074), recepto nempe typico S. Theodori Studitae (+ 826) eoque ad exigentias territoriales accomodato, unde etiam speciale typicon S. Theodosii Pecerskiensis ortum habuit, quod fundamentum devenit totius disciplinae monasticae in Ecclesia Ruthena usque ad saeculum XVII. Nam « Laura Pecerskiensis » - « mater monasteriorum » exemplum erat et fons culturae monasticae pro ceteris Ecclesiae Ruthenae monasteriis, quae celeri progressu maximam sui evolutionem in Ecclesia Ruthena obtinuerunt periodo praemongolica (XI et XII) tam quoad numerum, quam disciplinae monasticae observationem, quam denique culturae universalis tramite scholarum dispersionem.

A saeculo vero XVII seu post unionem Ecclesiae Ruthenae cum Sede Apostolica anno 1595/6 peractam monachus unius partis eiusdem Ecclesiae inde ab anno 1617 sub tertio Metropolitano unito Josepho

Velamin Rutskyj transformari coepit e sua forma primitiva orientali, in qua unumquodque monasterium erat sibi independens, in unam Congregationem seu Ordinem religiosum adinstar Ordinum religiosorum Ecclesiae Latinae cum uno capite Protoarchimandrita seu Superiore Generali, influxum subeundo praesertim constitutionum Societatis Jesu. Huiusmodi tamen transformatio incoepta a monasteriis solius dioecesis seu dioecesium dicti Metropolitanae praesertim a principali monasterio Vilnensi SS. Trinitatis, unde et Congregatio nomen assumpsit « SS. Trinitatis Unitorum » paulatim progrediebatur ad cetera monasteria Ecclesiae Ruthenae unitae, quae Congregationi illi incorporabantur, ita, ut totalis coagmentatio omnium monasteriorum praedictae Ecclesiae in una Congregatione effectuada sit nonnisi medio saeculo XVIII. Nam, cum c. a. 1700 ultimae duae dioeceses Ecclesiae Ruthenae in regno Poloniae Leopolitana scilicet et Peremysliensis item ad unionem cum Sede Apostolica accesserint, tunc synodus provincialis Ruthenorum Zamostiana a. 1720 celebrata constituit, ut etiam earundem dioecesium monasteria similem constituent Congregationem ac illa supra nominata, quae vulgo vocabatur Lithuana. Revera anno 1739 constitutio synodalis ad effectum deducta est et nova Congregatio dicta « Ruthena vel Polona » cum proprio Protoarchimandrita seu Superiore Generali erecta est. At Benedictus PP. XIV eam approbare noluit, sed, ut cum illa Lituana unum « Ordinem Basilianum Ruthenorum » constitueret, praecepit idemque anno 1743 in capitulo generali Dubnensi obtinuit.

Post huiusmodi duarum Congregationum unionem Ordo Basilianus in Ecclesia Ruthena culmen suae evolutionis attinxit suamque activitatem in eadem Ecclesia in omni campo maxime dilatavit. Huic tamen evolutioni activitatisque eius expansioni finem posuit temporum nequitia. Nam post tertiam et ultimam Poloniae divisionem anno 1795 tres provinciae eiusdem Ordinis imperio Russo adnexae sunt ibique simul cum abolitione Unionis anno 1839 etiam illae existentiam suam perdidit. Una vero provincia Galiciensis in imperio Austriaco item vix conservari potuit, cuius disciplina paulatim dissolvebatur.

Novum impulsus in vita religiosa eiusdem provinciae, quae sola totum Ordinem Basilianum in Ecclesia Ruthena unita repraesentabat, indidit PP. Leo XIII sua bulla « Singulare praesidium » anno 1882 edita illius reformationem tum constitutionalem tum disciplinarem introducendo.

E provincia Galiciae praedicta Basilianorum reformatio inde ab anno 1922 extendi coepit ad monasteria Subcarpatiae et Rumeniae, quae tunc prima vice Congregationem Basilianam ingrediuntur.

Novissime Basiliani reformati e dictis provinciis terram novam immigrati etiam illic novas provincias (provinciam Americano-Canadaensem erectam anno 1932 et provinciam Brasilianam erectam anno 1948) condere nacti sunt.

Obiectum proprium huius dissertationis est regimen Basilianorum Ruthenorum in sua evolutione constitutionali spectatum inde ab initio transformationis monachatus Rutheni primitivi anno 1617 incoeptae usque ad divisionem Poloniae anno 1795.

Ad rectam autem eius expositionem in dissertatione praesenti ordine sequenti proceditur, quod tota dissertatio dividitur in Introductionem et duas Partes.

Introductio pro scopo habet ostendere normas generales regiminis monachatus Rutheni ante praedictam eiusdem transformationem saeculo XVII incoeptam. Quem ad scopum exponitur: 1) imprimis regimen monachorum in Regula S. Basilii M. tamquam in fundamento totius disciplinae monasticae orientalis coenobiticae; 2) dein regimen monachorum Ruthenorum in statu, qui post saeculorum evolutionem disciplinae monasticae orientalis usque ad saeculum XVII in Ecclesia Ruthena adeptus est. Hoc vero eo praecipue fine, ut transformatio illa, in quoniam consisteret, per oppositionem melius videatur.

In corpore vero dissertationis Parte prima character Basilianorum regiminis generalis in dicta transformatione describitur, tres eius praecipuas proprietates internas ostendendo - quibus illud tam a regimine monachorum Ruthenorum pristino differt, quam cum regimine religionum Ecclesiae Latinae partim concordat, partim differt.

Hisce tribus proprietatibus internis, quae sunt: a) disciplinae in eodem regimine tum orientalis tum Latinae compositio, b) eiusdem centralisatio et c) exemptio, in eadem Parte prima praemittitur etiam delineatio notae eiusdem regiminis externae, quae consistit in saeculari eiusdem regiminis evolutione. Non semper enim structura constitutionalis praedicti regiminis per illa duo saecula identica conservabatur, sed paulatim evolvebatur per semper maiorem disciplinae Latinae applicationem, conservando tamen quaedam saltem vestigia disciplinae antiquae orientalis.

Pars secunda dissertationis triplici constat sectione agitque de singulis regiminis Basilianorum institutis in eorum plena figura iuridica in tota eius evolutione concepta expositaque. Sectio prima huius Partis agit de regimine generali seu Capitulo generali et Curia generali (Protoarchimandrita, Consultoribus et Secretariis generalibus ac Procuratore in Urbe); sectio vero secunda de regimine provinciali seu Capitulo provinciali et Curia provinciali (Provinciali, Consultoribus et Secretario provincialibus); sectio denique tertia de regimine locali seu Archimandritis (et Archimandritarum Coadiutoribus) et Hegumenis.

Expositio huiusmodi institutorum intantum plena habetur, in quantum figuram eorundem iuridicam repristinandam permittunt documenta praesertim archivalia, quibus praecipue fundatur praesens dissertatio.

Fontes enim dissertationis «cognoscendi» sunt duplicis praesertim speciei: a) constitutiones capitulorum generalium Ordinis Basiliani et b) decreta S. Sedis; documenta scilicet, quae maiori ex parte nunc in archivis S. Sedis inventiuntur. Id autem proprium erat Basilianorum Ordini, quod constitutiones eiusdem per duo illa saecula in continua erant praeparatione et inde evolutione causata et effectuada praeprimis unico organo in Ordine legislativo seu capitulo generali, cuius legislationem S. Sedes suis complebat decretis. Dum in aliis Ordinibus Ecclesiae Latinae constitutiones Ordinis ab ipso Fundatore componi et a S. Sede approbari solerent, in Ordine Basiliano Rutheno illa

legislationis provincia commissa erat ipsis monachis in capitulis generalibus congregatis, qui sibi constitutiones huiusmodi componerent et a S. Sede approbationem earundem efflagitarent. At per duo saecula aetatis illius Ordo Basilianus Ruthenus constitutiones huiusmodi praeparabat, sed definitivam earundem approbationem a S. Sede vix assecutus est, interdum tamen sese illis regendo.

Hinc ad restauranda praedicta instituta series capitulorum generalium Ordinis et actorum S. Sedis praesertim S. Congregationis de Propaganda Fide videnda erat.

In exponendis autem huiusmodi institutis sive in Introductione sive in ipso dissertationis corpore id in corde habui, ut adinveniam measque opiniones fundem in ipsis propriisque et, in quantum possibile erat, originalibus fontibus.

At quod ipsum regimen Basilianorum spectat, documenta respicientia saeculum XVII haud abundanter nunc inveniri possunt estque haec historiae et iuris Ecclesiae Ruthenae periodus minime elaborata et quidem ob fontium deficientiam. Ita iam olim lamentabat N. Krakovskij: « Sed praecise haec periodus Unionis ob documentorum deficientiam minime elaborata est ». (Archeograficeskij Sbornik t. XII, Praefatio p. IX). Uberior copia documentorum praesertim S. Sedis habetur e saeculo XVIII et quidem peculiariter e tempore Benedicti PP. XIV, cui Ordo Basilianus disciplinam ordinatam maxime debet.

Iam omnibus hucusque dictis collatis patet dissertationem hanc non solum spectato eius argumento, verum etiam pluribus documentis in eadem allatis, data deficientia omnimoda bibliographiae in materia specialis vere dici posse opus primae manus. Momentum tamen eius videri debet in respectu tum ad Ordinem Basilianum Ruthenorum, tum ad ius generale Ecclesiae Ruthenae, tum denique ad studium super disciplina generali religiosorum. Quod Ordinem Basilianum spectat, dissertatio haec revelat antiquam, traditionalem, saeculis sancitam disciplinam ab ipso Ordine creatam, quae tamen per trecentos annos nunquam sytematice elaborata est, novissime vero communiter ignota. Quod vero ius Ecclesiae Ruthenae in genere spectat, dissertatio, quae de instituto seu Basilianorum regimine tractat, quod cum ceteris eiusdem Ecclesiae institutis in relatione continua erat, clavis erit ad plures quaestiones solvendas in iure administrativo Ecclesiae Ruthenae. Ad studium denique super disciplina religiosorum in genere eadem hoc infert elementum positivum, quod ostendit institutum aliquod medium, compositum e principiis disciplinae tum latinae, tum orientalis.

Non restat ergo nisi, ut hoc loco gratias maximas agam imprimis meis in Ordine Superioribus, qui laeto animo tempore praesertim angustiarum belli omne adiutorium curamve suam, ut opus hoc ad felicem finem perducatur, apposuerunt.

Item animo grato prosequor Rev. P. Herman Aemilium S. J. Rectorem Pont. Instituti Orient. Studiorum atque Rev. P. Bidagor Raymundum S. J. Decanum Facultatis Iuris Canonici in Pont. Universitate Gregoriana, nec non Rev. P. Haluscynskij Theodosium OSBM Consultorem Generalem pro consiliis opportunis mihi datis.

Dignas etiam gratias refero Ill.mo ac Rev.mo Domino Angelo Mer-

cati Archivi Secreti Vaticani Praefecto et Ill.mo ac Rev.mo Domino Josepho Monticone Tabularii S. Congregationis de Propaganda Fide Archivista, qui ii documentis respectivi archivi investigandis praetiosas indicationes mihi porrigere non denegarunt.

Et confratribus meis Romae mecum studiis vacantibus hic gratum me exhibeo pro parte laboris in hoc opere edendo impensi.

Lattingtown N. Y. die 29. Julii 1948.

FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

I. Fontes

A. Fontium collectiones ad usum publicum editae

Acta Apostolicae Sedis.

Acta Leonis XIII Pontificis Maximi, v. III., Romae 1884.

Acta Sanctae Sedis.

Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeograficeskoju Komisijeju, t. XVI, Vilnae 1889.

Akty odnosiascjesia k istoriji Juznoj i Zapadnoj Rossiji sobrannyje i izdannyye Archeograficeskoju Komissijeju, t. II (1599-1637) Sanktpeterburg 1865.

Akty odnosiascjesia k istoriji Zapadnoj Rossiji sobrannyje i izdannyye Archeograficeskoju Komissijeju, t. I (1340-1506), Sankt-Peterburg 1846.

Archeograficeskij Sbornik dokumentov odnosiascychsia k istoriji Sjevero-Zapadnoj Rosiji, t. 12, Vilnae 1900.

Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji izdavajemyj vremennoju Komissijeju dla razbora drevnyh aktov, P. I, t. IV., Kiev 1871, t. VI 1883, t. X 1904.

Bullae et brevia Summorum Pontificum Sacrarum Congregationum decreta nec non Serenissimorum Poloniae Regum diplomata Congregationem Ruthenorum OSBM concernentia vel Eidem opportuna, iussu Generalis Consultationis cum interventu Provincialium Officiorum sub annum 1764 celebratae, Typis Poczaioviensibus edita A. 1767.

Bullarium Romanum, Augustae Taurinorum.

Bullarii Romani Continuatio, Prati.

Canones et decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini, Romae 1874.

Codex Iuris Canonici.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide seu decreta, instructiones, rescripta pro Apostolicis Missionibus.

Volumen I ab anno 1622-1866, nn. 1-1299.

Volumen II ab anno 1867-1906, nn. 1300-2317, Romae 1907.

Corpus Iuris Civilis, Berolini.

COTELIER J. B., *Ecclesiae Graecae Monumenta*, Lutetiae Par. 1677-86.

DE MARTINIS, *Iuris Pontificii de Propaganda Fide*. Pars prima complectens bullas, brevia, acta S. Sedis v. I-VII, Romae 1888. Pars secunda complectens decreta, instructiones, encyclicas litteras etc., volumen unicum, Romae 1909.

FRIEDBERG Aemilius, *Corpus Iuris Canonici*, t. I, Decretum Magistri Gratiani, Lipsiae 1879. — t. II, Decretalium Collectiones, Lipsiae 1891.

GARNIER J., *Basilii Opera omnia*, t. I et II,

Parisiis 1721. — t. III GARNIER - Maran, Parisiis 1839.

HOLSTENII L., *Codex Regularum*. t. VI, Augustae Vindelicorum 1759.

Indulgentiae, brevia, decreta Summorum Pontificum et SS. Congregationum, nec non sancita Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae Regnante Serenissimo Stanislao Augusto Poloniarum Rege Magnoque Duce Lithuaniae lata Clerum saecularem et regularem utriusque ritus Latini et Graeci concernentia, compendio collecta, Typis Poczaioviensibus edita 1788.

MANSI J. D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, t. I-XIII, Florentiae 1759-1767. — t. XIV-XXXI, Venetiis 1769-1798.

MIGNE, *Patrologia Graeca*, t. 31, 35, 36. — *Patrologia Latina*, t. 23, 66.

MIKLOSICH-MÜLLER, *Acta et Diplomata Graeca medii aevi*, t. I-VI, Vindobonae 1860-1890.

- PITRA J. B. SRE Card., *Iuris Ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I-II, Romae 1864-1868.
- Polnoje Sobranije Zakonov Rossijskoj Imperji* (ab anno 1649-1913).
t. 19 (1770-1774) — t. 20 (1775-1780) — t. 21 (1781-1783) — t. 22 (1784-1788)
t. 23 (1789-6.XI.1796) — t. 24 (1796-1798) — t. 25 (1798-1799) — t. 26
(1800-1801) — t. 27 (1802-1803) — t. 28 (1804-1805) — t. 31 (1810-1817)
— t. 34 (1817) — Sanktpeterburg 1830.
- 2 *Polnoje Sobranije Zakonov Rossijskoj Imperji*.
t. 3 (1828) — t. 5 (1830) — t. 7 (1832) — t. 8 (1833) — t. 10 (1835) —
t. 12 (1837) — t. 14 (1839) — Sanktpeterburg 1830-1840.
- Prawa y wolnosci Obywatelom Korony Polskiej y W. X. Lit. Religii Greckiej orientalney wyznawcom sluzace z Przywilejow, Konstytucyi Seymowych, Statutu W. X. Lit. a dwoma szczegulnie razy y z Historykow ale domowych Polskich y wyznania Rzymskiego Kosciola, bedacych, a tym od parcyalnosci barzo dalekich, do tegoz y godnosciami znaczniemi w Duchownym abo Swieckim Stanie ozdobionych zebrane y dla wszystkich do druku podane, Roku Panskiego 1767.*
- RHALLES et POTLES, *Σύνταγμα τῶν θεῶν καὶ ἱερῶν κανόνων...*, t. I-VI Athenis 1852-1859.
- SACRA CONGREGAZIONE ORIENTALE, Codificazione Canonica Orientale, *Fonti*, Fascicolo XI: HOLOWECKYJ Dionisius O.S.B.M. *Ius Particulare Ruthenorum*, T. Vaticana 1933. — Serie II, Fascicolo X: DE MEESTER Placidus, *De Monachico Statu iuxta disciplinam Byzantinam*, T. P. Vaticanis 1942.
- Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae*, Romae 1883.
- Acta et decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae habitae Leopoli anno 1891*, Romae 1896.
- THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. III Romae 1863; t. IV, Romae 1864.
- Thesaurus Resolutionum S. C. Concilii*, Romae 1843.
- Volumina Legum*.

B. Fontium collectiones nondum editae

I. ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

A. *Congregazioni Particolari*:

- 1) v. 29 Congregazioni particolari dall'anno 1680 al 1697.
- 2) v. 64 Congregazioni particolari dall'anno 1720 al 1722.
- 3) v. 74 Congregazioni particolari dei Rutheni dell'anno 1728.
- 4) v. 91 Congregazione particolare dei Ruteni dell'anno 1742.
- 5) v. 92 Congregazione particolare dei Ruteni dell'anno 1744.
- 6) v. 114 Congregazioni particolari dei Ruteni dall'anno 1749-1752.
- 7) v. 120 Congregazione particolare dei Ruteni dell'anno 1755.

B. *Acta S. Congregationis de Propaganda Fide* (Congregazioni generali).

- 1) v. 3 a. 1622-1625. — 2) v. 7 a. 1630-1631. — 3) v. 15 a. 1642-1643. —
- 4) v. 36 a. 1667. — 5) v. 44 a. 1674. — 6) v. 46 a. 1676. — 7) v. 63 a. 1693. —
- 8) v. 75 a. 1705. — 9) v. 76 a. 1706. — 10) v. 77 a. 1707. — 11) v. 127 a. 1757. —
- 12) v. 145 a. 1775. — 13) v. 150 a. 1780. — 14) v. 155 a. 1785. —
- 15) v. 156 a. 1786. — 16) v. 158 a. 1788.

C. *Scritture originali riferite nelle Congregazioni Generali*:

- 1) v. 800 a. 1763. — 2) v. 842 a. 1775. — 3) v. 855 a. 1780. — 4) v. 885 a. 1790.

D. *Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide*:

- 1) a. 1719-1740. — 2) a. 1741-1767. — 3) a. 1768-1778. — 4) a. 1769-1789. —
- 5) a. 1800-1819.

E. *Lettere della S. Congregazione de Propaganda Fide:*

- 1) a. 1705. — 2) a. 1750. — 3) a. 1785. — 4) a. 1786. — 5) a. 1788. —
6) a. 1790. — 7) a. 1791.

F. *Lettere di Mons. Segretario:*

- v. 82 a. 1693.

G. *Lettere antiche:*

- v. 338.

H. *Memoriali:*

- v. 384 a. 1623-1624.

J. *Archivio Settentrionale:*

- v. 32.

K. *Scritture riferite nei Congressi:*

Ospizio dei Ruteni - Pascolo:

- 1) v. 1 dall'anno 1639 al 1800. — 2) v. 2 dall'anno 1801 al 1825. — 3) v. 3
dall'anno 1826 al 1892.

II. ARCHIVUM SECRETUM VATICANUM

Archivio dela Nunziatura di Varsavia:

- 1) v. 108 - Ordini Regolari t. II Basiliani parte I.
2) v. 109 - Ordini Regolari t. III Basiliani parte II.
3) v. 110 - Ordini Regolari t. IV Basiliani parte III.
4) v. 133 - Ordini Regolari t. II Basiliani, Benedettini, Cisterciensi.

III. BIBLIOTHECA VATICANA

Manuscripta:

- 1) Museo Borgiano - Illirico 15 et 16.

N. B. — Quoniam in textu huius dissertationis constitutones capitulorum per-
saepe citantur non adductis locis, unde acta capitularia desumuntur, ideo-
que hic illi a limine indicantur:

I. *Capitulorum acta periodi primae:*

- 1). Usque ad annum 1709. inveniuntur, typis edita, in AS, (*Archeograf-
ckij Sbornik*), t. XII, Vilnae 1900.
2). Leopoliense 1739, in APF, CP, 1742, v. 91, ff. 283. 288.

II. *Periodi vero secundae, prout sequitur:*

- 1). Dubnense 1743, in APF, CP, 1744, v. 92, ff. 302-320.
2). Berestense 1747, in APF, CP, 1750-52, v. 114, ff. 396-417.
3). Berestense 1751, in APF, CP, 1750-52, v. 114, ff. 300-308.
4). Berestense 1759, in APF, Scritt. CG. 1763, v. 800, ff. 173-79.
5). Berestense 1772, in APF, Scritt. CG. 1775, v. 842, ff. 417-433.
6). Zydzczynense 1788, in APF, Scritt. CG. 1790, v. 885, ff. 280-297.

II. *Bibliografia principalis*

ALLARD P., *Basile* (Saint), in DTC col. 411.

ANDREJEWSKI, *Encyclopedyckij Slovar*, Peterburg.

ANDRÉ-WAGNER, *Dictionnaire de droit canonique*, Paris 1894.

ANGELUS A SS. CORDE JESU, *Manuale iuris communis regularium et specialis Car-
melitarum Discalceatorum*, Gandae 1899.

BARDY D., *Basile* (Saint), in « *Dictionnaire de Spiritualité* ». col. 1273.

BAUCHER Dom Joseph, *Abbés*, in « *Dictionnaire de droit canonique* », t. I.
Paris 1935 col. 30-62.

- BLAZEJOWSKYJ D., *De potestate Metropolitaram Kioviensium catholicorum in clerum regularem*, Romae 1943.
- BOUDOU S. J., *Le Saint Siège et la Russie*, 1922.
- CHRUSCEVIC G., *Istorija Zamojskoho Sobora 1720 hoda*, Vilnae 1880.
- CLARKE LOWTHER W. K., *St. Basil the Great a study in monasticism*, Cambridge 1913.
- — —, *The ascetic Works of Saint Basil*, London 1925.
- COUSSA A., *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico orientali*, v. I, II, Romae 1941.
- CREUSEN J. S. J., *Chef d'Ordre*, in « Dictionnaire de droit canonique », Fasc. XV, Paris 1939, col. 680.
- DELATTE Dom Paul, *Commentaire sur la Règle de Saint Benoit*, Paris 1913.
- JEVHENIJ (Metropolit), *Opysanie Kievo - Sofijskoho Sobora*, Kiev 1825.
- FERRARIS L. F., *Bibliotheca canonica iuridica, moralis, theologica*, Romae 1890.
- GOLUBINSKIJ E., *Istorija Russkoj Cerkvy*, t. I, v. I, (ed. 2a.), Mosquae 1900, v. II, (ed. 1a.) ib. 1881; t. II, v. I, ib. 1900, v. II, ib. 1911.
- GUÉPIN Dom Alphonse, *Un Apôtre de l'Union des Eglises au XVII s. Saint Josephat et l'église greco-slave en Pologne et en Russie*, Paris-Poitiers t. I, 1897, t. II, 1898.
- HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.
- HEIMBUCHER:, *Die Orden und Kongregationen der kath. Kirche*, Paderborn, B. I. 1933.
- HERMAN S. J., a) *Die Regelung der Armut in den byzantinischen Klöstern*, Orientalia Chr. Per. v. VII, N. 3-4, 1941.
- b) *Ricerche sulle istituzioni monastiche bizantine*. Typika ktetorika, caratteristici e monasteri liberi. Orientalia Chr. Per., v. VI, N. 3-4, 1940.
- c) *De fontibus iuris ecclesiastici Russorum*. Commentarius historico-canonicus. Codificazione Canonica Orientale, *Fonti*, Serie II, F. VI.
- HILPISCH S., *Geschichte des Benedictinischen Mönchtums*, Freiburg im Breisgau 1929.
- HOFMANN Georg S. J., *Ruthenica*, Orientalia Chr., v. III (1925), N. 12.
- HOLOWECKYJ Dionysius OSBM., *Fontes iuris canonici Ecclesiae Ruthenae*, T. P. Vaticanis 1932.
- HUMBERCLAUDE P., *La doctrine ascétique de Saint Basile de Cesarée*, Paris 1932.
- IWANOWICZ J., *Ueber die historische Bedeutung des Basilianerordens in Galizien und seine gegenwärtigen Verhältnisse*, Leipzig 1885.
- KAROVEC Macarius OSBM., *Velyka Reforma Cyna sv. Vasylija Velykoho*, Zovkva t. I, II, 1933, t. III, 1936, t. IV, 1938.
- KAZANSKIJ, *Istorija pravoslavno-russkoho monasestva*, Mosquae 1855.
- KOJALOVICZ M., *Isotrija Basilianskoho Ordena*, in « Chrystiankoje Ctenie », Sankt-peterburg 1864, Januar., p. 11-75; April. p. 419-464.
- KOROLEWSKYJ C., *Basiliens italo-grecs et espagnols*, in « Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastique », t. VI., col. 1180.
- KOSSAK M., *Szematyzm provinciji sv. Spasytela C.S.V.V. i korotkyj pohlad na monasestvo ruske ot zavedenija na Rusy viry Chrystovoji az po nynisnoje vremja*, Leopoli 1867.
- KRACKOVSKIJ J. T., *Ocerki Uniatskoj Cerkvy*, in « Ctenia » 1871, t. I et II.
- KULCZYNSKI I., *Specimen Ecclesiae Ruthenae*, ed. 3, Parisiis 1859.
- *Menologium Bazyljanskie*, Vilnae 1771.
- LADEUZE P., *De Instituto Coenobitico Sancti Pachomii*, Lovanii, Parisiis 1898.
- LAEMMER H., *In decreta concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicae*, Freiburg 1865.
- LAUN F., *Die beiden Regeln des Basilius, ihre Echtheit und Entstehung*, in « Zeitschr. für Kirchengeschichte », B. 44, Gotha 1925.

- LECLERCQ H., *Cénobitisme*, in DACL t. II. P. II., col. 3047-3248.
- LEGGIO E., *L'ascetica di S. Basilio il Grande*, Torino 1934.
- LİKOWSKI Ed., a) *Historya Unii Kosciola Ruskiego z Kosciolem Rzymским*, Poznan 1875.
- b) *Unia Brzeska* (r. 1596), Poznan 1896.
- c) *Dzieje Kosciola Unickiego na Litwie i Rusi w XVIII i XIX wieku*, Warszawa t. I, II, 1906.
- LOTOCKYJ O., *Ukraiński dzerela cerkovnoho prava*, Varsaviae 1931.
- MAKARIJ Metropolit (Bulgakov), *Istorija Russkoj Cerkvy*, Petropoli.
- MALINOWSKI M., *Die Kirchen-und Staats-Satzungen bezüglich des griechisch-katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien*, Lemberg 1861.
- MEYSZTOWICZ W., *Dobra koscielne jako przedmiot uprawnień w prawie W. Ks. Litewskiego*, Vilnae 1935.
- MICHELETTI, *De Superiorum communitatum religiosarum*, Romae 1911.
- MISSEREY L. R. OP., « *Chapitres des religieux* » in « *Dictionnaire de droit canonique* », p. 595 ss.
- MILASCH N., *Das Kirchenrecht der morgenlaendischen Kirche*, Mostar 1905.
- PARGOIRE J., *Archimandrite*, in DACL, col. 2759.
- PAVLOV A. S., *Pervonacalnyj slaviano-russkij nomokanon*, Kazan 1869.
- PELESCH J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, Wien I. B. 1878; II. B. 1880.
- PETROV N., a) *Ocerk istorji Bazilianskoho Ordena w byvsej Polse*, in TKDA, Kiev 1870, t. II, p. 428, t. III, p. 373, t. IV, p. 343. — 1871, t. I, p. 295, t. II, p. 225, t. III, 11. — 1872, t. I, p. 3-161.
- b) *Kratkija izviestvija o položeniji Bazilianskoho Ordena i raznych premienach v ieho upravljeniji ot 1772-1811.*, in TKDA, Kiev 1868, t. III, p. 147; t. IV, p. 100 et 245.
- PETROVSKIJ A., *Archimandrit.*, in « *Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija* », t. II. Petropoli 1901, col. 43.
- PIATO MONTESI, *Praelectiones iuris regularis*, Parisiis 1906.
- PIRRI R., *Sicilia Sacra*, t. I, II, Panormi 1644.
- PRASKO J., *De Ecclesia Ruthena catholica sede metropolitana vacante 1655-1665*, Romae 1944.
- Rouët de Journal M. J. S. J., Nonciatures de Russie d'après les documents authentiques; Nonciature d'Arezzo 1802-1806.* P. I. Rome 1922; P. II Rome 1927.
- SACRA CONGREGAZIONE ORIENTALE, *Statistica con cenni storici della Gerarchia e dei fedeli di rito orientale*, Roma 1932.
- SCHAEFER T., *De Reriligiosis*, ed 3, Romae, T. P. Vaticanis 1940.
- SCHIWIETZ St., *Das morgenländische Mönchtum*, t. I, II, Mainz 1913.
- SCHNEEMANN, *Basilianer*, in « *Kirchenlexikon Wetzer und Welte* ».
- SOKOLOV, *Cerkovnoimuscestvennoje pravo vo greko-rimskoj imperiji*, Novhorod 1896.
- STEBELSKI J., a) *Dwa wielkie swiatla*, Vilnae 1781.
- b) *Chronologia*, Vilnae 1782.
- c) *Przydatek do chronologii*, Vilnae 1783.
- SUSZA Jac. (Martinov S. J.), *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine B. Josaphat transformatus sive Meletius Smotriscius*, Bruxellis 1864.
- SUVOROV N. S., *Sledy zapadno-katoliceskaho cerkovnaho prava v pamiatnikach drevniaho ruskaho prava*, Jaroslavl 1888.
- SZEPTYCKYJ A. Metropolita, a) *Asketyčni tvory sv. O. N. Vasylija V.* (Opera ascetica SBM), Zovkva 1929.
- b) *Pravyla dla monachiv S.O.N.V.V.*, Zovkva 1911.
- TAMBURINI Asc., *De iure abbatum et aliorum praelatorum*, Lugduni 1640.
- THEINER A., *Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beiden Ritus in Po-*

INTRODUCTIO

Quoniam Regula S. Basilii Magni fundamentum est totius posterioris evolutionis disciplinae monasticae orientalis coenobiticae, ideoque hac introductione conspectu saltem generali regimen monachorum secundum dictam Regulam inspicimus, eo vel magis, quod ipse J. V. Rutzkyj Metropolita in monachatu Ecclesiae Ruthenae reformando multum dictae Regulae incubuit eiusque principia conservare conciliareque conatus est.

Deinde propterea, quod regimen monachorum Ruthenorum seu Basilianorum tempore in dissertatione considerato, scil. xvii et xviii saeculis, tum in singulis institutis, tum praesertim quoad generalem indolem in pluribus ex opposito se habet ad regimen eorundem monachorum tempore praecedenti, unde huius etiam regiminis indolem in generalissimis saltem lineis videamus oportet.

Quae duo obiecta duobus capitibus huius introductionis comprehendere studebimus.

CAPUT I.

De regimine monachorum secundum Regulam S. Basilii Magni

ARTICULUS I.

DE AUTHENTICITATE « ASCETICORUM » S. BASILII MAGNI

In capite praesenti quaedam difficultates exsurgunt de authenticitate librorum asceticorum S. Basilii M., ideoque illae imprimis resolvendae essent. Attamen hoc excedit paginas huius introductionis. Propterea hic tantummodo medullam-conclusionem quaestionis investigatae exponimus.

Inter opera omnia S. Basilii M. invenitur unum genus operum, quod idiomate graeco venit sub nomine Ἀσκητικά vel Ἀσκητικόν propterea, quod

quasi ex professo agit de ascetica seu vita monastica. In hoc operum genus secundum varias editiones¹ sequentes ingrediuntur libri:

1 ^o Ἀσκητικὴ προδιατόπωσις	— Praevia institutio ascetica
2 ^o Λόγος ἀσκητικὸς περὶ ὑποτάγης βίου	— Sermo asceticus de renuntiatione saeculi
3 ^o Προοίμιον περὶ ἀσκήσεως	— Sermo de ascetica disciplina
4 ^o Προοίμιον περὶ κρίματος Θεοῦ	— Prooemium de iudicio Dei
5 ^o Προοίμιον περὶ πίστεως	— Prooemium de fide
6 ^o Ἠθικά	— Moralia
7 ^o Λόγοι ἀσκητικοί	— Sermones ascetici (duo)
8 ^o Ὅροι κατὰ πλάτος	— Regulae fusiores
9 ^o Ὅροι κατ'ἐπιτομήν	— Regulae breviores
10 ^o Ἐπιτιμια	— Poenae
11 ^o Ἀσκητικαὶ διατάξεις	— Constitutiones monasticae [2].

Praeter libros enumeratos quaedam praescripta S. Basilii in ordine ad vitam monasticam inveniuntur in aliis operibus uti epistolis et inter has praecipue canonicis.

Quaestio authenticitatis Asceticorum S. Basilii habet duas partes, quarum altera tangit Ascetica in genere, altera vero singulos libros. Erant enim olim quidam, qui omnia Ascetica S. Basilio denegarunt, uti e. g. saec. v^o historicus Sozomen, qui illos Eusthathio Sebastensi adscribebat. Hunc sequebantur postea alii, quorum clarissimus criticus Combefis.³ Quod tamen saltem quaedam ex Asceticis auctorem S. Basilium habent, nunc est extra quaestionem. Argumenta sunt evidentissima, uti testimonium S. Gregorii Nasianzeni,⁴ S. Hieronimi,⁵ Rufini, cuius versionem Regularum latinam habemus,⁶ denique S. Benedicti⁷ et Photii.⁸

Quod vero singulos libros asceticos spectat, habetur tabula novissime parata ab Humbertclaude, qua memoratus auctor secundum communioem auctorum opinionem omnia opera S. Basilii dividit in quatuor classes scil. 1^o opera certe non authentica, 2^o opera fortiter controversa, 3^o opera probabiliter authentica, et 4^o opera non controversa.⁹

Secundum hanc tabulam 1^o opera certe non authentica sunt a) Constitutiones monasticae et b) Poenae. Revera prout notat famosus hac in re Garnier, « *Constitutiones* » quasi ex opposito se habent ad doctrinam et tendentias S. Basilii. Dum enim hic tendit et indispensabiliter vult

¹ Maioris momenti editiones operum S. Basilii erant: Basileae a. 1532, Venetiis a. 1535, Basileae a. 1551, Parisiis a. 1618, 1637; Maxime hucusque critica ed. I. Garnier et P. Maran: Parisiis a. 1721, 1730, 1839.

² P. G. t. XXXI col. 620-1328; Gar. II, 199-582.

³ Cfr. GARNIER, *S. Basilii Opera omnia*, t. II, Praef. p. 36.

⁴ Ep. 43 P. G. t. 36, col. 541; orat. VI P. G. t. 35, col. 743.

⁵ P. L. t. 23, col. 707.

⁶ HOLSTENIUS, *Codex Regularum*, t. VI, p. 65-108.

⁷ P. L. t. 66, col. 929.

⁸ P. G. t. 103, col. 421 — cod. 144.

⁹ HUMBERTCLAUDE, *La doctrine ascétique de Saint Basile...* p. 1-4.

vitam monasticam communem seu coenobiticam, « Constitutiones » laudant anachoretismum.¹⁰

Pseudoepigraphia vero « *Poenarum* » proditur praecipue e stylo. Adhibentur enim verba, quae certe posterioris sunt originis, uti e. g. ἀρχιμανδρίτης,¹¹ dein voces spuriae latinae originis uti e. g. ὄρδινος, ὀστιάριον, ἀρχιεβδομαδάριος.¹²

2^o Secundae classi seu operibus *fortiter controversis adnumerantur* duo « *Sermones ascetici* ». Garnier simpliciter eos reicit,¹³ propterea quod in eis adhibentur voces a stylo S. Patris alienae, uti καθηγοούμενος.¹⁴ Non enumerantur etiam in βιβλιοθήκη Photii.

3^o Inter *opera probabiliter authentica* enumerantur tres tractatus scil. « *Praevia institutio ascetica* », « *De renuntiatione saeculi* » et « *De ascetica disciplina* ». Garnier sine haesitatione eos admittit, dicendo: « legi et relegi has lucubrationes, in quibus nihil omnino inveni, quod indignum esset nostro Basilio. Omnia satis accomodata sunt ad eius stylum, ad eius scribendi rationem, ad eius indolem ». ¹⁵ Externum vero argumentum pro eorum authenticitate est adscriptio eorum S. Basilio in libris tum vulgatis, tum veteribus. Dubium autem oritur ex eo, quod non enumerantur in βιβλιοθήκη Photii, adsunt quaedam citationes S. Scripturae minus exactae et « Praevia institutio » habet paucas S. Scripturae citationes.

4^o *Opera vero non controversa* sunt cetera omnia super enumerata. Difficultas tamen maioris momenti habetur circa opera ascetica S. Basilii praecipua scil. circa ipsos « *Regularum* » libros. Difficultas memorata oritur ex eo, quod in versione « *Regularum* » latina, a Rufin parata, omnes regulae attingunt numerum 203, dum in originali regulae fusiores numerantur 55 et breviores 313. Deficere ergo videntur 163 regulae in versione Rufiniana. Attamen difficultatis memoratae, post accuratum examen, egregiam solutionem, qua saltem hucusque melior non datur, praestat Fr. Laun, ostendendo, quae sequuntur:

1^o - Rufin plures regulas in unam contraxit, ita, ut omissae regulae in versione non dentur multae.

2^o - Sed etiamsi omissae sint, hoc provenit ex eo, quod Rufin versionem ad verbum non parabat, sed prae oculis habebat finem practicum versionem parando pro uno tantum monasterio.

3^o - Denique examinando regulas a Rufin omissas concludit easdem maiore ex arte revera authenticas esse. Reicit solum 13 regulas breviores, tamquam non authenticas, reliquas autem dividit in duas ca-

¹⁰ GARNIER, o. c., t. II, Praef. p. 46.

¹¹ E. g. Epitimia 12, 19, 29, 35, 40, 49, 51, 59.

¹² E. g. Epitimia 22, 39, 48, 51. — Plures poenarum species S. Basilii enumerat in Rf. 51, cui authenticitatem nemo denegat; unde, cum auctores de poenis S. Basilii loquantur, hoc non statim intelligendum sit de « Poenarum » libris — cfr. e. g. de Meester — *De monachico statu*, art. 61 com. 1.

¹³ O. c., t. II, Praef. p. 44.

¹⁴ Ibid., p. 44.

¹⁵ Ibid., p. 37.

thegorias scil. sub respectu authenticitatis distinguit regulas primarii et secundarii valoris.¹⁶

Regulae breviores a Rufin omissae, quae secundum Laun uti non Basilianae haberi debent, hae sunt: 14, 61, 69, 78, 96, 107, 155, 228, 242, 286, 292, 295, 307.

Regulae a Rufin omissae, sed a Laun agnitae tamquam certe authenticae seu primarii valoris: Rf. 37; Rb. 254, 267.

Regulae a Rufin omissae et a Laun iudicatae tamquam dubiae authenticitatis seu secundarii valoris: Rf. 35, 43, 44, 49, 54.; Rb. 15, 50, 53, 63, 66, 73, 77, 181, 186, 214, 223, 227, 230, 234, 253, 276, 278, 282, 284, 285, 291, 296, 299.

Ceteras omnes regulas ex illo numero 163 Laun invenit in aliis contractas. Sequendo ergo explicationem Laun, hodie auctores communiter authenticitatem utriusque generis « Regularum » ex toto agnoscunt.¹⁷

ARTICULUS II.

DE FORMA REGIMINIS MONACHORUM SECUNDUM REGULAM S. BASILII MAGNI

Non est dubium haberi Regulam S. Basilii Magni,¹⁸ quae certam formam regendi monachos supponit.

Verum quidem grandissimum hac in re Eius opus seu utriusque generis « Regulae » non sunt canones-leges, quae vitae monasticae formam exacte determinarent. Nam in eis S. Pater loquitur potius uti Magister perfectionis evangelicae doctrinam explicans, quam proprie dictus Legislator - seu opus praedictum non est *ἑπιτάξιον*, constitutiones, cuiusmodi *ἑπιτάξεις* nonnisi postea in fundamento Regularum S. Basilii composita sunt. uti e. g. a S. Theodoro Studita¹⁹ pro monachatu graeco, aut a S. Theodosio Pecerskiensi²⁰ pro monachatu Rutheno, sed potius haberi debet uti expositio idealis monastici secundum doctrinam evangelicam.

Attamen etiam in hac expositione multa adsunt, quae citra omnem intentionem codificandi vitae monasticae formam, hanc revera aut prouti iam viguit produnt et approbant, aut in multis supponunt, dubia in praxi orta solvunt consiliaque ipsam organisationem monasticam spectantia praebent. Quae omnia simul considerata et in unum systhe-

¹⁶ LAUN, *Die beiden Regeln des Basiliius, ihre Echtheit und Entstehung* in ZfKG, Band 44, Gotha 1925, p. 1-61.

¹⁷ BARDY, *Basile (Saint)* — in Dict. du Spirit. — col. 1275.

¹⁸ S. Basiliius natus est c. a. 329-330; anno 351 profectus est studiorum causa Constantinopolim et Athenas et postea, 357-8, Orientem visitare monachos. Ab a. 358 Regulas componere coepit. Anno 365 ordinatus sacerdos et a. 370 in episcopum Caesareae in Capp. electus. Mortuus a. 379.

¹⁹ P. G. t. XCIX.

²⁰ Makarij — I. R. C. — t. II, p. 56, 58, 59, 60.

ma collata certam formam vitae monasticae secundum mentem S. Patris nobis dabunt.

Utique haec forma universalitate evangelica pollens non coarctatur aliquibus finibus particularibus, sed plenam vitae monasticae imaginem praebet et in omnibus adiunctis applicari potest ita, ut secundum dicta a Metropolita Andrea Szeptyckyj « non possit haberi codex vitae monasticae ea plenior ».²¹ Ipse S. Basilius expresse finem vitae monasticae proponit non aliquem particularem, sed pure evangelicum omnibusque communem οἱ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν σκόπον τοῦ βίου τοῦ κατ' ἐυσέβειαν ἐνστησάμενοι.²²

Unde non est mirum Regulam S. Basilij satisfaciendo omnibus exigiis vitae monasticae, factam esse exemplar et fundamentum totius evolutionis monasticae tam in Oriente, quam in Occidente, ubi saltem in principio evolutionis disciplinae monasticae influxum immediatum in hanc exercuit.²³

Recte ergo concludit memoratus Metropolita libros « Regularum » S. Basilij per saecula fuisse fontem, unde conceptus vitae monasticae hauriebantur illosque « devenisse Regulam omnium perfectissimam et antiquissimam ».²⁴

Ab hac Regula nova vitae monasticae aetas exoritur.²⁵ Nam ante S. Basilium vita monastica consistebat in vita solitaria, eremitica. S. Basilius transformat eam in vitam communem - coenobiticam, κοινὸς βίος. Verum quidem inter eremitas stricte dictos et coenobia S. Basilij stat S. Pachomius cum suis coenobiis, attamen huius coenobia in comparatione cum coenobiis illius ita se habent, uti elementum materiale ad formale. Nam in coenobiis S. Pachomii, etsi erat communis habitatio, unum erat regimen et quidem stricte centralisatum, essentia tamen monachatus remansit consistere in vita individuali, anachoretica. Communis cohabitatio erant « saepta », intra quae eremitae tutius et securius vitam individualem vivere potuerunt. Regimen autem et ordo habebant characterem militarem potius, quam familiarem. Propterea recte describit P. Hilpisch OSB communitatem Pachomianam dicendo, eam habuisse conesse, non vero convivere.²⁶

Loco vitae solitariae S. Basilius substituit vitam communem, in qua membra non tantum sunt simul congregata, sed revera communem vitam vivunt, sicut vivit familia vel potius, si utar dilecta S. Patris comparatione de S. Scriptura desumpta, sicut vivit unum corpus, in quo Christus est caput et monachi diversa corporis membra, uti oculus — Superior, alii vero aures, manus etc.²⁷ Huiusmodi autem vitae perfectionem, sublimitatem et generalem descriptionem dat S. Pater in RF. 7-a.

²¹ *Pravyla dla monachiv*, p. 20.

²² Prooemium in Regulas Fusiores.

²³ Cfr. Regulam S. Benedicti cap. 73 et commentarium ad idem c. — DELATTE DOM PAUL, *Commentaire sur la Règle de Saint Benoît*.

²⁴ *O. c.*, p. 20.

²⁵ VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici* — t. I, ed. VI, n. 586.

²⁶ HILPISCH, *Geschichte des Benediktinischen Mönchtums* — p. 41.

²⁷ Cfr. RF. 24.

Reiecta vita anachoretica, tamquam quae sibi insufficiens est et praecipue quia non perfecte correspondet consiliis evangelicis,²⁸ S. Basilius eos, qui vitae perfectae desiderio flagrent, congregat in sua coenobia, ubi ad exemplar primae christianorum congregationis, quae pro eius ingenio semper erit prototypus perfectae ideae monachatus,²⁹ communibus mediis ad illam tenderent. Unde communis habitatio,³⁰ communis oratio,³¹ refectio communis,³² communes omnes res.³³

Coenobia Basiliana crescente monachorum numero debent esse plura. Hoc ex opposito ad coenobia Pachomiana, quae numero novem ad finem saeculi quarti 5000 secundum Cassianum, 7000 secundum Palladium et 50.000 secundum Hieronymum monachos continebant.³⁴ Unde facile intelligitur, cur regimen et tota organisatio in illis characterem habebat militarem et quod impossibilis erat personalis directio spiritualis ex parte Superioris. S. Basilius cognovit hunc defectum et propterea voluit, ut in eius coenobiis non plures monachi congregentur, quam quos Superior cognoscere et personaliter in spiritualibus dirigere possit. Quod manifeste eruitur ex Rf. 25, 29, 30, et 35. Singula tamen coenobia non debent esse plura in uno pago vel urbe, cuius rei rationem fuse exponit Rf. 35.

Ex principio coenobitismi, quod S. Pater ponit ut fundamentum vitae monasticae, naturali consequentia effluit necessitas regiminis pro communitate monastica. Formam autem huius regiminis Ascetica nobis praebent modo supra indicato, quam investigabimus descendendo ad singula instituta et agendo imprimis de regimine externo, dein vero de regimine interno. Utique haec instituta nondum sunt evoluta, neque multiplicata, sed haberi possunt tamquam radices posterioris evolutionis.

A) De regimine externo seu Episcopo.

Non est, cur diu in Episcopi potestate respectu monachos insistamus, nam ad hanc describendam sufficit normam generalem proponere scilicet tempore illo Episcopus plena gaudebat potestate in monachos sicut in ceteros sacerdotes, si qui illorum erant, aut ut in ceteros christianos, si illi simplices monachi erant. Prima enim vestigia exemptionis non nisi in canone 24 concilii Chalcedonensis a. 451 videri possunt.³⁵ In Regula S. Basilii mentio solum est quorundam actuum, in quibus Episcopus intervenire debebat, unde monachis imposita est obligatio illum adveniendi. Huiusmodi actus sunt sequentes:

1° - *Receptio professionis religiosae.*

In Rf. 15 agitur de voto virginitatis, quod iuvenes novitii emittunt.

²⁸ Rf. 7.

²⁹ Rf. 7 et 35.

³⁰ Rf. 36, Rb. 74, 102, 286.

³¹ Rb. 147, 173, 307.

³² Rf. 15, 21, Rb. 136, 310.

³³ Rb. 143, 146, 304, 305, 308.

³⁴ VILLER UND RAHNER — *Ascese und Mystik in der Väterzeit*, p. 92.

³⁵ PITRA, *Iuris ecclesiastici Graecorum historia et mon.*, t. I, p. 531.

Ad professionem admittit Superior cum iudicio seniorum, recipit tamen Episcopus, prout e textu clare manifestatur: « Testes autem huiusce propositi adhibendi sunt ecclesiarum praefecti, ut ipsorum opera et corporis sanctimonia veluti res quaedam sacra Deo dedicetur et firma sit haec actio per testimonium ».³⁶

Sub termino οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προεστώτες alii intelligi non possunt nisi Episcopi, prout ex organisatione Ecclesiae illo tempore vigente patet.³⁷ Dein agitur de vera professionis receptione, non autem mera assistentia, nam dicitur, opera Episcopi corporis sanctimonia dedicari Deo. Si enim Episcopus non esset et operaret-reciperet, dedicatio Deo coram Ecclesia, quae fit per votum, effecta non esset.

Verum quidem in Rf. 15 sermo proprie et directe est de voto virginitatis, sed idem valet de aliis votis, nam rei natura in his non mutatur. Ceterum in epistola S. Basilii sic dicta « canonica » II., ad Amphilochem, sermo est simpliciter de monachorum professione.³⁸ Quod vero monachi in professione plura vota emittebant patet e Rf. 14, quae loquitur de ὁμολογία τῶν συνθηκῶν,³⁹ et in Rf. 36 sermo est de καθ'ὁμολογησαμένοι ἀλλήλοις τὴν ἐπὶ τὸ αὐτὸ ζώην.

2° - Dimissio monachorum professorum.

Secundus actus, in quo Episcopus adeundus erat, referebatur ad dimissionem monachorum post professionem emissam. Nam in eadem Rf. 15 praevидetur et solvitur casus, si aliquis votum seu statum virginitatis servare non vellet. Tunc coram iisdem testibus, de quibus nuperrime sermo erat, scil. Episcopis, dimittendus erat.

3° - Bona in monasterium ingredientium.

Tertius actus huiusmodi erat casus de bonis eorum, qui in monasterium ingrediebantur. De hac difficili re agit tum Rf. 9, tum Rb. 187. Si hae duae regulae comparantur videtur concludendum in hunc modum: Bona monasterium ingredientis debent aut ab ipso ingrediente tradi et quidem 1) vel pauperibus, 2) vel alicui, qui ea recte administraret; aut si praedictum ab ipso ingrediente non sit factum, tunc consanguinei ea reddere debent 3) vel Episcopo loci, 4) vel monasterio.

Quod attinet tertium casum, S. Pater unam tantum clausulam apponit et requirit, ut Episcopus sit: πιστὸς καὶ φρονίμως οἰκονομεῖν δυνάμενος.⁴⁰

³⁶ Μάρτυρας δὲ τῆς γνώμης τοῦ προεστώτος τῶν ἐκκλησιῶν παραλαμβάνειν ὥστε δι' αὐτῶν καὶ τὸ ἁγιασμὸν τοῦ σώματος, ὡς περ τι ἀνάθημα τῷ Θεῷ καθ' ἑροῦσθαι καὶ βεβαίωσιν εἶναι τοῦ γινομένου διὰ τῆς μαρτυρίας. Ibid., n. 4.

³⁷ Cfr. ZEIGER I, *Historia iuris canonici*, v. II, p. 40.

³⁸ PITRA, o. c., t. I, p. 588.

³⁹ Cfr. HERMAN EMIL S. J., *Die Regelung der Armut in den byzantinischen Klöstern*, Or. Chr., Periodica, v. VII, n. III-IV, 1941, p. 419.

⁴⁰ Rb. 187.

B) De regimine monachorum interno.

Cum ad internum monachorum regimen secundum Regulam S. Basilii investigandum ingrediamur, quaestio spontanee obruitur de relatione eiusdem regulae ad regimen centralisatum.

Verum quidem tempore S. Basilii eius coenobia non habebant regimen aliquod supremum, commune, internum seu centralisatum, regerantur vero a Superioribus localibus ab invicem independentibus. Attamen regiminis centralisatio Regulae eius non solum non esse contraria, sed immo consentanea dicenda est. In Regula enim fusiori 35 habetur expressum desiderium S. Patris, ut omnia eius coenobia ab una regantur ratione. Praeterea dantur diversae regulae, quarum aliae unioni inter singula coenobia favent, alia vero viam sternunt ad ipsam regiminis centralisationem. Quibus simul compositis desiderium illud magis naturale, logicum et Regulae consentaneum evadit.

Regulae, quae unionem inter fratres extendunt, favent aut urgent hae sunt: Rf. 39 praecipit, ut fratres ex diversis conventibus mutuo consensu locum conventioni pro rebus vendendis designent. Dein Rf. 44 praevideatur casus de inopia fratris, qui ad huiusmodi conventionem mitti possit atque deceditur, ut propinqui inopiam suppleant. In Rb. 285 interrogatur, an licita esse possit emptio-venditio inter fratres et respondetur S. Scripturam hoc non vetare. Regula denique breviori 181 iam urgetur, ut altera fratrum societas alteram egestate laborantem sublevet.

Aliae regulae, quae viam sternunt ad regiminis centralisationem, mutuas relationes inter instituta regiminis dicant. Rf. 35 ostendit, unum monasterium Superiorem recipere posse ab alio. In Rf. 43 ostenditur, quomodo Superior coenobii constitui debeat, scil. eligi debet a Superioribus, qui aliis coenobiis praesunt. Sed tamquam culmen in regiminis unione est conventus superiorum, de quo Rf. 54 tractat. Totum sensum huius regulae ipsa eius inscriptio exprimit: *περὶ τοῦ δεῖν τοὺς προεστῶτας τῆς ἀδελφότητος ἀλλήλοις τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἀνατίθεσθαι.*

Nunc denique ponimus illud S. Patris desiderium, quod Rf. 35 refert. In tota hac regula S. Pater tendit, ut monachi in uno pago non plures habeant domos, quam unam et inde nec plures Superiores, quam unum, ut sub uno tantum sint regimine. Inter argumenta huiusmodi propositionis eminet unum e S. Scriptura desumptum. Sensus eius hic est: Pro S. Patre prima christianorum congregatio, quae in Actis Ap. describitur, semper est prototypus Congregationis monasticae. Ideoque etiam nunc, in probanda necessitate unius in uno loco commorantium monachorum regiminis, revocat ad exemplum primae christianorum congregationis, in qua videt ex una parte multitudinem credentium, ex altera vero omnes res communes et, quod maxime sublineat, unam gubernationem. Unde concludit, etiam in casu allato unum regimen esse debere.

Probata autem exemplo primae christianorum congregationis unius regiminis necessitate in uno pago, transit S. Basilius ulterius ab uno ad plures pagos et denique ad omnes fratrum conventus et exprimit praedictum illud desiderium, ut omnes fratrum conventus in diversis locis constituti ab una tantum regantur ratione:

« Utinam autem fieri posset, ut non modo qui in eodem pago simul

sunt congregati sic permanerent, sed plures etiam, qui diversis in locis constituti sunt fratrum conventus, ab una tantum cura,⁴¹ eorum, qui aequo in omnes animo sapienterque rebus omnium consulere possent, in spiritus consensione et pacis vinculo regerentur ».

Non est hic determinata neque forma neque ambitus potestatis regiminis centralis, sed momentum huius desiderii in eo consistit, quod revera conceptio regiminis centralisati a S. Basilio admissa est.

Toti huic demonstrationi obstare videtur una difficultas; nempe memoratus Fr. Laun in sua investigatione authenticitatis Regularum S. Basilii, regulas, quae unionem et centralisationem sapiunt, quaeque in versione Rufiniana non inveniuntur, adnumerat secundae classi regularum sub respectu authenticitatis⁴² et inter has ponit etiam Rf. 35, nuperrime citatam. Rationem autem huius classificationis unicam affert, nempe quod tunc temporis evolutio disciplinae monasticae ad talem perfectionem, quam regulae illae praeseferunt, nondum pervenit.⁴³ Verum quidem difficultas non est magni momenti, nam ipse Laun praedictis regulis authenticitatem non denegat simpliciter, eius tamen ratio decisivam quaestionis solutionem non evincit. Nam quod revera iam ante S. Basilium disciplina monastica ab unionem et centralisationem aliena non erat, satis est inspicere disciplinam, quae in coenobiis Pachomianis viguit. Etsi enim coenobia Pachomiana sub respectu vitae communis nondum quidem bene evoluta sint, sub respectu tamen regiminis utique optime organisata erant. In coenobitismo Pachomiano Abbas generalis Πατήρ, Ἀββάς praerat toti Congregationi, quae 9 coenobiis constituebatur eratque eius absolutus dux. Ad eius competentiam pertinebat nominare et amovere in singulis coenobiis praepositos, cum quibus non solum epistolis communicabatur, sed etiam saepe singula coenobia personaliter visitabat.⁴⁴

Oeconomus generalis οἰκονομος totam rem nummariam gerebat. Bis vero in anno praefecti singulorum locorum suam administrationem spirituales et temporales eorum Praesidi et Oeconomo generalibus referebant.⁴⁵

In suo itinere ad Orientem, aa. 357-358, S. Basilus haec coenobia visitavit eorumque constitutionem cognovit, unde recte concludi potest desiderium supra relatum atque ceteras unionis regulas expressam approbationem et laudem ideae centralisationis in coenobiis Pachomianis vigentis fuisse, quam, data occasione, pluribus nempe iam monasteriis erectis, ipse S. Basilus in vitam deducere desiderabat.

Quibus ergo omnibus consideratis dicendum est, ideam centralisa-

⁴¹ Ἐίδε δὲ ἦν δυνατόν, μὴ μόνον τοὺς ἐν τῇ αὐτῇ κώμῃ ἐπιτοαυτὸ συνεγμένους, οὕτως εἶναι, ἀλλὰ καὶ πλείους ἀδελφότητας ἐν διαφόροις καθιερωσῶσας τόποις ὑπὸ μίᾳ φροντίδι τῶν δυναμένων ἀπροσκλιτῶσ καὶ σωφῶσ οἰκονομεῖν τὰ πάντων ἐν τῇ ἐνότῃ τοῦ πνεύματος καὶ τῷ συνδέσμῳ τῆσ εἰρήνῃσ οἰκοδομεῖσθαι. Metropolita Szeptyckyj vertit ἡ φροντίσ hoc loco non « cura », uti Garnier, sed simpliciter « ratio » — cfr. Pravyla dla monachiv — p. 120 atque sub μίᾳ φροντίσ unum superiorem intelligit, cfr. ibid., p. 16.

⁴² Vide supra, p.

⁴³ Art. c. p. 37.

⁴⁴ SCHWIETZ, *Das morgenländische Mönchtum*, p. 178, 179.

⁴⁵ LADEUZE, *Etude sur le cenobitisme pachomien*, p. 286.

tionis Regulae S. Basilii non solum non esse contrariam, sed immo consentaneam.

Ex ordine logico sermo statim instituendus esset de illa auctoritate suprema, quam regimen centralisatum requirit. At in Regula S. Basilii nihil de forma, quam illa *μία φροντίς* habere debuisset, invenitur. Ideoque statim transeundum nobis est ad aliud institutum regiminis, quod etiam speciem alicuius centralisationis praesefert, nempe ad superiorum localium conventus, qui tamquam semen futuri capituli generalis haberi possunt.

§ 1.

Τὸ Συνέδριον SEU SUPERIORUM CONVENTUS.

De conventu Superiorum tractat unice Rf. 54, ex qua tamen plura dignosci possunt et quidem:

1° - Huiusmodi conventus ingrediebantur soli Superiores coenobiorum prout ipsa inscriptio regulae indicat *περὶ τοῦ δεῖν τοὺς προσετώτας τῆς ἀδελφότητος ἀλλήλοις τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἀνατίθεσθαι*.

2° - Quisnam eos convocabat? In regula nihil de hoc dicitur, sed analogice ad designationem loci et temporis, quae explicite determinationi ipsorum Superiorum relinquitur, etiam convocatio eidem determinationi relicta est.

3° - Quando? *κατὰ τινὰς ὁρισμένους καιροὺς καὶ τόπους*.

4° - Obiectum horum conventuum:

a) *τὰ τε παρὰ λόγον ἀπαντήσαντα πράγματα*. Hic est principalis finis et obiectum conventus, scil. si aliquando casus extraordinarius acciderit, hic erit et occasio et obiectum principale conventus.

b) *τῶν ἡθῶν τὰ συσμεταίριστα*. In hisce conventibus mutua deliberatione et consensu ab omnibus Superioribus determinari debet norma, secundum quam characteres in vita monastica difficiliore ducebantur. Quaestiones ergo pastorales erant obiectum ordinarium horum conventuum.⁴⁶

c) *ὅπως διέθηκαν ἕκαστον, ἀναθήσονται ἀλλήλοις*. Ratio de modo singulorum agendi a singulis reddenda et ab omnibus examinanda. Quo pacto ipsi Superiores sub mutua vigilantia constituti erant:

« ut si quis in aliquo deliquerit aliquando, id certissime detegatur multorum iudicio, contraque, si recte factum sit id plurium testimonio confirmetur ».

d) In eodem communi conventu, prout videtur, Superiores pro singulis coenobiis eligebantur. Verum quidem Rf. 54 nullam huiusmodi electionis facit mentionem, attamen aptior occasio inveniri non potest, quae corresponderet Rf. 43 requirenti, ut Superior eligatur a Superioribus viciniorum coenobiorum.

⁴⁶ Cfr. SZEPTYCKYJ, *Pravyla*, p. 17.

Sed nullum vestigium habetur, ut huiusmodi Superiorum conventus potestate legislativa gauderent.⁴⁷

5° - Praeterea cum omni probabilitate asserere possumus, illis conventibus aliquem praesidentem praefuisse, quod deduci potest e generali principio S. Patris, qui vult, ut omnia fiant secundum illud S. Scripturae: « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant ».⁴⁸

§ 2.

Ὁ προσετώς SEU SUPERIOR LOCALIS.

1° - *Utrum plures aut unus tantum Superior regat coenobium singulare?*

Occasionem ad hanc quaestionem ponendam praestat institutum seniorum, quorum figura iuridica in Regula S. Basilii non cum omni claritate manifestatur. Difficultas praecipue consistit in eo, quod videntur illi vocari aliquando προσετώτες termino scil. exclusive a S. Basilio reservato Superiori et propterea, quod videntur aequali cum Superiore potestate gaudere. Unde Clarke putat regimen coenobii singularis in Regula S. Basilii compositum esse pluribus personis, quae omnes simul sumptae, non vero singulae, potestatem habent indivisam in uno coenobio. Originem autem huius instituti memoratus auctor hoc modo explicat: S. Basilius, qui non tolerabat duos vel plures conventus in uno loco (cfr. Rf. 35), coactus est suppressere monasteria non remote a se distantia et ea in unum coenobium unire, relinquendo tamen in noviter unito coenobio potestatem indivisam in manibus anteriorum Superiorum, qui unum corpus regiminis constituebant. Qui modus agendi practicus transiit postea in Regulam tamquam norma.⁴⁹

Attamen haec fortuita, a Clarke asserta, origo instituti Superiorum apud S. Basilium aegre admitti potest. Nam apud S. Basilium omnia sunt praemeditata atque solida ratione, communiter a S. Scriptura desumpta, confirmata; quodque dicendum est praesertim si agitur de Superiore—instituto centrali disciplinae monasticae. Ceterum S. Pater clare

⁴⁷ Ὡστε καὶ τὸ ἐσφαλμένως ποτε γινόμενον ἐν τῇ κρίσει τῶν πολλῶν ἀξιοπιστῶς ἀποκαλωφθῆναι καὶ τὸ κατορθωθῆναι τῇ μαρτυρίᾳ τῶν πλειόνων βεβαιωθῆναι. Cfr. SZERTYCKY, *Pravyla*, p. 17.

⁴⁸ Cfr. Rf. 24 et I Cor. XIV, 40.

⁴⁹ Cfr. LOWTHER CLARKE, *The ascetic Works of saint Basil*, p. 40, et eiusdem auctoris, *St. Basil the great a study in monasticism*. Hoc ultimo opere in pag. 103 loquens de desiderio S. Basilii videre aliquando monasteria diversarum regionum unita allegat Rf. 35 et in nota 4 dicit: « The quondam Superiors hold a place of some authority by side of the Superior of the one monastery. Does not this help to explain the unique position of the senior brethren? See pp. 94, 95 ».

In pag. vero 94/5 loquitur de appellatione simplicis monachi ad « seniores τοῖς προσετώσιν et explicat: « The usual meaning of the word is the head of the monastery, but as in this case the appellant monk is in the singular and those to whom he appeals in the plural, it is natural to conclude that a class of seniors or superiors within the monastery is in vien ». In notula vero 1 (pag. 95) adiungit: « Another interpretation of an appeal to a council of abbats of different monasteries is improbable ».

distinguit inter Superiorem et seniores, ad quod probandum satis est videre Rf. 27, qua S. Pater officium tum Superioris tum seniorum designat et dicit: ὁ προσετώως ὑπεύθυνός ἐστιν ὁδογεῖν εἰς πάντα τὴν ἀδελφότητα, deinde de senioribus: τοῖς πρόεσι τὴν τε ἡλικίαν καὶ τὴν συνέσιν ἐπιτρέπειν χρῆ τὴν ὑπόμνησιν.

Ergo unus est Superior, qui opponitur senioribus. Hi vero « aetate et prudentia praestantes » possunt quidem Superiorem admonere, immo Superioris agendi modum investigare,⁵⁰ ad consilium et deliberationem a Superiore sunt vocandi,⁵¹ at nullibi statuitur aut supponitur iisdem eandem competere potestatem ac Superiori.

Praeterea habentur testimonia, quae declarant S. Basilium non tolerasse plures Superiores. Regula enim brevior 303 statuit principium: πρῶτον μὲν, ὅτι ἀταξίας ἔμψασιν φανερώς δίδωσιν, ἐν τῷ παρὰ πάντων λέγεται τι. Quod generale principium S. Pater applicat in Rf. 45 et praescribit, ut a Superiore et senioribus designetur Superioris vicarius eo praecipue fine, ne Superiore absente, « ab omnibus aliquid dicatur ». Tempore ergo Superioris absentiae potestas residere debet non apud omnes, ceteros seniores, sed apud unum determinatum.

Huic unitati Superioris non obstat circumstantia, quod in quibusdam regulis terminus Superior adhibetur in numero plurali προσετώωτες e. g. Rf. 30, Rb. 105, 106, 119. Maiorem tamen difficultatem affert Rb. 119 ubi quaeritur, an liceat unicuique assignatum sibi opus recusare et aliud quaerere, scil. propria auctoritate. S. Pater dat negativum responsum, nam hoc est contra oboedientiam et rectum ordinem, in fine tamen addit clausulam:

« Quodsi inesse sibi rationem aliquam operis recusandi putet, declarat illam praefectis idque expendendum relinquat ».⁵² Maior difficultas in hac regula oritur ex eo, quod plures προσετώωτες in eodem coenobio esse videntur ac ipse subditus opus recusans.

Solutio huius difficultatis in hypotesi Clarke sat est facilis, scil. S. Basilium probabiliter utramque denominationem προσβύτεροι et προσετώωτες eodem gremio personarum, quae cum indivisa potestate praesunt coenobio singulari, applicat, sed cum aliqua differentia sensus; nempe si vult sublineare earum officium in monasteriis suppressis, tunc vocat eas προσετώωτες, si vero vult indicare earum experientiam spiritualem, quae saepe est connaturalis consequentia provecioris aetatis, tunc adhibet verbum προσβύτεροι.⁵³

Humbertclaude vero aliam solutionem dat, cuius summa haec est: S. Basilium ab omni terminologia, quae in S. Scriptura non invenitur. Ideoque etiam in designandis tanti momenti officiis uti Superior et consiliarii denominationem quaerebat in S. Scriptura. In hac vero invenitur revera aptus locus: οἱ καλῶς προσετώωτες προσβύτεροι⁵⁴ quem S. Ba-

⁵⁰ Rf. 48.

⁵¹ Rf. 45, 48; Rb. 104.

⁵² Εἰ δέ τινα λόγον ἔχειν νομίζει τῆς παραιτήσεως τοῦ ἔργου, φανεροῦτω τοῦτον τοῖς προσετώωσι καὶ καταλιμπανέτω τῇ ἐκείνων δοκιμασίᾳ.

⁵³ *The ascetic Works of saint Basil*, p. 42.

⁵⁴ I Tim. V, 17.

silius citat in Rb. 170. In textu autem S. Scripturae *προεστώτες* non habet sensum substantivi, sed participii et tota vis ponitur in verbo praesbyteri, *προεσβύτεροι*. In eodem ergo sensu utitur illis duobus terminis etiam S. Basilius, quod demonstrat Rb. 303, ubi *προεστώς* non nisi in sensu participii sumi debet propter participium correspondens *διατασσόμενος*.

Quod Humbertclaude generalisat et asserit in omni casu termino *προεστώς* anteponi posse, sicut in textu S. Pauli, terminum substantivum *προεσβύτερος*. In praedicto ergo gremio omnes quidem sunt *προεσβύτεροι*, sed unus tantum est *προεσβύτερος προεστώς*. Ceteri vero *προεσβύτεροι* vocantur etiam aliquando *προεστώτες* ob aliquam participationem potestatis Superioris.⁵⁵

Unde Rb. 119 nihil aliud est, nisi consequentia Rf. 27, ubi potestas admonendi Superiorem non datur omnibus, sed solis senioribus. Hinc qui putat se rationem habere recusandi opus a Superiore designatum, manifestet eam senioribus, hi vero secundum proprium iudicium *δοκιμασία* monebunt vel non Superiorem.⁵⁶

Consideratis tamen omnibus hisce locis, quibus sermo est de Superiore in numero plurali, manifestum est S. Basilius non intendere in eis officia et conditionem Superioris atque seniorum definire, sed aliam rem determinare; sunt autem aliae regulae, uti Rf. 27, 48, Rb. 104, in quibus S. Pater revera intendit conditionem Superioris et seniorum definire et in hisce regulis tum unitas Superioris, tum eiusdem conditio omnino diversa ab illa seniorum manifesta est. Confirmemus hoc exemplis:

In Rb. 104 quaeritur, quomodo committenda sint fratribus officia, utrum a solo Superiore vel potius cum fratre suffragio et respondit, Superiorem meminisse debere in omni negotio S. Scripturae: « Fac omnia cum consilio » inde et munera committere debere « adhibito eorum, qui ad hoc apti sunt, iudicio ». Vidimus et interrogationem et responsum proprie tangere officia tum Superioris, tum seniorum, ideoque et unitas Superioris est manifesta. Sed statim regula sequenti 105 casus est diversus. Interrogatur num ii, qui accedunt ad fratres debeant statim artes ediscere. Responsio datur brevis et generalis: *οί προεστώτες δοκιμάσουσιν*. Similis casus habetur etiam in Rb. 106, ubi iudicio praepositorum in genere *δοκιμασία τῶν προεστῶτων* relinquitur tempus et modus puniendi. In hisce regulis manifestum est a S. Patre dari normam generalem, quae ad omnes Superiores refertur.

Similiter etiam in Rb. 119 S. Pater non intendit officia Superioris et seniorum designare, sed totam attentionem coarctat in conditione subditi, de quo est principaliter sermo et item dat normam generalem, quae determinat in casu huiusmodi relationem inter subditum in genere seu subditos atque Superiorem in genere seu Superiores. Solutio autem haec nihil aliud est nisi practica applicatio principii a S. Patre relati in Rf. 47, quod sonat: « Cum quis praepositi statuta non admittit, debet aperte vel privatim ei contra dicere, si modo suppetat ipsi valida aliqua ratio, eaque Scripturis consentanea, vel silentio mandatum conficere ». ⁵⁷ Ergo

⁵⁵ O. c., p. 143.

⁵⁶ Ibid., p. 142.

⁵⁷ Τὸν γὰρ μὴ καταδεχόμενον τὰ παρὰ τοῦ προεστῶτος ἐγκριθέντα, χρή φανερώς ἢ ἰδίᾳ αὐτῷ ἀντιλέγειν, εἰ τινα ἔχον λόγον ἰσχυρὸν κατὰ τὸ βούλημα τῶν γραφῶν, ἢ σιωπήσαντα τὸ προσεταγμένον ποιεῖν.

non agitur hic de admonitione Superioris, quae secundum Rf. 27 nonnisi a senioribus fieri debet, sed de causa personali subditi, quam hic secundum regulam allatam ipse etiam personaliter Superiori manifestare potest.

De cetero locutiones hae sunt generales, confusae et quidem paucissimae, dum innumeri casus habentur vel potius in genere S. Pater loquitur de Superiore in numero singulari. Ergo ex illis paucis, generalibus et confusis regulis non licet concludere ad pluralitatem Superiorum in uno coenobio, eo vel magis, quod dantur regulae, in quibus clare manifestatur distinctio inter Superiorem et seniores atque eorum officia et conditio exacte determinantur.

2° - De conceptu Superioris secundum Regulam S. Basilii.

Προστώς seu Superior coenobii singularis unus est, in quem tota cura pro fratribus imposita est tam in rebus temporalibus et disciplinaribus, quam in spiritualibus. Quod patet iam ex ipsa denominatione Superioris, qui a S. Patre vocatur non solum termino tecnico προστώς vel προϊστάμενος, sed persaepe etiam per descriptionem eius muneris, uti e. g. ὁ τὴν κοινὴν φροντίδα πεπιστευμένος (Rf. 25); vel ὁ ἐπιτεταγμένος τὴν πάντων ἐπιμέλειαν (Rb. 19, 138); ὁ τὴν κοινὴν ἐπιμέλειαν πεπιστευμένος (Rb. 138).

Nota tamen maxime characteristicam Superioris in Regula S. Basilii est, quod ille ante omnia est pastor animarum in proprio coenobio sibi conceditarum. Officium eius concipitur praecipue uti cura animarum et neque vestigium habetur in Regula S. Basilii alicuius patris spiritualis, a Superiore distincti, cui, illo praetermisso, tota cura animarum commissa esset. Verum quidem Superiorem hac in re adiuvant etiam alii seniores, at ille est primus et principalis pater spiritualis monachorum proprii coenobii. Ei dicuntur monachi proprias animas gubernandas commisisse: εἰ γὰρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν ἐπετρεψάμεν αὐτῷ τὴν οἰκονομίαν Rf. 48. Directio spiritualis ei principaliter commissa est, unde Rf. 26 monet: περὶ τοῦ πάντα καὶ τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας ἀνατίθεσθαι τῷ προστώτι.

Cura animarum debet esse ex parte Superioris personalis — Rf. 26, seu Superior singillatim de unoquoque curam habere debet, prout Rf. 25 ostendit: Διόπερ ὁ τὴν κοινὴν φροντίδα πεπιστευμένος, ὡς ὀφείλων λόγον δοῦναι περὶ ἐκάστου, οὕτως διακρίσθω, et in fine: ὑπεύθυνος οὖν ἐστὶ τῇ ἀδελφότητι ἀγρυπτεῖν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν. Unde recte auctores deducunt, in Regula S. Basilii numerum monachorum in coenobio non debere esse nimis magnum, sed talem, ut Superior possit omnes subditos bene cognoscere et dirigere.

Denique S. Basilius monachis nullam aliam vitae monasticae viam indicat, nullum alium modum perfectionis acquirendae in concreto proponit, quam ipsum exemplar Superioris. Hic est regula vitae: τὸν οἶονεὶ κανόνα τοῦ ἡμετέρου βίου ἕντα,⁵⁸ ipse in omnibus coenobii sui dux esse debet: ὁ προστώς ὑπεύθυνός ἐστιν ὁδογεῖν εἰς πάντα τὴν ἀδελφότητα.⁵⁹ Quae est facillima et maxime naturalis solutio quaestionis pastoralis. Hinc in asce-

⁵⁸ Rf. 27.

⁵⁹ Ibid.

ticus S. Basilius praecipue ideale Superioris omni cum studio delineare conatur, de quo et magna pars regularum tractat, quem vult hominem ita perfectum, ut difficile sit in uno pago invenire duos vel tres homines huiusmodi, quod factum se saltem nunquam cognovisse S. Pater declarat: οὐδὲ ἐγνωμέν ποτε.⁶⁰

Quemadmodum tamen ex una parte Superior in Regula S. Basilii est pastor animarum, ita ex altera parte nullibi vestigium invenitur alicuius praelaturae, cuius expressa lineamenta in monachatu occidentali iam in Regula S. Benedicti habentur (cfr. cap. 2). E contra in Regula S. Basilii praepositus non desinit esse unus e monachis ab aliis non nisi maiore humilitate distinctus, qui in Rf. 27 simpliciter ἀδελφός denominatur.⁶¹

3° - De Superioris qualitatibus.

Ex conceptu Superioris logice effluunt etiam Superioris qualitates, propterea vero, quod Superior concipitur maxime ut animarum pastor, inde et qualitates eius huic characteri correspondere debent. De illis ex professo agit Rf. 43, ubi et interrogatur: τοὺς δὲ προσετώτας τῆς ἀδελφότητος ὁποίους εἶναι χρή; sed et in aliis regulis S. Pater ad idem thema saepe revertit, uti e. g. Rf. 30, 35.

In iisdem autem, praeter solidas virtutes, praecipue charitatis et humilitatis, requirit S. Pater a Superiore tamquam ab eo, qui curam totius communitatis habere et relationes cum extraneis tenere debet quasdam proprietates naturales, innatas. Ita e. g. in Rf. 35 vult eum προορατικόν, ἐν λόγῳ τὸ ἀτάρκες ἔχοντα, νηφάλιον, εὐσπλαγγνον; similiter in Rf. 43: « pervigilem in administrandis rebus praesentibus, providum futurorum, peritum decertandi cum fortibus et debilium infirmitates perferendi, talem, qui omnia facere et dicere possit ad eorum, qui secum degunt, perfectionem ».⁶²

Praeterea requirit S. Pater a Superiore, ut sit in S. Scriptura peritus. Nam Rb. 235 distinguit duos status in vita monastica: eorum 1) qui aliis praeficiuntur et 2) quorum est oboedire. Postea ad quaestionem propositam, an expediat e Scriptura multa ediscere respondet indirecte affirmando, illum, cui praefectura et cura plurium concredita est, scire et ediscere debere ea, quae omnibus congruunt. Sed praecipuus fons inde edisci illa possunt, prout ipsa interrogatio insinuat, est S. Scriptura.

Dein praefecturam nemo sibi assumat, sed Superiorem eligere debent aliorum coenobiorum Superiores (Rf. 43); hinc in lumine huius Regulae intelligenda est regula fusior 35, ubi Superior monasterii suppressi dicitur posse transferri in alium conventum, cui opus est moderatore, scil. adimpleta conditione eiusdem electionis ab aliis Superioribus vicinis.

⁶⁰ Rf. 35.

⁶¹ Cfr. SZEPTYCKYJ, *Pravyla.*, p. 20.

⁶² Νηφάλιον ἐν τοῖς παροῦσι, προορατικόν τῶν μελλόντων, ἱκανόν μὲν τοῖς ἰσχυροῖς συναθλεῖν, τῶν δὲ ἀδυνάτων βαστάζειν τὰ ἀσθενήματα, καὶ πάντα ποιεῖν καὶ λέγειν δυνάμενον πρὸς καταρτισμὸν τῶν συνόντων.

Inde etiam patet non esse necessarium in Regula S. Basilii, ut Superior sit membrum eiusdem coenobii, cui praeficitur.

Remanet solum quaestio, utrum Superior in Regula S. Basilii sacerdos esse debeat et de gremio seniorum eligendus.

Humbertclaude utrumque clare affirmat, scil. Superior eligendus est de gremio seniorum, hi vero sunt sacerdotes.

Egrediendo enim ex analysi ipsius denominationis *προεστώς* quae anteponendum substantivum *πρεσβύτερος* requirit, prout supra indicavimus,⁶³ concludit: « Le supérieur doit en effet... être charismatique comme les *πρεσβύτεροι*. Il a donc été pris dans cette classe et les *πρεσβύτεροι* à leur tour pourront être choisis un jour ou l'autre pour le remplacer. Le presbytérat donne l'aptitude; l'élection, l'autorité. Tous sont *πρεσβύτεροι*. mais il n'y a qu'un *πρεσβύτερος προεστώς*.⁶⁴ Hic ergo auctor clare affirmat Superiorem eligendum esse e gremio seniorum, nam presbyteratus dat aptitudinem ad superioratum, et ipse Superior consequenter est etiam *πρεσβύτερος*. Dein etiam ostendit, seniores insignitos fuisse caractere sacerdotali, cuius rei argumenta videbimus postea.

Revera est omnino naturale, ut ille, qui principaliter curam spirituales omnium habere debet (Rf. 48), cui arcana cordis sunt revelanda (Rf. 26), qui pro salute uniuscuiusque respondebit (Rf. 25), qui sine dubio ante omnes ponendus est inter eos, quibus restricta est confessio peccatorum, tamquam iis, qui curare haec possunt (Rb. 229) — sit sacerdos, dummodo in genere communitatem monasticam Basilianam componunt etiam sacerdotes. Sed in coenobiis Basilianis sacerdotes habentur, quos, ut prognostice hoc indicemus, expresse commemorat Rb. 231, sed praecipue Epist. 256.⁶⁵

Simili modo respondendum est quoad alteram conditionem sub quaestione proposita. S. Basilius supponit, Superiorem, antequam constituatur, iam cum regimine coenobii monastici aliquomodo occupatum fuisse, ubi et specimina idoneitatis ad gubernandum dedisse. Hoc plane effluit e Rf. 43, quae affert illud S. Pauli: « Et hi enim probentur primum, dein ministrent ». In eodem sensu loquitur etiam Rb. 303: « Par itaque fuerit eum, qui praeficitur communitati praeponiturque omnibus, multo cum examine hanc curam suscipere ».⁶⁶

Sed ii, qui cum regimine coenobii praeter Superiorem aliquomodo sunt occupati, quique specimina ad gubernandum dare possunt — sunt seniores *πρεσβύτεροι*. Hi sunt illi « probati », qui ad « ministrandum » eligi debent.

4° - De Superioris potestate.

Quia Regula S. Basilii alium Superiorem praeter localem de facto nondum supponit, consequenter huius potestas dicenda est, considerato eius gradu in coenobio — suprema, considerato vero eius obiecto — amplis-

⁶³ Pg. 8

⁶⁴ O. c., pg. 143.

⁶⁵ GARNIER-MARAN, o. c., t. III, pg. 390.

⁶⁶ Δεῖ τοίνυν τὸν μὲν προεστῶτα τοῦ κοινοῦ καὶ διατασσόμενον τοῖς πᾶσι: μετὰ πολλῆς δοκιμασίας ἐγχειρισθῆναι τὴν φροντίδα ταύτην.

simam. Haec amplitudo exprimitur a S. Patre modo indirecto, imposita nempe Superiori obligatione ducere fratres in omnibus: ὁ προεστὼς ὑπεὶ θεοῦ ἐστὶν ὁδογεῖν εἰς πάντα τὴν ἀδελφότητα (Rf. 27). Alibi idem indicatur per determinationem obiecti huiusmodi potestatis, quod est: 1) disciplinam inter fratres instituere 2) opera et officia distribuere:

« Si quis eiusmodi est, accipiat praefecturam, instituatque inter fratres disciplinam et opera, prout unusquisque idoneus est, dispertiat »⁶⁷ (Rf. 43). Praeterea haec potestas est sui generis absoluta seu consensu seniorum non limitatur. Verumquidem S. Basilius urget, ut Superior ad consilium aliorum saepe recurrat secundum illud S. Scripturae: « Fac omnia cum consilio ».

Immo in Rf. 48 loquitur de iis: « qui tum gradu, tum prudentia ipsi praepositi sunt proximi, quos etiam necessario ad consilium et deliberationem de rebus communibus faciendam, adhibebit », ⁶⁸ seu de stabili officio consultorum, ad quos Superior necessario recurrere debet, si de bono communi agitur, attamen ultima decisio de re aliqua vel causae alicuius erit penes Superiorem.

Quod principium generale applicatur in casu particulari in Rb. 104. Ad quaestionem enim propositam de conferendis muneribus et officiis:

« Quomodo debent fratribus munera et officia committi? utrum a solo praefecto ita iudicante, an etiam fratribus suffragium ferentibus? itemque in sororibus similiter », ⁶⁹ S. Pater respondit: adhibito eorum, qui ad hoc apti sunt, iudicio ». ⁷⁰

Quod vero δοκιμασία hic idem valet ac in illo principio Rf. 4: βουλή καὶ σκέψις, patet ex interrogatione, ubi adhibetur verbum τῶν ἀδελφῶν ψηφισομένων, sed maxime ex Rb. 148, ubi sermo est de uno tantum conferente munus cellarii post praevium examen; atque e Rf. 43 superius citata.

Adhuc in Rf. 27 iisdem consultoribus seu senioribus datur potestas Superiorem admonendi; ad quam revocat etiam Rb. 103.

Unicus casus, in quo seniores cum proprio consensu intervenire videntur, refertur in Rf. 45, ubi urgetur, ut praeter Superiorem, praecipue pro tempore huius absentiae, sit etiam aliquis alius; ἔστω τις καὶ ἕτερος μετὰ δοκιμασίας αὐτοῦ τε καὶ ἄλλων ἱκανῶν δοκιμάζειν, quod Garnier vertit simpliciter: « cum approbatione tam ipsius (i. e. superioris), quam aliorum, qui approbandi periti sint, ad hoc delectus ». Ergo constitutio Superioris vicarii aequali modo pendet a iudicio Superioris, quam aliorum, qui ratione peritiae non nisi seniores intellegi debent; nam huiusmodi constitutio fit per communem eorum electionem, propter evidentem cum ipsius Superioris electione analogiam, in qua et causa huiusmodi seniorum interventus videri potest.

⁶⁷ Ὅθεν καὶ ὁ τοιοῦτος ἐπιτροπέσθω τὴν προστασίαν καὶ τὴν ἐδρασίαν ὁρίζετω τῇ ἀδελφότητι τὴν διανομήν τῶν ἔργων καθ' ἕνα ἑκαστος ἐπιτησείως ἔχει, ποιούμενος.

⁶⁸ Τῶν ἐγγυτέρων τοῦ προεστῶτος καὶ βεθιμῶ καὶ συνέσει, οὗς δὲ εἰς τὴν περὶ τῶν καινῶν βουλήν τε καὶ σκέψιν ἀναγκαιῶς παραλήψεται.

⁶⁹ Πῶς χρὴ τὰς φροντίδας ἐγχειρίζειν τοῖς ἀδελφοῖς; μόνου τοῦ προεστῶτος τὴν δοκιμασίαν ποιούμενου, ἢ καὶ τῶν ἀδελφῶν ψηφισομένων; ὁμοίως δὲ καὶ ἐν ταῖς ἀδελφαῖς.

⁷⁰ Μετὰ δοκιμασίας τῶν εἰς τοῦτο ἐπιτηδείων γίνεσθαι χρὴ.

APPENDIX; OBIECTUM POTESTATIS SUPERIORIS.

Delineata natura potestatis Superioris in Regula S. Basillii, iam eiusdem quaedam obiecta ab ipso S. Patre in regulis enumerata indicabimus.

A) *Obiecta potestatis praeceptivae.*

- 1° - Admittit accedentes ad novitiatum.⁷¹
- 2° - Decernit, utrum statim ediscere debent aliquam artem.⁷²
- 3° - Admittit novitios ad monasticam professionem.⁷³
- 4° - Designat ordinem in coenobio servandum.⁷⁴
- 5° - Decernit, quisnam monachorum laborare, quis vero Scripturas ediscere debet.⁷⁵
- 6° - Dispensat a communi mensa.⁷⁶
- 7° - Decernit de mensura ciborum.⁷⁷
- 8° - Licentiam concedit extraneis inter claustra ingredi monasterii visitandi gratia.⁷⁸
- 9° - Designat seniores.⁷⁹
- 10° - Designat oeconomum, cellarium ceterosque omnes officiales et munera dispertit.⁸⁰
- 11° - Ad eum pertinet suprema potestas administrativa.⁸¹
- 12° - Unde ad eum pertinet recipere bona et dona coenobio oblata, alii autem administratores rationem ei reddere debent.⁸²
- 13° - Licentiam dat vendendi, permutandi aut alio modo alicui tradendi res; designat locum et deputat personas, quando agitur de rebus vendendis extra coenobium; de hac re convenit cum aliis coenobiis.⁸³

B) *Obiecta potestatis iudicialis.*

Sunt controversiae inter fratres enatae, quas tamquam supremus coenobii iudex decernit. De hac re agit Rf, 49, cuius sensus hic est:

Causa contentiosa inter fratres commitenda est in primis iudicio arbitri a Superiore approbati ad stabiliter huiusmodi causas videndas. Hic decernit, utrum causa determinata referenda est ad iudicium seniorum aut denique Superiori deferenda.

Illud: ἡ εἰς κοινὴν ἐπίσκεψιν προτιθέσθαι τῇ ἀδελφότητι: intelligimus hic non totius communitatis examen, prout verbum sonat, sed iudicium seniorum. Nam S. Ba-

⁷¹ Rf. 10, 11, 12.

⁷² Rb. 105.

⁷³ Rf. 15.

⁷⁴ Rf. 47.

⁷⁵ Rb. 95, 96.

⁷⁶ Rb. 136.

⁷⁷ Rf. 19.

⁷⁸ Rf. 32.

⁷⁹ Cfr. infra.

⁸⁰ Rf. 43; RRbb. 104, 147, 148, 156.

⁸¹ RRbb. 142, 146.

⁸² Rf. 44, RRbb. 187, 304, 308.

⁸³ Rf. 39, 41, 44.

silius nunquam totam communitatem ad vocem admittit. In Rb. 303 ad interrogationem:

« An in fratrum communitate iis quae a quibuslibet dicuntur, oboediendum sit ».⁸⁴ Respondit:

« Primum quidem, quod manifestae perturbationis iudicium praebet, ex eo, quod ab omnibus aliquid dicatur ».⁸⁵ Dein in Rf. 45 non tolerat statum popularem communitatis δημοκρατικόν. Denique in ipsa Rf. 49 controversiarum solutiones τῶν ἐπιφητηθέντων τὰς λύσεις commitendas requirit non quibuscumque, sed peritis, qui et tamquam communitatis repraesentantes et aetate et prudentia eminentes intelligi debent seniores.

C) Obiecta potestatis coërcitivae.

1) Potest fratres propter commissum delictum increpare et obiurgare.⁸⁶

2) Poenitentias infligere.⁸⁷

In electione poenitentiarum Superior est liber; potest imponere omne genus poenitentias: humilitatis exercitia, silentium, preces, laborem, ieiunia, separationem a ceteris (cfr. Rf. 51).⁸⁸

5° - De Superioris obligationibus.

Generalis obligatio Superioris, quae ex ipso eius fine effluit, est ducere fratres in omnibus (εἰς πάντα, Rf. 27). In concreto autem praecipua eius obligatio, supposita speciali nota characteristicam Superioris Basiliani tamquam animarum pastoris, erit pro animabus fratrum vigilare et tamquam illius, qui rationem de singulis redditurus est, ea, quae ad cuiusque salutem faciunt, curare.⁸⁹

Hunc ad finem ipse omnibus exemplo suo praecire debet,⁹⁰ inde non licet ei e. g. saepe cum sororibus colloqui.⁹¹

Medium autem ordinarium curae animarum ex parte Superioris est spiritualis adhortatio, παράκλησις τοῦ λόγου⁹² et spiritualis directio personalis.⁹³ Hinc necessaria est ei scientia S. Scripturae.⁹⁴

Ad communem vero ordinem servandum vigilare debet ne « regula » et « tradita disciplina dissolvantur »,⁹⁵ hinc delinquentes increpare

⁸⁴ Εἰ γὰρ ἡ παρά πάντων λεγομένη ὑπακούει ἐν ἀδελφότητι.

⁸⁵ Πρῶτον μὲν, ὅτι ἀταξίας ἔμφρασιν φανερώς δίδωσιν ἐν τῷ παρά πάντων λέγεται τι.

⁸⁶ Rf. 50.

⁸⁷ Rf. 51.

⁸⁸ Haec ultima poenitentia, quae secum fert etiam separationem operis poenitentis (Rb. 39), quamque posteriores auctores ascetici orientales ignorant, est speciale genus excommunicationis, quae provenit e persuasione, quod quaedam peccata maculant et infectant omnes res, quas monachus non tangeret. Cfr. СЗЕРТΥСКУЈ, o. c., p. 18.

⁸⁹ Rf. 25.

⁹⁰ Rf. 43.

⁹¹ Rbb. 108, 109.

⁹² Rf. 45.

⁹³ Rf. 26.

⁹⁴ Rbb. 98, 235.

⁹⁵ Rf. 45.

et obiurgare debet⁹⁶ et si opus est, poenitentias vitiis oppositas imponere,⁹⁷ ne secus « dux caecus » evadat, ὀδηγὸς τυφλός. Eodem fine:

« permittere non debet praefectus, ut (fratres) ad quidquam distrahantur aut per speciem visitandorum cognatorum secedant a fratribus vitamque degant a testibus remotam, aut curis incumbant suis secundum carnem propinquis patrocinaturi » (Rf. 32).⁹⁸ Sed etiam ipse residentiae obligatione tenetur. Quod manifeste effluit e Rf. 45 et 35, in quibus S. Pater tam urget praesentiam Superioris in communitate fratrum, ut pro casu eius necessariae absentiae, vult alium constitui, hoc vero eo praecipue fine:

« ne fratres, absente praeposito, formam status popularis assumant » (Rf. 45).⁹⁹ Praeterea etiam quod corpus attinet curam singulorum omittere non potest; unde attendere debet, ne quis per extraordinarias mortificationes debilis evadat,¹⁰⁰ curam habere debet de aegrotis.¹⁰¹

Virium singulorum rationem prae oculis habere debet in omnibus: « ita ut congruenti sollicitudine vigilet pro singulis, ut Deo placendo, et habitatis ac virium cuiusque habita ratione, ad commune commodum sanciat imperetque » (Rh. 303).¹⁰²

Sed etiam de rebus monasterii curam habere debet, hinc ad eum pertinet receptio bonorum, quae monasterio offerentur¹⁰³ et cura de instrumentis aliaque suppellectili.¹⁰⁴

Ad munus Superioris denique pertinet relationes cum externis tenere. Hinc requirit ab eo S. Pater donum sermonis ἐν λόγῳ τὸ ἀτάρακτος ἔχοντα.¹⁰⁵

Huiusmodi vero extranei diversi esse possunt. Saepissime erunt sorores secundum spiritum, quas alloquitur sive ipse Superior,¹⁰⁶ sive ceteri seniores.¹⁰⁷

Monasteria Basiliana debent esse exempla hospitalitatis; hinc requirit S. Pater ut Superior, aut in eius absentia Superioris vicarius:

« advenientibus hospitibus prudenter respondeat, ut et qui sermonem requirunt, aedificentur pro argumenti dignitate ». ¹⁰⁸

Denique coenobium advenire possunt parentes vel fratres secundum

⁹⁶ Rf. 50, Rb. 99.

⁹⁷ Rf. 25, 51.

⁹⁸ Μὴ ἐπιτρέπε. καὶ παρὰ τοῦ προεστῶτος πρὸς μηδὲν ἀπομειωρίζεσθαι· μηδὲ προφάσει οἰκείων

ἐν τῇ προστασίᾳ τῶν συγγενῶν κατὰ σάρκα.

⁹⁹ Μὴ ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τοῦ προεστῶτος δημοκρατικὸν τι σχῆμα μεταλαμβάνειν τὴν ἀδελφότητα.

¹⁰⁰ Rf. 19.

¹⁰¹ Rf. 19.

¹⁰² Καὶ ἐκάστῳ κατὰ τὸ πρέπον ἐπαγροπνεῖν τῇ μερίμνῃ, ὅπως εὐαρέστως τῷ Θεῷ καὶ ἰστοχασμένως τοῦ ἐκάστου ἐπιτηδεύότητός τε καὶ δυνάμειως πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον διατάσσεται καὶ ἐπιτάσσῃ.

¹⁰³ Rf. 9; Rb. 187.

¹⁰⁴ Rb. 146.

¹⁰⁵ Rf. 35.

¹⁰⁶ Rbb. 108, 109, 111.

¹⁰⁷ Rf. 33.

¹⁰⁸ Τῶν ξένων εἶναι τὸν ἀποκρινόμενον συνετῶς, ἵνα οἱ τε τὸν λόγον ἐπιζητοῦντες οἰκοδομοῦνται τῆς ὑποθέσεως ἐπαξίως. Rf. 45.

carnem alicuius fratris. Illi, si quidem secundum Deum vivunt, debent esse obiectum specialis curae ipsius Superioris.¹⁰⁹

Data illa descriptione officii Superioris iam necessaria consequentia effluit Superiori deberi honorem et reverentiam. Unde Superior ab omnibus beneficis habendus est,¹¹⁰ etiamsi poenam irrogaret debetur ei a puni-
to animus gratus et reverentia.¹¹¹ Dein non licet cuique eius rationem agendi investigare,¹¹² contra eum querelam clam facere,¹¹³ aut eum detrahere.¹¹⁴ E contra munus ab eo commissum accipit testimonium-sigillum mandati divini,¹¹⁵ unde sancte explendum sit.

§ 3.

Οἱ Πρεσβύτεροι SEU SENIORES SEU SUPERIORIS CONSULTORES.

Ex hucusque dictis figura seniorum in ordine ad regimen coenobii sat est nota. Nunc complere restat quod eorum conditionem in Regula S. Basilii in genere spectat. Prout iam expositum est seniores ordinarie vocantur *πρεσβύτεροι*, investigandum ergo est, quinam intelligi debeant sub isto termino.

Quidam identificare eos volunt cum presbyteris in hodierna terminologia seu cum sacerdotibus, *ἱερεῖς*. Quod vero illo tempore terminus *πρεσβύτερος* aliam significationem habuit, hodie est extra quaestionem. In Regula S. Basilii *πρεσβύτερος* erat quidem *ἱερέως* attamen non simplex. Sunt tamen aliqui, qui negant illis competere in Regula S. Basilii characterem sacerdotalem. Ita e. g. notus iam Clarke quatuor argumentis hoc probare conatur:

- 1) nihil clare in textu S. Basilii hunc characterem indicat, neque verba *ἡ οἰκονομία τῶν μυστηρίων*.
- 2) in Regula praeter *πρεσβύτεροι* habentur etiam *πρεσβυτέραι*.
- 3) quando S. Basilii vult loqui de sacerdotibus, utitur termino *ἱερέως*.
- 4) confessio quae facienda est *τοῖς πρεσβυτέροις* non est sufficiens argumentum ad eorum characterem sacerdotalem probandum, nam confessio peccatorum tunc temporis fiebat etiam laicis.¹¹⁶

Ad haec argumenta respondemus cum Humbertclaude:

1) Verum quidem phrasis *ἡ οἰκονομία τῶν μυστηρίων* non potest esse argumentum decisivum pro probando caractere sacerdotali apud S. Basilium, nam e Rbb. 98 et 288 patet phrasi illa designari interpretationem et praedicationem doctrinae Christi evangelicae. Ergo saltem aliquando

¹⁰⁹ Rf. 32.

¹¹⁰ Rf. 52.

¹¹¹ Rf. 52.

¹¹² Rf. 48.

¹¹³ Rf. 47.

¹¹⁴ Rf. 27.

¹¹⁵ Rb. 154.

¹¹⁶ CLARKE, *The ascetic Works*, p. 39-42, 46-52.

haec phrasis characterem sacerdotalem apud S. Basilium non significat. Attamen haec phrasis non est unicum argumentum.

2) Aliud est quid, si agitur de iuxtapositione terminorum *πρεσβύτεροι* et *πρεσβυτέρα*. Nam in Regula S. Basilii conditio illorum est omnino diversa ab harum conditione. Cum enim S. Pater ordinarie strenue requirat, ne unus etiamsi senior cum una sorore colloquatur, sed ex utraque parte requirat saltem duas personas et quidem non simplices, sed seniores; ¹¹⁷ quasi oppositum casum habemus in Rb. 110 ubi unus senior *πρεσβύτερος* confessionem recipit ab una et quidem non *πρεσβυτέρα*, sed simplici sorore, *ἀδελφή*. Ergo adiuncta plane indicant, agi hic de vera confessione sacramentali et consequenter *πρεσβύτερος* characterem sacerdotalem habere dicendus est. Verumquidem mentio fit hic etiam *τῆς πρεσβυτέρας*, praesentis, nam praecise quaeritur, an sorore confitente, *ἔξομολογουμένης ἀδελφῆς* adesse oporteat etiam *πρεσβυτέραν*, ad quod S. Pater respondet affirmative. Sed haec praesentia est solum remota pro fine habens id, quod ipse S. Pater indicat, nempe, ut honestius et cautius fiat confessio. Idem confirmat etiam Rufin, qui terminum *πρεσβύτερος* vertit per presbyter, attamen *πρεσβυτέρα* non analogice per presbyteria, sed mater monasterii. ¹¹⁸

3) Tertium argumentum Clarke quasi confirmat nostram hypothese. Nam, si S. Basilium pro sacerdote utitur termino *ἱερεὺς*, non vero *πρεσβύτερος*, planum est *πρεσβύτερος* non esse simplicem sacerdotem, sed cum quibusdam qualitatibus. Cum enim S. Basilium ad vitam monasticam reciperet homines ex omnibus classibus, inter quos etiam servos ¹¹⁹ et maritos, ¹²⁰ non raro etiam sacerdotes. Donec tamen hi in novitiatu vel etiam uti simplices monachi manebant, vocabat eos communi nomine *ἱερεὺς*, quando vero deinde propter speciales qualitates designati sunt, ut participant in domus gubernatione et in animarum directione denominat eos *πρεσβύτεροι*.

Sed videtur tota difficultas evanescere, si consideratur inscriptio epistolae 256, quam S. Basilium misit suis monachis commorantibus in uno monasterio post combustas ab Arianis eorum aedes. Quae ita sonat: *τοῖς ποθεινοτάτοις καὶ εὐλαβεστάτοις ἀδελφοῖς συνπρεσβυτέροις, Ἀκακίῳ, Ἀετίῳ, Παύλῳ καὶ Σιλουάνῳ καὶ Σιλουίνῳ καὶ Λουκίῳ διακόνοις καὶ λοιποῖς μανάζουσι ἀδελφοῖς, βασιλεῖος ἐπίσκοπος.*

Ex hac inscriptione duo concluduntur: 1) tres primi in epistola enumerati certe sunt sacerdotes, quia opponuntur diaconis, 2) non sunt simplices sacerdotes, sed qui monasterio praesunt, nam ad eos principaliter dirigitur epistola atque ceteris fratribus opponuntur. Vocantur autem *πρεσβύτεροι*, ergo *πρεσβύτεροι* sunt sacerdotes. ¹²¹

Recte ergo animadvertit de Meester in fundamento huius epistolae: « Omnibus notum est in monachatu primitivo, praesertim eremitico, monachos sacerdotio haud insignitos fuisse. Cfr. vitam S. Pachomii — Acta

¹¹⁷ Rf. 33.

¹¹⁸ L. HOLSTENII, *Codex Regularum*, t. VI, p. 107, interrog. 199.

¹¹⁹ Rf. 11.

¹²⁰ Rf. 12.

¹²¹ HUMBERTCLAUDE, o. c., p. 146-151.

SS. t. III (10, Maii), p. 303. Postea, S. Basilius aliique legislatores definitum monachorum numerum eligi sanxerunt, qui impositionem manuum susciperent, iuxta necessitates ecclesiae monachalis et monachorum ipsorum. S. Basilius, *Epist.* 256 P. G. t. XXXIX, col. 945. — S. Nilus, *Oratio in Albianum* P. G. t. LXXIX, col. 707 — S. Gregorius Nyssenus in *Vita S. Macrinae*, *ibid.* t. XLVI, col. 974, c. 11. — S. Benedictus — *Regula* c. LXI etc.¹²²

4) Quartum argumentum seu obiectio Clarke iam non indiget responsione. Nam etsi illo tempore possibilis erat confessio etiam coram laicis, in *Regula* tamen S. Basilii, ubi mentio fit confessionis senioribus faciendae, illa praesumenda est sacramentalis, sunt enim hi sacerdotes. Ita ergo e. g. in Rb. 229, 110, 288.

Figura ergo iuridica seniorum ex omnibus hucusque consideratis aliisque regulis simul collatis haec est:

1) Sunt sacerdotes, sed non simplices, constituunt enim consilium Superioris, ideo sunt in gradu constituti, ἐν ἱερατικῷ, qui presbyteratus vocatur et idem valet ac esse Superioris consiliarium.¹²³

2) ordinarie sunt aetate provectiores.¹²⁴

3) prudentia aliisque virtutibus eminent.¹²⁵

4) non erant multi, sed pauci 2 vel 3, quod concluditur e Rf. 33, ubi S. Pater vult, ut relationes fratres inter et sorores per seniores fiant enumeratque eos 2 vel 3. Confirmatur idem enumeratis in inscriptione epistolae 256 atque locis S. Scripturae, quos S. Basilius senioribus applicat, videlicet I Cor. XIV, 29: προφηταὶ δὲ δύο, ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν,¹²⁶ et Deut. XIX, 15: « Sed in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum ».¹²⁷

5) Designantur a Superiore. Probatur hoc ex eo, quod ad eorum munus principale pertinebat directio spiritualis.¹²⁸ Sed expresse dicitur in Rf. 53 munus directoris spiritualis committere coenobii Superior. Dein ex generali principio a S. Patre enuntiatio in Rf. 43.

De seniorum officio:

a) consilium dare Superiori¹²⁹

b) Superiorem admonere¹³⁰

c) verbi ministerium. Donum sermonis debebat esse in senioribus nota characteristicam quodque fons erat aliorum attributorum. Huius praecipue doni gratia est illorum interrogare et discutere de causis aliorum,¹³¹ alloqui extraneos,¹³² visitare saeculares extra monasterium,¹³³ al-

¹²² *De monachino statu*, art. 13, com. 2, 4°, p. 95.

¹²³ Rf. 48.

¹²⁴ Rf. 27.

¹²⁵ Rf. 48, Rb. 104.

¹²⁶ Citatur in Rb. 303.

¹²⁷ Citatur in Rf. 33.

¹²⁸ Rf. 26, Rb. 113.

¹²⁹ Rf. 48.

¹³⁰ Rf. 27.

¹³¹ Rff. 13, 49.

¹³² Rf. 32.

¹³³ Rb. 311.

loqui monachorum coetum,¹³⁴ colloqui cum sororibus.¹³⁵ Unde illis sicut et Superiori necessaria est scientia S. Scripturae.¹³⁶

d) directio spiritualis — haec porrigit se tum ad fratres tum ad sorores.¹³⁷

§ 4.

DE CETERIS OFFICIALIBUS.

A) De Superioris vicario.

De Superioris vicario in regulis bis mentio fit, scil. per accidens in Rf. 35 et per se in Rf. 45.

In Rf. 35 S. Pater ostendendo rationabilitatem unius tantum in uno pago monasterii condendi propter dignos superioratu candidatos haud facile inveniendos, pro casu exceptionalis consilium dat, ut labor inter huiusmodi candidatos in hunc modum dividatur:

« videlicet, ut peregre profecto altero aut occupatione aliqua distento, aut aliis quibusdam casibus impedito, quemadmodum usu venit, ut si unus aliquis praepositus secedat nonnunquam a fratrum conventu, praesto sit alter, qui de eius absentia ipsos consoletur ».¹³⁸

Rationibus in hoc consilio expositis S. Pater motus postea in Rf. 45 iisdem iterum propositis vicarii Superioris necessitatem indicavit officiumque eius descripsit, quod ad tria praecipue se porrigit, nempe: 1) ad communitatis, tempore praesertim Superioris absentiae adhortationem, 2) ad vigilantiam, ne disciplina inter fratres dissolvatur, 3) ad recipiendos advenientes hospites.

Eligebatur vicarius Superioris ab ipso Superiore et senioribus prout eadem regula expresse dicit. Considerato vero eius officio et qualitatibus ad idem requisitis, quae omnino identificantur cum illis Superioris, dicendum est, illum de gremio seniorum eligendum esse.

B) Ὁ Οἰκόνομος seu Oeconomus.

Rbb. 149 et 150 de oeconomo loquuntur eiusque officium indicant. Ipsius est curare et disponere fratribus necessaria de rebus materialibus, uti de victu, vestitu, suppellectilibus etc. Per eum Superior suam potestatem administrativam mediate exercet. Munere oeconomi fungebantur ordinarie diaconi, prout e citata epistola 256 deduci potest.

Posterior vero traditio indicat, illos etiam sacerdotes fuisse. Ad officium oeconomi designabat Superior, consultis senioribus, prout logice concludi debet e generali principio Rb. 104. expresso.

¹³⁴ Rf. 32.

¹³⁵ Rf. 33.

¹³⁶ Rb. 235.

¹³⁷ Rf. 53; Rb. 229, 110.

¹³⁸ Ὡς ἐν τῇ τοῦ ἄλλου ἀποδημία, ἢ ἀσχολία, ἢ ἐν ἄλλαις τισὶ περιστάσεσι, καθὼς χωρίζεσθαι συμβαίνει τῆς ἀδελφότητος τὸν ἕνα τὸν προσεστώτα, εἶναι τὸν ἕτερον εἰς παραμυθίαν τῆς ἀπολείψεως.

C) *Officiales minores.*

Fit mentio in Regula S. Basili aliorum etiam minorum officiorum qui Superiorem in eiusdem generali de fratribus cura adiuuabant, uti: *magistri novitiorum*,¹³⁹ *operariorum inspectoris*,¹⁴⁰ *cellarii*,¹⁴¹ *elemosynarii*,¹⁴² qui omnes a Superiore cum consilio seniorum designabantur.

¹³⁹ Rf. 15.

¹⁴⁰ Rb. 135, 141.

¹⁴¹ Rb. 148, 156.

¹⁴² Rb. 100, 101.

CAPUT II.

De indole regiminis monachorum Ruthenorum ante annum 1617

Regula S. Basilii Magni posuit fundamenta vitae et disciplinae monasticae coenobiticae, qua posterior evolutio eiusdem disciplinae nitebatur.

Inter alios Regulam S. Basilii notabiliter complevit exigentiisque sui temporis accomodavit famosus ille vitae monasticae orientalis Restaurator alterque monachorum Pater, S. Theodorus Studita (+ 826), Archimandrita monasterii dicti « Studion » prope Constantinopolim, cuius praecipuum hac in re opus sunt « *Constitutiones monasticae* » quae simul cum numerosis litteris eiusdem scriptis ad diversos monachos « studitas », praecipue ex exilio, reddunt nobis formam vitae monasticae pluribus praescriptis accurate determinatam, quae venit sub nomine *τοπιζόν* S. Theodori Studitae.

Postquam autem in Ecclesiam Ruthenam vita monastica imprimis sub forma eremitica a S. Antonio Pecerskiensi seu Speluncatore (+ 1073) prope Kioviam introducta et propagata est, pro eiusdem organisatione S. Theodosius Pecerskiensis (+ 1074), Antonii discipulus, *τοπιζόν* S. Theodori Studitae, uti fundamentum assumpsit illudque decursu temporis exigentiis localibus accomodavit ita, ut forma vitae monasticae in Ecclesia Ruthena constitutionibus S. Theodosii ordinata novum *τοπιζόν* constituerit, quod idiomate paleoucraino venit sub nomine « *Ustav* » S. Theodosii Pecerskiensis quodque fundamentum erat disciplinae monasticae in Ecclesia Ruthena usque ad saeculum xvii, pluribus tamen subiacens mutationibus iam primis vitae monasticae in Ecclesia Ruthena saeculis propter iura ctetorica principum Ucrainorum, sed praesertim postea sub influxu disciplinae occidentalis in regno Poloniae. Characterem tamen generalem orientalem praedicta disciplina conservavit usque ad reformationem et reorganisationem monachatus Ecclesiae Ruthenae unitae a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj inchoatam anno 1617.

Non est hic scopus ostendere evolutionem disciplinae monasticae per illa octo saecula, neque solius monachorum regiminis. Sed hic nostrum interest ad finem dissertationis ostendere generalem indolem regiminis monachorum Ruthenorum praecipue immediate ante praedic-

tam reorganisationem eo fine, ut haec per oppositionem, in quonam consisteret, videatur.

Ad faciliorem vero huiusmodi indolis perceptionem quasdam normas generales proponimus, quae primo ad regimen monachorum externum, dein internum referuntur.

ARTICULUS I.

REGIMEN MONACHORUM EXTERNUM.

§ 1.

DE POTESTATE EPISCOPI.

I. Norma: Monachi eorumque monasteria iurisdictioni respectivi Episcopi loci subiecta erant.¹

Haec erat et est generalis norma iuris orientalis, quam expresse proposuit iam concilium oecumenicum Chalcedonense (a. 451) praeprimis canone 4^o, dein etiam canonibus 8^o, 23^o, 24^o. Canon quartus clarissime hoc exprimit:

« placuit nullum quidem usquam aedificare aut constituere monasterium vel orationis domum praeter conscientiam episcopi. Monachos vero per unamquamque civitatem aut regionem subiectos esse episcopo ».²

Norma tamen haec pro ipso praedicto concilio non erat nova, nam in canone 8^o, saltem quod monachos-clericos spectat, tradita a Patribus declaratur:

« Clerici, qui praeficiuntur ptochiis vel qui ordinantur in monasteriis et basilicis martyrum sub episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundum sanctorum patrum traditiones, potestate permaneant ».³

Revera antea in Regula S. Basilii vidimus, interventum Episcopi in quibusdam monachorum actibus.⁴

Canone autem 23^o eiusdem concilii prohibetur implicite monachis iter facere sine licentia Episcopi. Denique canone 24^o asseritur monasteria dedicari κατὰ γνώμην ἐπισκόπου.⁵

Eandem normam saeculo sequenti respexit Iustinianus in sua legatione.⁶

¹ Cfr. DE MEESTER, *De Monachico Statu* art. 19, § 1, p. 9.

² Ἐδοξε μὴδένα μὲν μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν μηδὲ συνιστᾶν μοναστήριον ἢ εἰκτῆριον οἶκον παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου, τοὺς δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντες ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ, PITRA, *Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I, p. 524.

³ Οἱ κληρικοί τῶν πτωχείων καὶ μοναστηρίων, καὶ μαρτυρίων ὑπὸ τῆν ἐξουσίαν τῶν ἐν ἑκάστῳ πόλει ἐπισκόπων, κατὰ τὴν τῶν ἀγίων πατέρων παράδοσιν διαμενέτωσαν. Ibid., p. 525.

⁴ Supra p. 9.

⁵ PITRA, *o. c.*, v. I, p. 530, 531.

⁶ Cfr. Nov. 5, c. 1; Nov. 67, c. 1; Nov. 131, c. 7. c. 1. 3. 43, §§ 8, 9. Nov. 5 epilog., Nov. 133, c. 2; Nov. 137, c. 5. t. 39 (40) — HERMAN, *Ricerche...*, Or. Ch. Period. vel. VI, n. III-IV, p. 355.

Concilia posteriora Ecclesiae orientalis hanc normam sanciant vel repetendo canones Chalcedonenses vel in quibusdam eandem magis determinando.

Ita concilium Trullanum canone 41° statuit, ut monachi, qui includi desiderant, examinentur prius et ad hunc vitae scopum benedicantur ab Episcopo.⁷ Canone vero 49° renovat canonem 24^{um} Chalcedonensem.⁸

Concilium VII (seu Nicaenum II) canone 4° expresse loquitur de subiectione monachorum Episcopo:

«statuimus omnino, ne turpis lucri gratia episcopus excogitet, dum quaerit excusationes in peccatis, ut aurum vel argentum vel ullam aliam speciem ab iis, qui sibi subsunt episcopis, vel clericis, vel monachis exigat».⁹

Dein canone 17° praevidetur, ad mentem canonis 4 concilii Chalcedonensis ne temere monasteria condantur, quod inspectioni Episcopi committitur.¹⁰ Denique canon 19 eiusdem concilii supponit Episcopum posse ad monasterium admittere et tantum admissio simoniaca vetatur.¹¹

Ultima de hac re synodus A'B' (Πρώτη και Δευτέρα) seu Constantino-politana I et II canone 1° propter nova motiva iterum renovat canonem 4 Chalcedonensem:

«Propterea ergo sancta definit synodus, ut nemini liceat monasterium aedificare absque episcopi sententia et consilio».¹²

Deinde canone 4° agnoscitur potestas et determinantur conditiones sub quibus Episcopus permittere potest monachis e monasterio egressum.¹³ Denique canone 6° eiusdem concilii statutum est, ut res monasterio non adscripta, sed a monacho sibi adpropriata, ab Hegumeno vel Episcopo pauperibus erogetur.¹⁴

Totam autem hanc legislationem sive canonicam sive civilem in unum collegerunt nomocanones graeci tam L titularum seu Joannis Scholastici, quam XIV titularum seu Photii. Nomocanon L titularum normam supra relatam exprimit in titulo 33:

«quod oportet monachos subiectos esse episcopis, neque loca in quibus collocati sunt deserere, neque monasteria constituere praeter sententiam sui episcopi».¹⁵

Nomocanon vero XIV titularum eandem normam refert titulo XI praecipue capite IV°:

⁷ PITRA, o. c., t. II, p. 46.

⁸ Idem., p. 50.

⁹ Ὅριζομεν μηδὲλως αἰσχροκερδῶς ἐπινοεῖσθαι ἐπίσκοπον, προφανιζόμενον προφάσεις ἐν ἀμαρτίαις, ἀπαιτεῖν χρυσὸν ἢ ἀργυρὸν ἢ ἕτερον εἶδος τοῦς ὑπ' αὐτὸν τελουντας ἐπισκόπους ἢ κληρικὸς ἢ μοναχός. PITRA, o. c., t. II, p. 106.

¹⁰ Ibid., p. 117.

¹¹ Ibid., p. 118.

¹² Ὁρίσταν οὖν διὰ ταῦτα ἡ ἁγία σύνοδος, μηδενὶ ἐξείναι μοναστήριον οἰκοδομεῖν, ἄνευ τῆς τοῦ ἐπισκόπου γνώμης καὶ βουλῆς. Ibid., p. 127.

¹³ Ibid., p. 130.

¹⁴ Ibid., p. 132.

¹⁵ Περὶ τοῦ δεῖν τοῦς ἀσκητάς ὑποτετάχθαι τοῖς ἐπισκόποις, μήτε δὲ ἀφίεναι τοῦς τόπους ἐν οἷς ἀπετάξαντο, μήτε συνιστᾶν μοναστήρια παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου. PITRA, o. c., t. II, p. 382.

« Non oportere monachum temere exire monasterio et rebus agendis versari; et quod subsunt Episcopo ».¹⁶

Praeterea subiectio monachorum Episcopo loci urgetur singulis canonibus et legibus etiam in aliis tituli eiusdem capitibus collectis, uti capite I° et III°.¹⁷

In pronuntianda eadem norma iuris orientalis in genere concordēs sunt omnes canonum commentatores uti Aristenus, Zonaras, Blastares etc. Sic enim Aristenus in commentatione canonis 4 Chalcedonensis:

« Citra sententiam episcopi loci neque monasterium, neque ecclesia condi debet, sed et monachi omnes eidem subiecti esse debent ».¹⁸

Unde in toto Oriente usque ad hodierna tempora praedicta norma uti fundamentalis et communis viguit et viget.

Sed aequo iure etiam in Ecclesia Ruthena ab ipsis primordiis vitae monasticae hanc normam viguisse patet imprimis ex eo, quod ab initio vitae christianae in antiqua Rus', quamprimum organisatio atque disciplina ecclesiastica vigere coeperit, idem nomocanon graecus tam L titularum, quam XIV titularum tamquam unica norma iuridica introductus est et viguit.

Inter auctores quaestio et discordia tantum est de tempore determinando, quo versio slava praedicti nomocanonis graeci in Ecclesiam Ruthenam seu antiquam Russam introducta sit.¹⁹

¹⁶ Περὶ τοῦ μὴ ὡς ἔτυχε μοναχὸν ἐξίέναι τοῦ μοναστηρίου, καὶ πράγματα πράττειν, καὶ ὅτι ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων εἶσι. Ibid., p. 595.

¹⁷ Ibid., p. 588.

¹⁸ Ἄνευ γνώμης τοῦ κατὰ χώραν ἐπισκόπου οὐ δεῖ μοναστήριον, ἢ ἐκκλησίαν κτίζεσθαι· ἀλλὰ καὶ πάντα τοὺς μοναχοὺς ὑποτάσσασθαι αὐτῷ. RHALLES ET POTLES, « *Synlagma...* » t. II, p. 229.

¹⁹ Alii enim auctores uti Metropolitā EUGENIUS, (« *Opysanie Kievo-Sofijskogo sobora* » — Kiev, 1825, append. 42, p. 235). FILARET, (« *Istoria Russkoj Cerkvy* » — periodus 1, § 37, ed. 4) NEVOLIN (« *Socinenia* » — t. VI, p. 415) et Metropolitā MACARIUS in primo tomo suae « *Historiae Ecclesiae Russiae* » (« *Istoria Russkoj Cerkvy* » — t. I, p. 115), tenent versionem slavā nomocanonis graeci seu « *Kormcaja Kniga* » allatam esse e Bulgaria simul cum aliis libris ecclesiasticis tempore iam ipsius conversionis Russiae. Alii vero uti ROSENKAMPF (« *Obozrenie Kormcej Knigi* » — ed. I (1829) p. 51; ed. II (1839), p. 46-48), et praedictus MACARIUS in quinto tomo eiusdem operis (p. 3) putant a primordiis Ecclesiae Russiae adhibitum fuisse nomocanonem graecum in suo originali graeco usque ad saeculum XIII, praecipue ad synodum Volodymyriensem anni 1274, quo Cyrillus II Metropolitā Kioviensis illum in versione slava ab archiepiscopo Bulgariae S. Saba parata e Bulgaria a despote Jacobo Sviatoslavide accepit et in synodo praedicta promulgavit.

Denique PAVLOV in speciali monographia (« *Pervonacalnyj slaviano russkij nomokanon* » — Kazan 1869), ostendere conatur, praecipue in fundamento « *Kormcaja* » seu versionis slavae praedicti nomocanonis graeci XIV titularum, quae invenitur in bibliotheca synodali Mosquensi sub n. 227, hanc in usu fuisse iam ante praedictam synodum Volodymyriensem 1274 seu ante versionem bulgarā — atque pro origine illius designat tempus Jaroslai I (1019-1054), quo scil. tempore, secundum testimonium Zinovij monachi Novogrodensis (s. XVI) « parabantur etiam versiones librorum e lingua graeca in slavā ». (Ibid., p. 56-61). Inde concludit in Ecclesia primitiva Russa fuisse in usu, iam duobus primis saeculis, versionem slavā utriusque nomocanonis graeci — tum scil. L titularum, antiquiorem bulgarā paratam forsitan iam tempore S. Methodii, — tum XIV titularum posteriorē, sed ante synodum Volodymyriensem, quam repraesentat praedicta « *Kormcaja* » bibliothecae synodalis Mosquensis.

Quidquid tamen dicendum non esset de tempore versionis slavicae nomocanonis graeci in Ecclesia Ruthena paratae, planum est illum ab huius primordiis in vigore fuisse sive in suo originali sive iam in versione slava; quo posito, etiam norma supra allata viguisse dicenda est.

Quod ultimum autem spectat, habentur praeterea alia documenta antiquissima, quae eandem normam viguisse demonstrant.

Imprimis in s. d. Constitutione Ecclesiastica «*Cerkovnyj Ustav*» S. Volodymyri Principis et simili Constitutione Ecclesiastica filii eiusdem Jaroslai I Principis — inter causas a praedictis principibus competentiae Metropolitanae et Episcoporum reservatas enumerantur etiam causae monachorum.

Constitutio S. Volodymyri:

« Ecce personae ecclesiasticae, quae secundum canones Metropolitanatae subiectae sunt: hegumenus, hegumena... monachus, monacha... monasteria, nosocomia,... monachi apostatae.

Huiusmodi personarum ecclesiasticarum et quae in institutis ecclesiasticis vivunt, causas inter ipsas iudicet Metropolita sive agatur de contumelia sive de hereditate; si vero causam habebunt de re aliqua vel contumelia cum aliis hominibus, tunc mixtum erit iudicium, et poena solvenda pro medietate (scil. principi et Metropolitanatae) ».²⁰

Constitutio Jaroslai: ²¹

« Si monachus vel monacha... fornicaverit, eos iudicabit Metropolita sine laicis, imponendo eis quidquid voluerit.

Si presbyter aut monachus tempore abstinentiae inebriabuntur apud Metropolitanam eorum causa.

Si monachus vel monacha apostataverit, apud Metropolitanam eorum causa, quidquid deciderit ».²²

Etiam si in textibus allatis mentio fit solius Metropolitanatae, tamen aequo iure intelligendus est hic etiam respectivus Episcopus loci. Quod patet iam ex eo, quod competentia huiusmodi in constitutionibus determinatur secundum canones et nomocanonem graecum, cuius in iis expressa fit mentio. Sed omne dubium tollit exordium tum primae tum secundae constitutionis, ubi Metropolita et Episcopi a pari ponuntur eisque huiusmodi causae iudicandae redduntur.²³

Verumquidem neque textus primitivus harum constitutionum habetur, sed variae sunt earundem redactiones,²⁴ neque ipsa earum authen-

²⁰ « *Pervonacalnyj slaviano-russkij nomokanon* », Kazan 1869.

²¹ Textum harum constitutionum desumpsi ex « *Euchologio slavonico* », quod invenitur in Bibliotheca Vaticana — Manuscripta in « Museo Borgiano Illirico n. 15 », propterea, quod nondum publicatus est. Alias redactiones earundem constitutionum invenies apud GOLUBINSKIJ, « *Istoria Russkoj Cerkvy* » t. I, 1, p. 617-640. *Euchologium slavonicum*, f. 441v-442.

²² Ibid., f. 445.

²³ Ibid., ff. 440v et 443.

²⁴ Constitutionis Volodymyrianae alii distinguunt duas redactiones (Metropolita Eugenius) alii tres: longiorem, mediam, breviorum (Metrop. Macarius).

Constitutionis vero Jaroslai duae sunt series redactionum: a) orientales,

ticitas ab omnibus admittitur, sed alii eas omnino reiciunt et tamquam falsificationes saec. xiv existimant,²⁵ alii vero authenticam tantum earum substantiam aestimant²⁶ hanc indicando in diversis earum partibus, tamen momentum praedictarum constitutionum iuridicum non est dubium. Ipsae enim non solum habebantur et erant suo tempore (sive in eisdem indicato, admissa earundem authenticitate, sive posteriori, in hypothese falsificationis) leges ecclesiasticae actuales, vigentes, quae tamquam tentamen nomocanonis proprii Ecclesiae Ruthenae constituebant; sed etiam pro Ecclesia Ruthena, cuius maior pars a saec. xiv inter fines regni Poloniae ingressa est, erant fundamentum iuris ecclesiastici²⁷ regni Poloniae pro ritu orientali seu Ecclesia Ruthena.

Hinc recte concludendum est normam supra allatam primis saeculis Ecclesiae Ruthenae in vigore fuisse.

Tamquam logica consequentia huiusmodi normae vigentis est constitutio synodi Volodymyriensis 1274, ex qua patet singulis Episcopis competere ius benedicendi monasteriorum Hegumenos, quod tantum exerceri debet, prout constitutio monet, citra omnem simoniae speciem:

« IV. Ab hoc itaque tempore, si quis in posterum ex episcopis sanctae nostrae praesentis synodi, caeterisque absentibus, inventus fuerit, qui aliquem aut ex regulari aut ex saeculari clero in hegumenum benedixerit, aut laicum in presbyterum aut parochum alicuius ecclesiae or-

Russae — longiores; b) occidentales, Ucrainae — breviores, s. d. « *Svytok Jaroslavl* », cuius unam tantum redactionem habemus, quae constituit secundam partem diplomatis Alexandri regis Poloniae Metropolitae Iosepho Soltan Kioviensi, editum anno 1499, 20, III. (vide « *Akty odnosjasciesja ko istorii zapadnoj Russij*; GOLUBINSKIJ in « *Istoria Russkoj Cerkvy* » t. I, 1, pp. 617-640).

²⁵ Historicus KARAMSIN authenticitatem praedictarum constitutionum negavit propter allegatum in eis nomen Photii Patriarchae, qui dare debuisset Volodymyro primum Metropolitam Leonem et propter falsam traditionem causarum hereditatis competentiae ecclesiasticae. Iisdem rationibus addidit plures alias GOLUBINSKIJ in « I. R. C. » t. I, 1, pp. 398-408. — SUVOROV vero in « *Sledy zapadno-katoliceskaho cerkovnoho prava v pamjatnikach drevnjaho russkoho prava* » non solum reicit illas ut falsificatas, sed etiam tempus huiusmodi falsificationis determinare conatur, nempe saec. xiv.

²⁶ Inter auctorum sententias, qui authenticitatem harum constitutionum defendunt uti: SAMOKRASOV in « *Kurs lekcij po istorii russkoho prava*. Pervoje i vtoroje dopolnenie », ROSENKAMPF « *Obozrjenie Kormcoj Knihi* » NEVOLIN — « *Polnoje sobranie socinenij* » t. VI, eminet sententia PAVLOV, qui distinguit inter authenticitatem materialem et formalem seu constitutiones praedictae continent normas iuridicas latas ab auctore illis adscripto, etsi ipsa forma earundem scripta procedit e manu alterius sive contemporanei sive posterioris. — « *Kurs cerkovnoho prava* » et « *Mnymye sledy katoliceskaho vlijania v drevn. pamjatnikach jugoslav. i russkoho prava* ».

Denique LOTOCKIJ in « *Ukrainski dzerela cerkovnoho prava* » constitutionem Volodymyri considerat authenticam non tantum ex parte materiali, ut PAVLOV, sed etiam formali admissis quibusdam interpolationibus posterioribus manu scriptorum. Constitutionis vero Jaroslai textum authentico maxime proximum putat esse redactionem ucrainam seu « *Svytok Jaroslavl* » quod non solum non adauctum, sed immo abbreviatum habemus, p. 253.

²⁷ Ius ecclesiasticum intellige ius civile respiciens res ecclesiasticas.

dinaverit et ab ipsis pretium aliquod perceperit, deponatur »;²⁸ Eandem normam continuo in Ecclesia Ruthena vigentem demonstrant monumenta posteriora saec. XIV, XV, XVI.

Inter monumenta autem huiusmodi eminent diplomata regum Poloniae, quibus hi, advocata explicite constitutione Jaroslai Principis, eadem iura respectivis Metropolitae Ruthenis confirmarunt.

Prima diplomata saeculi XIV et XV, i. e. Ducis Lithuano-Rutheni Vitoldi atque Casimiri, Poloniae regis, ad nos non pervenerunt, ea tamen commemorant et ad ea revocant posteriora diplomata regum Poloniae.

Primum autem, quod ad nos pervenit, est diploma Alexandri regis ex anno 1499 editum Metropolitae Rutheno Josepho Soltan, ultimo, qui post Unionem Florentinam (1439) et ante Unionem Berestensem (1596) relationes cum Apostolica Sede habuit.²⁹ Ulteriora diplomata huiusmodi regum Poloniae sunt: Sigismundi I editum anno « 7019 a creatione mundi » seu 1511,³⁰ Stephani regis anno 1585,³¹ Sigismundi III editum anno 1616 Metropolitae Josepho Velamin Rutskyj.³²

Hisce diplomatibus reges Poloniae directe intendebant iura Hierarchiae Ruthenae conservare, ne scil. Magnates et Nobiles regni in res et causas ecclesiasticas sese immisceant; indirecte tamen etiam relationes internas inter hierarchiam eiusque subditos illis manifestarunt. Ecce quaedam exscripta, quae normam illam illustrant, e diplomate Sigismundi I, quod ex toto allatum et renovatum est Metropolitae J. V. Rutskyj diplomate Sigismundi III.³³

« Praesentarunt Nobis Litteras praedecessoris Nostri Magni Ducis Vitoldi et Felicis memoriae Parentis Nostri Casimiri, Fratrisque nostri Alexandri Regum magnorumque Principum quomodo Leges Ecclesiasticae ab initio Fidei eorum Christianae in Ritu Graeco susceptae, translatae ex Legibus Canonicis Graecis, nempe Nomo-Canone Orientalis Ecclesiae tribuunt Metropolitae Kyoviensi totiusque Russiae, atque Episcopis illi subiectis, Jurisdictionem iudicandi, regendi, administrandique, iuxta Statuta legum Catholicae Orientalis Ecclesiae eorum neve aliquis Saecularium Iudicium auferret iudicare Causas Spirituales »... Dein eadem iura Sigismundus I concedit Metropolitae Josepho Soltan eaque in specie determinat:

« Metropolitae itaque Iosephus ipsiusque Successores Ecclesias Ritus Graeci sub sua potestate habebit, pascet, reget et conferet iuxta Sanctas Ecclesiasticas Regulas, et Episcopos, Archimandritas, Hegumenos, Sacerdotes atque Diaconos, totumque Clerum Graeci Ritus, tamque Spirituales quam Saeculares iudicare, regere, et benedicere, inobedientes vero et excessivos coercere et punire, iuxta Jura et Statuta Catholicae Orientalis Ecclesiae per neminem impediatur, uti etiam Episcopi Metropolitae Kyo-

²⁸ PELESZ, *Geschichte der Union*, t. I, p. 435.

²⁹ Akty odnoszajscijesja k ist. zapad. Rossji — t. I, n. 166.

³⁰ Prava y Wolnosci p. 8-11 in ASV — Arch. N. di Vars, v. 101, ff. nn.; APF-CP. 1755, v. 120, f. 123.

³¹ APF-CP. 1755, v. 120, f. 121.

³² Ibid., f. 123/4.

³³ Ibid.

viensi subiecti Causas Spirituales in suis Episcopatibus debebunt iudicare, regere, administrare, iuxta antiquam consuetudinem ».³⁴

Expresse ergo asseritur, Archimandritas et Hegumenos atque consequenter etiam ceteros monachos subiectos fuisse potestati Metropolitae qui illos iudicare, regere, benedicere, coercere et punire potuit, puta tamen in propria dioecesi metropolitana, nam infra (ultimis verbis hic allatis) item expresse eadem potestas libere exercenda assicratur etiam ceteris Episcopis in propriis respectivis dioecesibus.

Eadem potestas Episcoporum super monachos eorumque monasteria in respectivis illorum dioecesibus sita, elucet etiam e diplomatibus regum Poloniae singulis Episcopis concessis. Ita e. g. rex Vladislaus Jagellonides anno 1407 confirmavit Episcopo Peremysliensi Athanasio eiusque successoribus potestatem super monasteria eius dioeceseos: i. e. Hrusevycense, Mikulycense, S. Salvatoris, S. Susannae, Smolnycense, Lavrivense, S. Onophrii et, prout in diplomate expresse dicitur: « super cetera omnia monasteria iurisdictioni Episcopi subiecta ».³⁵ Denique immediate ante actum Unionis Ecclesiae Ruthenae cum S. Sede anno 1595 Episcopi Rutheni a Nuntio Apostolico Varsaviensi petunt, ut iura antiqua eis reserventur et inter alia: « Archimandritae, Ihumeni, Monachi vulgo Czerncy et coenobia illorum, ut secundum morem et consuetudinem antiquam sub oboedientia et potestate Episcoporum in cuiuslibet dioecesi sint ».³⁶

Eadem conditio regi Poloniae ab iisdem proposita est: « Archimandritae, Hegumeni, Monachi vulgo Czerncy et monasteria eorum oboedientiae Episcoporum, qui in dioecesi cuiuslibet fuerint, pristino more subsint ».³⁷ Hinc Unione peracta, cum Metropolita Iosephus Velamin Rutskyj ad reorganisationem monachatus Rutheni adveniret, hanc a propriis tantum dioecesibus (Metropolitae) inchoabat,³⁸ intactam salvando illam normam, quod monachi eorumque monasteria iurisdictioni Episcoporum loci subiacere debent.

Patefacta fontium collectione norma illa tam in iure generali orientali, quam in Ecclesia Ruthena primitiva vigente, ad eiusdem complementum, quanam iura potiora in monasteria Episcopo vi iuris generalis competant, indicabimus.

Potiora iura Episcopi in monasteria, quibus ipse intra ambitum propriae eparchiae fruitur, ea sunt quae sequuntur:

1° Episcopus dat facultatem fundandi nova monasteria.

2° In diptychis et collectis Liturgiae ceterorumque officiorum fit memoria Episcopi loci in ecclesiis et oratoriis monachorum.

3° Ius habet monasteria visitandi et vigilandi, ut disciplina praescripta servetur.

4° Vigilare, ut bona monasteriorum temporalia iuxta canones administrantur.

³⁴ APF-CP. 1755, v. 120, f. 123-4.

³⁵ MAKARIJ, *Istoria Russkoj Cerkvy*, t. VI, p. 172.

³⁶ HOFMANN, *Ruthenica*, in « *Orientalia Christiana* » III, HARASIEWICZ, *Annales*, p. 178.

³⁷ HARASIEWICZ, *o. c.*, p. 182.

5° Accipere potest tributa aut annonas a monasteriis, ubi haec typicis statuuntur.

6° Hegumenum a monachis electum confirmat confirmatumque benedicit.

7° Iura in monachos-clericos:

a) candidatos a Superiore praesentatos post praevium examen ad diaconatum et presbyteratum evehit.

b) in omnes clericos directam iurisdictionem exercet.

c) eosdem, si necessitas impellat et constitutiones permittant, ad ministeria externa deputare potest.

8° Tribunal episcopale appellationes monachorum recipit.³⁹

§ 2.

DE POTESTATE PATRIARCHAE.

II. Norma: Quaedam tamen monasteria a iurisdictione Episcoporum loci exempta erant et Patriarchae subiecta.

Item haec est generalis disciplina orientalis, quod nempe Patriarchae tribuitur ius σταυρόν πηγύναι - τοῦ σταυροπηγίου in signum eidem subiectionis in fundando monasterio aliquo, quod situm est in Patriarchatu quidem proprio, sed extra propriam Patriarchae dioecesim. Monasteria huiusmodi exemptione a potestate episcopali gaudentia et Patriarchae immediate subiecta vocantur μοναστήρια σταυροπηγιακά. Adiectivum σταυροπηγιακόν e voce σταυροπήγιον emanat, id est σταυρόν πηγύναι, crucem defigere, quia in fundanda ecclesia vel monasterio crucem defigere solent et praecipue in loco quo altare vel sanctuarium ecclesiae erigendum est. Tam Episcopus, quam Patriarcha ius habent crucem defigendi sive per se sive per delegatum; quo gestu signum propriae iurisdictionis notatur. Attamen quando sermo fit de monasterio aut de loco cum stauropegio patriarchali, vulgo adhibetur sola vox stauropegium.⁴⁰

Verum quidem nullus habetur canon, κανών, qui huiusmodi stauropegii conferendi ius Patriarchis concessisset, propter antiquam tamen consuetudinem usus stauropegii conferendi a Patriarchis lex generalis evasit. Iam enim Theodorus Balsamon et ceteri iuristae saeculi XII loquuntur de antiqua stauropegii conferendi consuetudine διὰ τῆς μακρᾶς ἐκκλησιαστικῆς ἀγράφου συνηθείας.⁴¹

Originem eius quidam auctores referunt usque ad saeculum septimum,⁴² alii vero ad posteriora octavum,⁴³ decimum.⁴⁴ Sed in titulo III^o Ἐπαναγωγῆς, quae conscripta est inter annos 884-6, sermo est de patriarchali stauropegio, perinde ac si esset lex communis et ordinaria.⁴⁵

Aetate posteriori plura habentur exempla huiusmodi stauropegii pa-

³⁸ Cfr. Capitulum I Novogrodovicense 1617. a. introductio, qua enumerantur convocati e monasteriis dioecesim tantummodo Metropolitae. — A. S. t. XII, p. 7/8. Dioeceses huius Metropolitae erant: Kioviensis Metropolitana et Vilnensis.

³⁹ DE MEESTER, o. c., art. 19, § 2, p. 9.

⁴⁰ Cfr. DE MEESTER, o. c., art. 18, com. 4, p. 103.

⁴¹ Comment. can. XXI Apostolorum — RHALLES et POTLES, *Syntagma*, t. II, p. 41.

⁴² ARCHIM. JOANNES, *Opyt kursa cerkovnaho zakonovjedenija*, t. II, 268.

⁴³ PETRAKAKOS, *Monachicum regimen S. Montis Athos*, p. 40.

⁴⁴ SAGUNA, *Compendiu de Dreptul Canonic*, ed. III, § 239.

⁴⁵ ZEPOS, *Ius Graeco-Romanum*, t. II, p. 243.

triarchalis, uti e. g. anno 964 Patriarcha Polyeuctus monasterium τῆς Θεοτόκου, in eparchia metropolitana Παλαιῶν Πατρῶν situm, patriarchale et stauropégiacum declaravit. Patriarcha Joannes IX Agapetus anno 1132 idem privilegium concessit monasterio S. Joannis Theologi in insula Patmo, quamvis anno 1088 Imperator Alexius I Comnenus plenam exemptionem a quacumque civili et ecclesiastica potestate etiam patriarchali ei donaverit in aeternum.⁴⁶

Non deerant tamen conatus tam ex parte Metropolitanarum et Episcoporum, quam ex parte imperatorum ius stauropégii concedendi Patriarchis denegandi. Enarrat enim Th. Balsamon in suis commentariis suo tempore Metropolitanas et Episcopos multos contra patriarchalis stauropégii concessionem vocem extollere et in propriis iuribus vindicandis auxilium a canonibus ecclesiasticis vehementer expetivisse atque ut monachi et clerici liberi fierent et exempta monasteria et ecclesiae a Patriarchae auctoritate invocasse.⁴⁷ Postea, anno 1279, imperator Michael Paleologus ius stauropégii concedendi tamquam παρά κανόνας Patriarchis subtraxisse videtur novella anni praedicti. Attamen illud decretum imperiale cum imperatoris Michaelis morte evanuit et Patriarchae privilegia stauropégiaca monasteriis et aliis locis concedere prosecuti sunt.⁴⁸

Etiam in Ecclesia Ruthena Patriarcha Constantinopolitanus privilegium stauropégii sive monasteriis sive confraternitatibus concedebat. Clarissimae confraternitates, quae stauropégio Patriarchae Constantinopolitani gaudebant, tempore nempe immediate praecedenti Unionem Ecclesiae Ruthenae cum S. Sede, erant Leopolitana et Vilnensis,⁴⁹ quarum prima sub sua potestate habuit monasterium Leopoliense S. Onuphrii. Tempore posteriori, Unione scil. peracta dioeceseos Leopoliensis cum Sede Apostolica (anno 1700), Confraternitas stauropégiana Leopoliensis cum monasterio S. Onuphrii sub immediatam protectionem S. Sedis consentiente Episcopo loci et Sanctissimo adprobante assumpta est.⁵⁰ Antiquius ius stauropégii concessum est laurae Pecerskiensi.

Iura patriarchica concessa erant etiam monasterio Krechivensi dioecesis Leopoliensis prouti patet e diplomate Michaelis Korybut Wisniewiecki, regis Poloniae, qui illa confirmavit, sicut et exemptionem ab Episcopo Leopoliensi sumpsitque monasterium praedictum sub propriam protectionem.⁵¹ Item monasterium Suprasliense in actis synodi Vilnensis 1509 vocatur patriarchicum.⁵²

⁴⁶ DE MEESTER, o. c., art. 20, com. 2, p. 121.

⁴⁷ Comment. can. XXXI Apostolorum — RHALLES et POTLES, *Syntagma*, t. II, p. 40.

⁴⁸ DE MEESTER, o. c., art. 20, com. 2, p. 121.

⁴⁹ Confraternitas Leopoliensis obtinuit stauropégium anno 1586 a Patriarchae Joanicio Antiocheno nomine Constantinopolitani. Vilnensis vero anno 1589 a patriarcha Hieremia II Constantinop. Cfr. LIKOWSKI, *Unja Brzeska*, p. 64. Cfr. MAKARIJ o. c., t. IX, p. 194.

⁵⁰ *Congr. gen.* SCPF. 1708, 21, VII; APF, *Acta*, v. 78, f. 456; *Lettere* 1708, p. 449. 1708, p. 449.

⁵¹ Archiv J. Z. Rossji — t. X, p. 666.

⁵² Opisanie K. S. S. — App. 10, p. 41.

Item monasterium Poczajoviense, quod tempore posteriore erit destinatum pro sede Protoarchimandritae Ordinis Basiliani, fundatum fuisse cum stauropegio Patriarchae Constantinopolitani constat e documentis S. C. P. F. Dum enim anno 1712 illud ad Unionem transierat, petebat a S. Sede, ut sub Eius sit immediata protectione sicut olim Patriarchae Constantinopolitani: « Merita anche riflessione ciò che scrisse il suddetto Vescovo di Leopoli nella sua lettera a Mons. Nunzio dicendo... che il suddetto Monastero dalla sua prima Fondazione sino al presente veniva governato e dipendeva non dall'Ordinario del luogo, ma dal Patriarca Scismatico di Costantinopoli ».⁵³

Aliud exemplum stauropegii patriarchalis concessi iam tempore Unionis Ecclesiae Ruthenae habetur apud disunitos. Ex anno nempe 1646 habetur diploma Patriarchae Constantinopolitani, quo conceditur facultas aedificandi monasterium stauropegiacum in Mielce a potestate Metropolitana exemptum (idiomate graeco).⁵⁴

Iura potiora Patriarchae in monasterium stauropegiacum haec sunt:

1° nomen Patriarchae commemoratur in diptychis et precibus liturgiae ceterorumque officiorum,

2° Patriarchae est sive per se sive per alium delegatum monasteria stauropegia visitare et pro observatione disciplinae praescriptae vigilare,

3° de recta bonorum temporalium administratione curare,

4° penes Patriarcham est potestas iudiciaria et coercitiva,

5° electionem Hegumeni huiusmodi monasterii confirmat, generaliter eum benedicit et canonicè installat,

6° eundem destituit ab officio, si hoc ille indignus evadit,

7° tributum τὸ καλονικόν, ἡ συνήθεια in rebus naturalibus aut in pecuniis exigere potest.⁵⁵

Quod vero spectat conditionem monasterii stauropegiaci, praeter autonomiam in eo administrando et regendo et immunitatem singulis typicis definitam, hisce generatim gaudet iuribus:

1° libera electione Hegumeni,

2° ad explendas chirotonias potest generatim vocari quilibet Episcopus, nisi a patriarchali synodo ad casum specialiter sit deputandus,

3° Hegumeni monasteriorum quae stauropegium obtinuerunt litteras dimissorias et authentica ordinationis receptae testimonia pro suis subditis conficere possunt,

4 Hegumenus monasterii patriarchalis potest quibusdam pontificalibus insignis ornari.⁵⁶

Appendix - De potestate Metropolitanarum.

Quaeri posset, utrum analogice ad ius stauropegii a Patriarchis concedendi simile quoddam privilegium etiam Metropolitanis, praesertim in Ecclesiis, quae Patriarcha carent, competat.

⁵³ *Congreg. gen. SCPF.* 2, VIII, 1712; APF, *Acta* 1712, v. 82.

⁵⁴ *Archiv. J. Z. Rossji* — t. X, p. 582-586.

⁵⁵ DE MEESTER, *o. c.*, art. 20, § 7, p. 10.

⁵⁶ DE MEESTER, *o. c.*, art. 20, § 7, p. 11.

Revera datis temporibus Metropolitae privilegium sibi arripuerunt propriae iurisdictioni monasteria omnia subiiciendi, quae intra ambitum metropoleos continebantur. Talia monasteria dicuntur metropolitana. Metropolita Mosquensis Macarius (Michael Bulgakov) asserit haec extitisse in Russia saeculis XII, XIII et XIV.⁵⁷ Eodem tempore aliquos Metropolitas byzantinos eadem iura sibi arrogasse refert historia. S. Vaihlé videtur illa monasteria metropolitana admittere tamquam in iure fundata: « Les monastères métropolitains sont ceux qu'un Métropolitain a fondés et dotés ou ceux qu'il a soustraits à la juridiction de l'Évêque diocésain au moyen de la stauropegie ».⁵⁸

Attamen eorum institutio videtur anticanonica fuisse, saltem apud Byzantinos. Id expresse declarat Germanus II, Patriarcha Constantinopolitanus (+ 1240), quem nihilominus citat praefatus S. Vaihlé. Nam vehementer condemnavit Joannem Metropolitam Naupacti, qui in eparchia Joannis Artae erexerat propria stauropegia in quibusdam monasteriis. Jamvero decernit Patriarcha Germanus simile privilegium nempe stauropegium quemdam praeter Episcopum tradere — Patriarchae soli competere non autem Metropolitae.⁵⁹

Quod vero Metropolitas Ruthenos spectat omne dubium hac in re tollit Benedictus XIV, qui cum eius tempore quaestio orta sit, num Archimandritae OSBM iurisdictioni Metropolitae, vel Protoarchimandritae OSBM subesse debeant illamque ex iure et consuetudine antiqua tum orientali in genere tum Ruthena in specie resolvere studeret post accuratam indagacionem de iuribus Metropolitae Rutheni respectu monachorum, hanc relationem de quaestione praesenti deposuit: « § 19. Neque ommissa fuit accurata in orientalis ecclesiae leges disquisitio; et quamvis iuxta earundem praescriptum agnoverimus, monasteria et monachos Episcopo subesse debere, Patriarchae autem competere ius stauropegii, nimirum figendae Crucis in monasteriorum fundatione ex quo sequebatur, ut monasterium, licet extra ipsorum peculiarem dioecesim, in alicuius Episcopi suffraganei finibus situm esset, ipsi tamen Patriarchae immediate subiectum atque ab Episcoporum localium iurisdictione omnino exemptum remaneret; attamen huiusmodi stauropegii ius, quod Patriarchis, ut supra, concessum fuit, nunquam ad Metropolitanos extensum fuisse cognovimus; quinimo sic ubi tale quidquam ab his attentatum fuit, id veluti alieni iuris usurpationem habitum fuisse conspeximus ».⁶⁰ Vi ergo iuris orientalis Metropolita eadem tantum potestate super monachos gaudebat ac ceteri Episcopi in propriis dioecesibus.

§ 3.

DE POTESTATE FUNDATORUM.

III. Norma: Praeter potestatem ecclesiasticam sive Episcopi sive Patriarchae etiam fundatores monasteriorum influxum in regimen eorundem exercebant.

⁵⁷ *Istoria Russkoj Cerkvy*, t. IV p. 214; t. VI, p. 81.

⁵⁸ DTC t. III, col. 1417.

⁵⁹ Cfr. DE MEESTER, art. 18, p. 280, n. 1; com. 3, p. 102.

⁶⁰ DE MARTINIS, *Ius Pontif.*, P. I, v. III, p. 147.

Secundum ius orientale commune fundator monasterii vi typici fundatarii diversa iura super illud acquirebat. Etiam si huiusmodi typica, uti novum genus documentorum apparent non nisi saeculo x^o,⁶¹ tamen ius eadem a fundatoribus conscribendi fundamentum habet secundum interpretationem Balsamonis, iam in 131 Novella Justiniani cap. X, § 2:

« Et si quidem ipse testator decreverit, qui debeant xenodochi fieri aut ptochotropi aut alteri tales gubernatores, sive suis heredibus huiusmodi electionem commiserit iubemus modis omnibus heredes eius, quae ab eo definita sunt, adimplere locorum beatissimis episcopis inspicientibus, si gubernatio recte procedit et si invenerint non utiles existentes rectores, licentiam habentibus sine damno alios pro eis opportunos efficere ».⁶²

Quod interpretat Blastares in suo *Σύνταγμα κατὰ στοιχείων*:

« Ex 131 Justiniani Novella discas quidem, quod typica, quae a fundatoribus in monasteriis fiunt, pie suscipere debent, nisi canonibus contrariantur; illis enim non licet locorum episcopos canonicis iuribus privare in monasteriis quae ab iis aedificantur ».⁶³

Idem commentator interpretando caput septimum tituli I, libri V Basilicorum, expositis variis sententiis et opinionibus circa valorem typicorum, propriam opinionem exprimit:

« Mihi autem videtur, quod quoniam VII caput, I tituli, V libri Basilicorum dicit: Qui donativum constituerit, ut oratorium, vel xenodochium, vel nosocomium construatur, et ipse et heredes eius ab episcopis et oeconomis dare, quae promissa sunt, exigantur; si pro eius quidem arbitratu administrantur, est in eorum conditorum potestate typica edere; sed ex eo, quod dicit lex domos sanctas et religiosas administrari pro possessoribus arbitratu, non est permissum aliqua contra leges et canones praescribere ».⁶⁴

Inter fundatores distinguuntur proprie dicti, qui scilicet monasteria aedificaverunt et quasi-fundatores seu secundarii ordinis, qui participant privilegiis et oneribus primarii, fundatoris, quin monasterium aedificent. Ad quasi-fundatores

⁶¹ Cfr. HERMAN, *Ricerche sulle istituzioni monastiche bizantine*, in « Orient. Christ. Periodica », v. VI, n. III-IV, p. 312.

⁶² Καί εἰ μὲν αὐτὸς διαθέμενος ὀρίσει τοὺς ὀφειλοντας ξενοδόχους γενέσθαι ἢ πτοχοτρόφους ἢ ἄλλους τοιοῦτους διοικητάς εἴτε τοῖς ἰδίοις κληρονόμοις τὴν τοιαύτην ἐπιλογὴν παράσχοι, κελούμενοι τρόποις ἅπασιν τοὺς κληρονόμους αὐτοῦ τὰ παρ' αὐτοῦ διατυποθέντα πληροῦν, τῶν κατὰ τὸν τόπον μακαριωτάτων ἐπισκόπων ἐποπεθεύοντων, εἰ καλῶς ἢ διοίκησις προβαίνει, καὶ εἰ εἰρωσι μὴ χρησίμους ὄντας τοὺς διοικητάς, ἄδειαν ἔχόντων ἄνευ ζημίας ἄλλους ἀντὶ τούτων ἐπιτηδεῖους ποιεῖν. *Cursus Iuris Civilis*, BEROLINI, 1899, t. III, p. 659.

⁶³ Ἀπὸ δὲ τῆς βλά. Ἰουστινιανείου νεαρᾶς γνώμης ἂν, ὅτι τὰ γινόμενα παρὰ τῶν κλητόρων ἐν τοῖς μοναστηρίοις τυπικὰ στέργειν ὀφείλοισιν, εἰ μήπου τοῖς κανόσιν ἐναγτιοῦνται· οὐ γὰρ ἔξεστιν αὐτοῖς ἀπειργεῖν τοὺς ἐγχωρίους ἐπισκόπους τῶν κανονικῶν δικαίων ἐν τοῖς παρ' αὐτῶν κτισμένοις μοναστηρίοις. RHALLES et POTLES, « *Syntagma...* » t. VI, p. 393; DE MEESTER, o. c., art. 21, com. 5, p. 146.

⁶⁴ Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, ὡς ἐπεὶ το ε' κεφ. τοῦ ἀ τέλους τοῦ ε' βιβλίου τῶν βασιλικῶν φησιν· Ὁ συστεσάμενος δωρεατικὸν ἐπὶ τῷ εὐκλήριον οἶκον κτισθῆναι, ἢ ξενῶνα, ἢ νοσοκομεῖον, ἀπαιτεῖσθαι ταὶ αὐτὸς καὶ οἱ κληρονόμοι αὐτοῦ παρὰ τῶν ἐπισκόπων καὶ οἰκονόμων τὰ ὀποσχεθέντα· διοικούμενα μέντοι κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτῷ ἐπ' ἀδείας ἔχουσιν οἱ δομήτορες τούτων τυπικὰ ἐκτίθεσθαι· πληρὸν ἀπὸ τοῦ λέγειν τὸν νόμον διοικεῖσθαι τοὺς εὐαγεῖς οἴκω κατὰ τὸ δοκοῦν τῷ κλητόρι, οὐκ ἐφείτα αὐτῷ ἀκανόνισά τινα καὶ παράνομα διατάττεσθαι. RHALLES et POTLES, t. II, p. 651; DE MEESTER, *ibid.*, p. 145.

καθώς κητόρες, ἀντί κητόρων adnumerantur: 1) restitutores et refectores monasteriorum, 2) benefactores et ampliatores eorundem, 3) emptores, 4) administratores.⁶⁵

Hi variis titulis monasteria administrabant. Saeculis x-xi distinguebantur s. d. a) charistikarii, quibus scil. concedebatur monasterium in usufructum personalem, b) ephori (ephoriae) pro scopo habent adiuvamen monasterii cum auctoritate maiori super monasterium, dum administratores immediati munera habebant minoris momenti, c) epitropi quibus erant quidem monasteria subiecta cum scopo protectionis eorundem, excluso tamen iure utili protectoris.⁶⁶ A saeculo xii evanescent alii tituli et remanet tantum ephorus (ephoriae).

Conscriptio typicorum ius erat fundatorum proprie dictorum, ceteri autem explere debebant typica ab illis praescripta, quo sensu sonant documenta superius allata.

Denique iuribus fundatorum vel quasi-fundatorum gaudebant etiam illi, in quos illa transierunt sive pactione sive hereditate sive praescriptione sive delegatione.

Typica, τοπικά κητορικά monastica generatim distinguuntur in typica liturgica et disciplinaria; haec vero subdividi possunt in duas species, quarum prima continet solummodo regulas disciplinares et asceticas, secunda etiam dispositiones, quibus providetur statui oeconomico foundationis. Ultimum typicum est proprie cteticum, τὸ κητορικὸν τοπικόν. Prima species ordinarie natura sua est magis generalis, unde applicari potuit pluribus monasteriis uti e. g. typicon S. Sabae vel Theodori Studitae. Secunda intrat in voluntatem individualement fundatoris.⁶⁷

Secundum ergo diversa typica ctetica, quae approbari debent vel ab Episcopo vel Patriarcha vel Imperatore, diversa habentur fundatorum iura et diversimodo iidem in regimen monasteriorum influere potuerunt.⁶⁸ Generatim tamen ctetores potuerunt non tantum numerum fratrum aut sororum pro habitu facultatum augere aut minuere, verum etiam electionem Hegumeni adprobare vel rescindere attentis tamen canonibus et praevio Episcopi vel Patriarchae consensu; immo iure foundationis nixi, potuerunt fratres delinquentes et ad vitam monasticam inhabiles atque ipsum Hegumenum, qui munere suo indignus evasit, expellere,⁶⁹ attentis tamen canonibus et praevio Eppi consensu.

Quod vero administratores spectat, quibus administratio monasterii committebatur tam ab Episcopo vel Patriarcha vel Imperatore vi horum auctoritatis super monasteria sibi subiecta, quam a fundatoribus privatis vi horum iuris proprietatis, illis aliquando in ipsam disciplinam monachorum internam directe sese ingerere permittebant diversa typica. In quibusdam documentis patriarchalibus saeculi xiv ephoris permittitur non tantum administrare monasteria sub respectu oeconomico, sed etiam sub respectu spirituali monachi illis oboedientiam et submissionem praestare debent,⁷⁰ immo non tantum ephoris monachis, quod facile concipi potest, verum etiam dominis saecularibus.⁷¹

⁶⁵ DE MEESTER, o. c., art. 21, com. praenotanda, p. 138/9.

⁶⁶ HERMAN, art. c., p. 332 et 335 et 338.

⁶⁷ Ibid., p. 295/6.

⁶⁸ Sicut in occidente diversae formae vitae religiosae produxerunt multitudinem regularum et constitutionum, ita in oriente, etiamsi una est tantum regula communis S. Basilii, tamen diversitas formae vitae religiosae minor quidem qualitative, maior vero quantitative, obtenta est ope typicorum fundatoriorum.

⁶⁹ DE MEESTER, o. c., art. 21, com. 17, p. 157.

⁷⁰ MIKLOSICH — MULLER, *Acta et diplomata graeca medii aevi*, t. I, p. 474, 455, p. 168.

⁷¹ Ibid., t. II, p. 389 — Cfr. HERMAN, *Ricerche...*, p. 339.

Omnes autem fundatores solliciti esse debebant, ut monachi omnes disciplinam regularem teneant ac in rebus spiritualibus proficiant iuxta normas generales monachatus et iuxta statuta particularia seu τὰ τοπικά κτητόρικα.⁷²

In iure monastico Ecclesiae Ruthenae sub respectu iuris fundatorum duae periodi distinguí possunt: 1) periodus primitiva, qua ad normam iuris orientalis communis vigeat ius ctetoricum orientale modo explicatum, et 2) periodus posterior in regno Poloniae ubi ad normam iuris occidentalis vigeat ius patronatus.

Est enim differentia in ipso conceptu inter ius ctetoricum orientale et ius patronatus occidentale, quam bene explicavit Sokolov.⁷³

Dum enim ius patronatus sit privilegium (summa privilegiorum, C.J.C. can. 1448) fundatoribus ecclesiarum vel monasteriorum ab Ecclesia concessum — ius ctetoricum orientale est obligatio proprietario monasterii vel ecclesiae fundatae imposita in favorem eiusdem ecclesiae vel monasterii, scil. in iure ctetorico orientali proprietarius monasterii fundati est ipse fundator, qui proprietatem retinet, etsi limitatam obligationibus contractis respectu monasterii fundati — in iure vero patronatus occidentalis proprietarius monasterii fundati est Ecclesia vel in concreto ipsum monasterium uti persona moralis, fundator autem pro translatione proprietatis suae in Ecclesiam recipit ab Eadem summam privilegiorum.

1) Primis Ecclesiae Ruthenae saeculis fundatores monasteriorum iisdem iuribus in monasteriis a se fundatis gaudebant ac iidem fundatores in iure orientali byzantino tunc vigente. Typica ctetorica totam formam vitae monasticae eiusque regiminis determinabant.

Primum huiusmodi typicon dedit monasterio Kievo-Pecerskiensi S. Theodosius, qui illud desumpsit e monasterio Constantinopolitano in Studion, ibi a S. Theodoro Studita introductum, secundum tamen redactionem a Patriarcha Alexio peractam.⁷⁴ « Ab hoc autem monasterio (Pecerskiensi) — secundum testimonium primi annalium scriptoris Nestoris — omnia monasteria typicon receperunt », ⁷⁵ quod scil. exemplum erat pro ceteris typicis conficiendis. Verba tamen haec — prout recte animadvertit Golubinskij — referri possunt tantum ad monasteria condita ante annum 1110, quo annales illi finiuntur.⁷⁶

Cum vero saeculis XII et XIII fundatores monasteriorum maiore ex parte fuerint principes ditionum, in quibus monasteria sita erant, hinc et vocabantur monasteria principum, hi illa sub absoluta sua potestate et dominio tenebant adinstar monasteriorum imperialium in iure byzantino. In iure enim hoc speciale momentum meritant monasteria imperialia, quae iuris imperialis fiebant aut titulo foundationis aut titulo protectionis ab Imperatore susceptae, quando scil. Imperator sive nova mona-

⁷² DE MEESTER, o. c., art. 21, § 4, 3°, p. 12.

⁷³ SOKOLOV, *Cerkovnoimustestvennoje pravo vo greko-rimskoj imperij*, Novhorod; 1896 p. 242 ss.

⁷⁴ Cfr. GOLUBINSKIJ, *I. R. C. t. I, 2, p. 608.*

⁷⁵ Sub anno 1051; *ibid.*, p. 627.

⁷⁶ *Ibid.*

steria condendo sive iam condita sub propriam protectionem assumendo, suo imperiali chrysobullo, ea uti propria imperialia agnoscebat et plurimis privilegiis ornabat, quaeque plerumque crant ἀβτερονομία καὶ ἀποθέσποντα quando scil. tantam sui potestatem et dominium obtinuerant, ut a quacumque potestate sive civili sive ecclesiastica etiam patriarchali exempta fuerint.⁷⁷

Ius Ecclesiae Ruthenae sicut et disciplina civilis antiquorum principum Ruthenorum sub Magnis Ducibus Lithuanis intacta remansit. Hinc est quod etiam saeculis xiv et initio xv in diplomatibus principum Magni Ducatus Lithuani inveniuntur vestigia illius potestatis absolutae, exclusa etiam potestate Episcopi. Ita e. g. in diplomate Magni Principis Polocensis Onuphrii, edito in favorem monasterij Polocensis S. Joannis Bap. circa annum 1399 vel prius, expresse dicitur: « sed Vladica (Episcopus) in nostrum monasterium ne ingrediatur.⁷⁸ Quod adhuc pressius sublineatur in diplomate Principis Lithuani Georgii Semenovic Linguenevic edito in favorem monasterij Onuphriensis anno 1443: « et Vladica (Episcopus), qui quocumque tempore eparchiam Mstyslaviensem tenebit, tunc huius Vladicae non erit Archimandritam Onuphriensem iudicare neque regere; si quis causam aliquam cum eo habebit, nobis tantum ipsis hunc archimandritam iudicandum erit ».⁷⁹

2) Inde vero a saeculo xv in regno Poloniae loco iuris ctetorici orientalis Ecclesiae Ruthenae applicatum est ius patronatus aequo modo ac Ecclesiae ritus latini in eodem regno applicabatur. Huiusmodi equiparatio patefacta est documento publico, nempe diplomate Vladislai III regis Poloniae et Hungariae, dato Ecclesiae Ruthenae post Unionem Florentinam — Budae 1443 anno. Rex dicebat: « Ad laudem et gratiam Dei Omnipotentis, qui redemit nos suo praetiosissimo sanguine Universis Ecclesiis earumque Episcopis seu Vladicis, Praelatis, Clero et caeteris Personis Ecclesiasticis eiusdem Ritus Graeci et Ruthenorum haec omnia iura, libertates, modos, consuetudines et immunitates universus diximus in perpetuum concedendas et praesentibus concedimus, quibus omnes Ecclesiae Regnorum nostrorum, Poloniae et Hungariae et eorum Archiepiscopi, Episcopi, Praelati et caeterae Personae Ecclesiasticae consuetudine Romanae Ecclesiae utuntur, fruuntur atque gaudent ».⁸⁰

In regno autem Poloniae duplicem formam iuris patronatus distinguere debemus: alteram, quae vigeat in regno Poloniae proprio seu s. d. Corona et alteram in Magno Ducatu Lithuano simul cum terris Ruthenis, quae post saeculum xiv regno Poloniae unitae remanent. Hinc Ecclesiae Ruthenae applicatum est ius patronatus secundum formam vigentem in Magno Ducatu Lithuano post unionem eius cum regno Poloniae. Huiusmodi autem ius patronatus iterum duplex erat, quod nempe

⁷⁷ DE MEESTER, o. c., art. 18, com. 6, p. 104.

⁷⁸ GOLUBINSKIJ, o. c., t. I, 2, p. 700.

⁷⁹ AZR, t. I, n. 43.

⁸⁰ Diploma hoc renovarunt postea reges Poloniae: Alexander 1504 a. Sigismundus I 1543 a. et Sigismundus III 1621 a.; quae omnia continentur in ultimo diplomate edito Metr. Rutkyj, cuius copiam hic Romam admisit quaeque invenitur in APF, *Scr. rif.* CG. 1631, v, 336, ff. 183.

competebat Magno Duci Lithuano et transiit in Regem Poloniae, et aliud competens dominis terrarum. Ius competens Regi Poloniae tamquam Magno Duci Lithuano erat supremum⁸¹ et excedebat etiam ius patronatus conceptum secundum Decretalia. Dum enim secundum Decretalia Gregorii IX ius patronatus erat privilegium concedens patroni tria praecipua iura scil. iura honorifica, ius ad alimenta in certo casu recipienda et ius praesentationis,⁸² — in iure Magni Ducatus Lithuani ius patronatus concedebat Magno Duci praeter iura honorifica: 1) ius revocationis et alienationis beneficii concessi, 2) ius taxae beneficio imponendae et servitii militaris requirendi, 3) ius fori seu iudicii super beneficiario in causis beneficii, 4) ius praesentationis, 5) ius translationis iuris patronatus in alios.⁸³ Haec erant tamquam residua absolutae potestatis in beneficia ecclesiastica Magni Ducis Lithuani, quae transierunt in Reges Poloniae post unionem Regni Poloniae cum Magno Ducatu Lithuano simul cum terris Ruthenis et quae remanserunt in sua substantia usque ad exdivisionem Poloniae saeculo xviii.

Aliis patronis — dominis terrarum — praeter iura patronatus a iure communi ecclesiastico iisdem concessa, in Magno Ducatu Lithuano competebat etiam ius alienationis.⁸⁴

Huiusmodi tamen iura patronatus sive Regis sive aliorum dominorum limitabantur duabus normis generalibus: 1) de conservanda charta foundationis seu actus foundationis intactus remanere debebat,⁸⁵ 2) de non tradendis beneficiis ecclesiasticis clero alterius confessionis, quam quae in actu foundationis determinata erat.⁸⁶

Haec eadem normae iuris patronatus applicabantur etiam monasteriis. Quo pacto patroni praeter iura in charta foundationis ipsis concessa, influxum in regimen monasteriorum exercebant maxime vi iuris praesentationis Archimandritarum et Hegumenorum in communi iure patronatus ipsis concessio.

Rex vero vi sui iuris patronatus supremi non tantum Archimandritas et hegumenatus conferebat, Archimandritas et Hegumenos in causis de bonis monasteriorum iudicabat, verum etiam totum monasterium in commendam aliorum reddebat seu iura patronatus in alios transferebat et quidem non tantum in clerum — Metropolitam,⁸⁷ Episcopos,⁸⁸ inferiorem clerum saecularem⁸⁹ et regularem,⁹⁰ verum etiam persaepe in laicos.⁹¹

⁸¹ Rex se nominat: « fundatorem et supremum protectorem ecclesiarum Dei earumque dotationum »; Metr. EUGENIJ, *Opys. Kiev. S. S.*, n. 13, p. 61.

⁸² c. 25, X, de iure patronatus III, 38.

⁸³ MEYSZTOWICZ, *Dobra koscielne jako przedmiot uprawnień w prawie W. Ks. Litewskiego*, Wilno 1935 « Studja Teol. » VIII pp. 86-110.

⁸⁴ *Ibid.*, p. 110-136.

⁸⁵ *Ibid.*, p. 132; 134.

⁸⁶ Pro Ecclesia Ruthena huiusmodi lex lata est a. 1607 in comitiis generalibus sub Sigismundo III, ASV, Arch. Nunz. di Vars. v. 76, p. 257; Pro ceteris, anno 1630; cfr. MEYSZTOWICZ, *o. c.*, p. 133.

⁸⁷ Cfr. MAKARIJ, *o. c.*, t. X, p. 318, 320, 321.

⁸⁸ *Ibid.*, t. IX, p. 393.

⁸⁹ *Ibid.*,

⁹⁰ *Ibid.*, t. IX, p. 219.

⁹¹ *Ibid.*, t. IX, p. 391, 394, 456.

ARTICULUS II.

REGIMEN MONACHORUM INTERNUM

§ 1.

DE MONASTERIORUM AUTONOMIA.

IV. Norma: Monasteria erant « sui iuris » atque regimen eorundem internum erat decentralisatum.

Autonomia interna singulorum monasteriorum est norma generalis in iure orientali, etiamsi hoc nec excludit, neque ignorat quasdam monasteriorum formas unionis et eorundem regiminis centralisati.

Canones conciliorum nullibi unionem monasteriorum et praesertim eorundem regimen centralisatum supponunt, sed e contra, etiamsi contrarium non prohibent, semper tamen monasteria uti autonoma et ab invicem independentia considerant. In canonibus sermo est tantum de monasteriis singularibus eorumque Superioribus a nulla aliqua potestate interna superiori dependentibus.¹

Hac tamen norma generalis iuris orientalis non obstante, decursu temporis in Ecclesia orientali quaedam formae monasteriorum unionis cum aliqua potestate superiori — interna — centrali receptae sunt atque vim iuris acceperunt. Huiusmodi monasteriorum unionis tres modi distingui possunt cum diversis eorundem regiminis formis. Prima monasteriorum unio ea est, quae fit inter unum monasterium autonomum et cetera ab eo dependentia, ita ut Hegumenus aut Superior monasterii autonomi ceteris imperet monasteriis aut monachorum mansionibus cuiusvis generis. Isto modo, principaliori monasterio copulantur *a)* scetae aliaeque cellarum coadunationes, *b)* metochia, *c)* alia monasteria non autonoma.

Insuper consociari possunt monasteria ita, ut singulis eorum propriam prorsus servantibus autonomiam, omnibus praesit supremus quidam moderator. Quod quidem fieri potest duplici modo:

a) Vel praeesit Hegumenus unius ex istis monasteriis consociatis, qui generatim, recentioribus saltem temporibus, nomen habet Archimandritae.

b) Vel a monasteriis confoederatis eligitur Superior quodam modo generalis, qui, primas partes tenens inter Hegumenos, propriam sedem habet frequenterque titulum gerit Proti, ὁ Πρωτος.²

Exempla primi modi monasteriorum unionis plura habentur in historia monachatus orientalis. Iam enim ante concilium VII (Nicaenum II) erant s. d. monasteria duplicia, quae canone 20 eiusdem concilii in po-

¹ Cfr. Trull, cc. 41, 46; Nicaenum II c. 12; Const. A'B' cc. 2, 3, 5, 6; Nomocanon. Photii, titulus XI, cap. 2.

² DE MEESTER, o. c., art. 29, p. 14, 15.

sterum, uti erant, admissa scil. communi cohabitatione virorum et mulierum in eadem domo, prohibentur et ad normam Regulae S. Basilii disponi iubentur.³ In scholio autem ad XX caput tituli I Nomocanonis Phottii, postquam fuerit notatum non licere unum hegumenum praeesse duobus monasteriis, sicut nec unum Episcopum duobus eparchiis, leguntur sequentia de praefectura monasterii Pantocratoris:

« Praeesse hegumenum Pantocratoris multis monasteriis non opponitur canoni (15 synodi VII); nam multa monasteria tamquam unum computantur quia per modum donationis ad Pantocratorem pervenerunt ».⁴

Alter modus, qui iam perfectiorem evolutionem consociationis monasteriorum supponit, item a primis saeculis vitae coenobiticae habebatur. Saeculo enim sequenti post mortem S. Basilii in Palaestina anno 493, Patriarcha Salustio regnante, Superiores monasteriorum urbis Hierosolymae S. Theodosium tamquam communem eorum antistitem elegerunt, cui titulus Coenobiarchae collatus fuit. Eodem tempore omnes monachi Palaestineses S. Sabam renuntiaverunt: ἀρχιμανδρίτην τε καὶ νομοθέτην πάντων τῶν ὑπὸ παλαιστίνην λαυρῶν τε καὶ ἀναχωρητῶν.⁵ Huiusmodi monasteriorum uniones posteriori tempore saepe repetuntur.⁶

Tertius denique modus monasteriorum unionis est originis recentioris inde a saeculo ix^o et confoederationum huiusmodi sedes fere semper montes sunt, qui a coenobitis, eremitis et scetiofis incoluntur. Inter hos montes fulgent montes Olympii (duo), Auxentius, Sinaiticus, Latrus, Galesius et Ganus praeter Atheniensia montana.⁸ In regimine harum confoederationum — praeter peculiaris typica — duplex forma generalis distingui potest: 1) secundum ius antiquum a saeculo ix ad xvi, secundum quod confoederationi praeerat et vinculum centralisationis constituebat unus supremus confoederationis antistes, qui denominabatur Prota, ὁ Πρῶτος, cuiusque inter alia erat confirmare vel rescindere electionem Hegumenorum pro singulis monasteriis, qui vero, ipse eligebatur a generali synaxi, a Prota praecedenti eiusque consiliariis et omnibus Hegumenis constituta, datis temporibus typicis definitis; 2) secundum disciplinam recentiorem confoederationis 20 monasteriorum montis Athos, cuius regimen centrale est collegiale quatuor corporibus compositum, i. e. a) Sacra Communitate, quam constituunt delegati 20 monasteriorum; b) Sacra Epistasia constituta e quatuor membris electis a quatuor e viginti monasteriis in quinque quaterniones divisus, c) Congressu omnium monasteriorum atque Superiorum 20 monasteriorum, d) Duplici S. Synaxi quae quodam modo est S. Communitatis duplicatio. Quatuor haec corpora ita coordinantur, ut apud S. Communitatem sit potestas legisla-

³ PITRA, o. c., t. II, p. 119.

⁴ Τὸ δὲ προϊστασθαι τὸν παντοκράτορον ἡγούμενον πολλῶν μοναστηρίων οὐκ ἐναντιοῦται τῷ κανόνι (ιε' τῆς ζ'): τὰ γὰρ πολλὰ μοναστήρια ὡς ἐν λογίζονται, διὰ τὸ κατ' ἐπίδοσιν περιελθεῖν εἰς τὸν Παντοκράτορα. RHALLES POTLES, t. I, p. 58; DE MEESTER, o. c., art. 29, com. 4, p. 194.

⁵ DE MEESTER, o. c., art. 29, com. 5, p. 195.

⁶ Vide alia exempla ibid., et ss.

⁷ Ibid., p. 316.

⁸ Ibid., p. 199.

tiva, apud S. Epistasiam executiva, reliqua duo sunt corpora consultiva.⁹

In Ecclesia Ruthena norma generalis vigeat autonomiae internae singulorum monasteriorum, quorum unumquodque erat « sui iuris » ab alio indipendens, et regimen eorum internum erat decentralisatum. Hoc demonstrant documenta hucusque allata, in quibus nulla fit mentio alicuius potestatis internae Hegumeno aut Archimandritae Superioris, qui immediate subduntur potestati externae sive Episcopi sive Patriarchae sive solius principis — fundatoris.

Neque in Ecclesia Ruthena applicationem habebant uniones et confoederationes monasteriorum, quas nuperrime in oriente vidimus, praeter dependentiam quorundam monasteriorum adscriptorum a suis principalibus monasteriis. A saeculo enim XII exstiterunt in Ecclesia Ruthena s. d. monasteria adscripta, quae in plena potestate erant sui monasterii principalis, a quo accipiebant Superiorem et cui omnium rerum rationem reddere debebant.¹⁰ Ex anno 1744, 5, VII habetur rescriptum SCPF. editum occasione conversionis e schismate monasterii Niskinicensis, quo SC. decidit, consulendum esse SS^o, ut declaret monasterium Niskinicense sub protectione S. Sedis in perpetuum esse debere, *sublata affiliatione eiusdem* monasterio Kievo-Peceriensi a fundatore volita, quousque monasterium Peceriense in schismate perduret — SS.us benigne approbavit.¹¹

Est quidem etiam in Ecclesia Ruthena mentio tituli Proti. In epistola nempe encyclica Jobi Boretskij, Metropolitanus Kioviensis inveniuntur subscriptiones trium Protorum: Varlaami, Archimandritae Kroni et Proti monasteriorum Ducatus Lithuaniae, Theodosii, Hegumeni Skyti et Uhorniki, Proti monasteriorum Palatinatus Russiae et Palatinatum Belz et Podoliae atque Cyrilli, Hegumeni Lubartensis, Proti monasteriorum Palatinatum Kioviae, Volhyniae et Braclav.¹² At titulus hic certis Archimandritis et Hegumenis concessus videtur fuisse potius honorificus, quam expressio verae potestatis super monasteria enumerata tamquam in confoederationem unita adinstar confoederationum, quas in Oriente vidimus; essent enim notae huiusmodi confoederationes; historia tamen eas ignorat.

Inde ergo patet, usque ad reorganisationem monachatus Rutheni a Metropolita J. V. Rutskyj peractam, normam generalem et fere unicam viguisse in Ecclesia Ruthena singulorum monasteriorum autonomiae, cum eorundem regimine interno decentralisato.

§ 2.

DE MONASTERIORUM SUPERIORIBUS.

V. Norma: Singulis monasteriis unus praepositus-Hegumenus vel Archimandrita praerat.

Unitas praepositi, in omni et pro uno tantum monasterio singulari,

⁹ Vide alia exempla DE MEESTER, o. c., art. 88-89 pp. 37-41.

¹⁰ MAKARIJ, o. c., t. IV, p. 216.

¹¹ APF, Acta 1744, v. 114, f. 333, n. 30.

¹² DE MEESTER, o. c., art. 29, com. 9, p. 200.

elucet in omnibus documentis Ecclesiae orientalis. Iam enim Justinianus legem tulit et principium posuit — pro omni et uno tantum monasterio, unus antistes: « Sancimus, *ne quis duobus monasteriis praesit*, sed ut ea sint quidem sub religiosissimo episcopo eius territorii in quo sita sunt, *unumquodque vero proprium habeat antistitem*, quo de institutione et factis antistitis respondeat episcopus, de monachis antistes ». ¹³

Quod principium in Nomocanonen receptum est, titulo I, cap. 20, in quo in genere unitas praepositorum in organisatione ecclesiastica urgetur atque inter νόμιμα citatur const. 39, tit. III, L. I Codicis:

« Sed neque fit praesul duorum monasteriorum, ut const. XXXIX, eiusdem tituli ». ¹⁴

Praepositi monasteriorum in principio nonnisi Hegumeni seu simplices monachi erant, sine ulla dignitate ecclesiastica. Canones Conciliorum vocant eos promiscue sive termino tecnico ἡγούμενος, hegumenus, sive per descriptionem eorum muneris. Ita e. g. Trull. canone 41 vocat eum τῆς μονῆς ἐξάρχων, ¹⁵ canone vero 46: ὁ τῆς ἡγουμενείαν ἐμπειπιστευμένος; ¹⁶ Const. A'B' canone 3: ὁ τῆς μονῆς προϊστάμενος. ¹⁷ Posteriore tempore quibusdam Hegumenis tribui incipit dignitas quaedam ecclesiastica, quae « archimandritatus » vocatur atque Hegumeni eadem insigniti Archimandritae denominantur.

Terminus tamen Archimandrita, ἀρχιμανδρίτης, non semper idem significabat. Principio in eodem sensu adhibebatur ac Hegumenus, ita in Constitutionibus ¹⁸ et Epitimiis S. P. Basilii atque legislatione Justiniana ¹⁹ et Nomocanone. ²⁰ Inde a saeculo x Archimandritae sunt Superiores praestantiorum monasteriorum, quibus committitur plurium monasteriorum inspectio et simul conceditur titulus honorificus Archimandrita et inde manifestari coepit dignitatis nota, qua afficiebatur hoc munus. ²¹ Decursu temporis inspectio super monasteriis in singulis eparchiis transiit ab Archimandritis ad alios officiales eparchiales i. d. magnos sacellarios. Sed ipsa denominatio illorum conservata est atque concedebatur uti titulus honorificus Hegumenis antiquiorum et praestantiorum monasteriorum in unaquaque eparchia. ²²

In monachatu primitivo Ecclesiae Ruthenae monasteriorum Superiores erant simplices monachi seu Hegumeni, quodam quidem titulo archimandritali et dignitate ecclesiastica investiti in documentis apparent nonnisi a saeculo xii; scil. anno 1174 Archimandrita monasterii Kievopeterskiensis constitutus est Hegumenus Policarpus, postea ab anno 1226

¹³ Codex I. I, t. III, const. 39-40; C. J. C. v. II, Berolini 1900, p. 25.

¹⁴ Ὅστε δὲ ἡγούμενος γίνεται δύο μοναστηρίων, ὡς διὰτ. λθ'. τοῦ αὐτοῦ τίτλου. PITRA, o. c., t. II, p. 472.

¹⁵ Ibid., p. 46.

¹⁶ Ibid., p. 49.

¹⁷ Ibid., p. 129.

¹⁸ Supra p. 5.

¹⁹ Novella V, cap. 7; C. J. C. v. III, Berolini 1899, p. 33.

²⁰ Titulo XI, cap. 1; PITRA, o. c., t. II, p. 589.

²¹ DE MEESTER, o. c., art. 29, com. 7, p. 197.

²² GOLUBINSKIJ, o. c., t. I, 2, p. 709.

habetur Archimandrita Novhorodensis, ab anno 1230 — Volodimiriensis, et ab anno 1261 — Rostoviensis.²³

Videbimus in sequenti eorum qualitates, constitutionem, potestatem et officia atque depositionem.

a) *Qualitates.*

1) Qui monachis praeficitur eorumque dux constituitur, ipse etiam monachus esse debet. Sed non semper exigitur, ut monachus sit dum Hegumenus eligatur; ita e. g. anno 1182 in Hegumenum Pecerskiensem electus est sacerdos saecularis — viduatus.²⁴ Postea persaepe titulo et potestate archimandritali in pluribus monasteriis gaudebant Episcopi; at hi nonnisi e monachis constitui potuerunt.

2) Dotibus respectivis praeditus esse debet, quas iam Justinianus indicavit:

« Iubemus igitur abbatem aut archimandritam in unuquoque monasterio ordinari... fidei rectae et vitae castae et gubernatione dignum et qui possit monachorum disciplinam et omnem monasterii statum utiliter custodire... ».²⁵

3) In typico Theodori Studitae, secundum redactionem Patriarchae Alexii, quam applicavit S. Theodosius monasterio Pecerskiensi, requiritur, ut eligendus sit de monasterio, in quo eligitur in Hegumenum.²⁶ Item in iure orientali communi e regula eligendus Hegumenus e monachis proprii conventus, at ob graves causas assumi potest etiam ex aliis conventibus.²⁷ In Ecclesia Ruthena plura habentur exempla evectionis in Hegumenos et Archimandritas xenocuritarum: iam anno 1057 Hegumenus monasterii Pecerskiensis Barlaam constituitur a principe Isiaslao Hegumenus monasterii S. Demetrii. At praecipue in monasteriis principum et postea in regno Poloniae in monasteriis regii et magnatorum patronatus Hegumeni et Archimandritae constituuntur secundum voluntatem patronum sine discrimine provenientiae.

4) Si quae typica aetatem Superiorum definiunt, illa inter 30 et 40 annos oscillari videtur. Secundum vero memoratum typicon Patriarchae Alexii a candidato requiritur, ne sit natu minor 33 annorum.

5) E regula etiam secundum ius monasticum orientale commune Hegumenus hieromonachus esse debet, at non iure exclusivo. Antiquitus monasteriorum antistites frequenter ordine hieratico orbatu erant, immo adhuc canon 19 concilii VII supponit Hegumenum non sacerdotem esse posse. Iuxta typicon praedictum Patriarchae Alexii Hegumenus si possibile sit, sacerdotio insignitus sit.²⁸ Utrum tamen in Ecclesia Ruthena in

²³ Ibid.

²⁴ Ibid., p. 701.

²⁵ Κελεύομεν τοίνυν τὸν ἀββᾶν ἢ τὸν ἀρχιμονδρίτην ἐν ἐκάστῳ μοναστηρίῳ προβάλλεσθαι... τῇ πίστει ὀρθὸν καὶ τῷ βίῳ σώφρονα καὶ τῆς διοικήσεως ἀξίον καὶ δυνάμενον τὴν τῶν μοναχῶν ἐπιστήμην καὶ πᾶσαν τὴν τοῦ μοναστηρίου κατάστασιν χρησίμως φυλάξαι.... Novella 123, c. 34.

²⁶ GOLUBINSKIJ, o. c., t. I, 2, p. 699.

²⁷ DE MEESTER, o. c., art. 32, § 4, p. 17.

²⁸ Cfr. DE MEESTER, o. c., art. 32, com. 6, p. 215.

usu aliquando fuisset constituendi Hegumenos non sacerdotes difficile affirmatum est. Synodi²⁹ et diplomata fundatorum³⁰ persaepe characterem sacerdotalem Hegumenorum sublineant ac supponunt.

Praeter has iure communi a candidatis ad hegumenatum qualitates requisitas, ceteras determinant singulis particularia monasteriorum typica. In regno tamen Poloniae expresse inde ab anno 1607, lege lata in Comitibus generalibus regni sub cap. 28 « Religio Graeca », a candidatis ad dignitates et beneficia a rege conferenda in Ecclesia Ruthena requiritur ut sint: a) nobiles, b) natione Rutheni, c) religionis graecae, d) unum non plura beneficia conferenda uno.³¹

b) Constitutio Hegumenorum et Archimandritarum.

Iure communi orientali Hegumeni constituuntur aut designatione aut electione cum consequenti confirmatione. Antiquitus Hegumenus designabatur aliquando a suo praedecessore; communiter tamen designatur a fundatore cum certis conditionibus et quibusdam casibus directe ab Episcopo vel Patriarcha. At communior et traditione usuque probatior modus Hegumenum constituendi est electio eiusdem a communitate coenobii sive tota sive a praestantioribus eiusdem membris qui quidem eligunt aut immediate Hegumenum aut certum numerum candidatorum.³²

In Ecclesia Ruthena non idem semper et ubique erat modus Hegumenos et Archimandritas constituendi. In typico Patriarchae Alexii, a S. Theodosio monasterio Pecerskiensi applicato, haec de Hegumeno constituendo habentur: « demortuo hegumeno, intra triduum fratres preces communes calidas ad Deum elevant, ut ipsi dignum ostendat et posito S. Evangelo eligent — Deo gratias, si vero non, tunc eligant tres candidatos eantque cum precibus ad patriarcham, ut hic ex illis tribus unum eligat ».³³

Verumquidem plures habentur relationes de constitutione Hegumenorum in Ecclesia Ruthena primis saeculis, quae fieri videntur sola electione fratrum uti e. g. annales sub anno 1074 et Nestor in vita S. Theodosii de huius successore attestant, aut quod refertur de electione sacerdotis saecularis Hegumenum Pecerskiensem sub anno 1182, aut de electionibus Hegumenorum monasterii Novhorodensis anno 1147, 1157 et 1162 et inde Golubinskij adfirmat: « Certe scimus monachos solos elegisse sibi hegumenos; certe scimus monachos solos potuisse hegumenos amovere ».³⁴ Attamen recte animadvertit Bulgakov: « omnes huiusmodi relationes de electione hegumenorum haberi possunt uti incompletae ». Tamquam completa relatio huius rei sequenti loco annalium de electione

²⁹ Cfr. const. IV synodi Vladim. 1274; PELESZ, o. c., t. I, p. 435; const. 12, synodi Vilnen. 1509; Opisanie K. S. S., n. 10, p. 46.

³⁰ Cfr. e. g. diploma Princ. Lith. Georgii, AZR, t. I, n. 43.

³¹ ASV, Arch. Nunz. di Vars., v. 76, p. 257.

³² DE MEESTER, o. c., art. 33 et 34, p. 17.

³³ GOLUBINSKIJ, o. c., t. I, 2, p. 699.

³⁴ GOLUBINSKIJ, o. c., t. I, 2, p. 701.

Kievo-Pecerskiensis Hegumeni Prochori indicari potest: « fratres hegumeno orbatu congregati sunt omnes et designaverunt hegumenum filium sacerdotis Prochorum et annuntiaverunt Metropolitae cum gaudio constituere (illum) et constitutus est », i. e. Hegumenum eligebant ipsi fratres, sed postea certiore reddebant hac de re Episcopum loci et principem atque Episcopus cum approbatione principis Hegumenum secundum ordinem ecclesiasticum constituerebat.³⁵

In regno Poloniae regi aliisque patronis vi iuris patronatus competeat ius praesentationis, vel prout tunc in terminologia erat, ius collocationis hegumenatum et archimandriarum. Rex aliique patroni petentibus sive monachis sive etiam Episcopis expediebant diplomata respectiva monasteria sive simplicia, sive archimandritalia conferentia in titulum petentibus, loci vero Episcopus, si opus erat, candidatis praesentatis benedictionem sive archimandritalem sive hegumenalem impertiebat eosque in officio instituebat.

Quibusdam tamen monasteriis vi chartae foundationis aut privilegii ius competeat praeviae monachorum electionis. Tunc rex aliique patroni electionem confirmabant. Ita e. g. secundum diploma Sigismundi I editum monasterio Pecerskiensi anno 1522, 4, VII Archimandritam eligebant: seniores monasterii, princeps Kioviensis, nobiles et terrarum possessores terrae Kioviensis, rex vero hanc archimandriam illo conferebat, quem illi elegerunt.³⁶

Tum Archimandritae tum Hegumeni constituiebantur ad vitam, hinc etiam Hegumeni benedicebantur. Est tamen differentia inter benedictionem archimandritalem et hegumenalem, non tantum in ritu, sed etiam in eius effectibus iuridicis. Dum Hegumenus etiam sine benedictione esse potest, non tamen Archimandrita, qui benedictione constituitur. Ipsi conceduntur insignia specialia ritu praescripta adinstar episcopalium, saltem in Ecclesia Ruthena inde a saeculo xvi. Ipsi, tamquam dignitate insigniti, praecedunt Hegumenos locumque obtinent statim post Episcopos. Eo etiam ipso, quod Hegumenus monasterii alicuius ad dignitatem archimandritalem evectus est, seu benedictionem archimandritalem accepit, monasterium illud in archimandriam erigebatur. Hinc in potestate Episcopi loci erat monasteria in archimandrias erigere et suppressere, attamen non sine (voluntate) consensu regis aliorumque patronorum, praecipue si agebatur de monasteriis, quibus consuetudine antiqua titulus archimandriae competeat; hinc cui huiusmodi monasterium diplomate patroni in titulum conferebatur, tamquam archimandria conferebatur et consequenter ille, si opus erat, ab Episcopo loci in Archimandritam benedicendus erat.³⁷

c) Potestas et officium Hegumenorum et Archimandritarum.

Potestas et officium Hegumenorum et Archimandritarum definiebatur iure communi et typico uniuscuiusque monasterii. In genere totum

³⁵ MAKARIJ, o. c., t. II, p. 94-5.

³⁶ MAKARIJ, o. c., t. IX, p. 229.

³⁷ Cfr. e. g. Diploma Principis Lithuani Georgii Archimandritae Onuphriensi

regimen monasterii internum erat in manibus unius Superioris, cuius potestas erat absoluta et interne illimitata.³⁸

Generale eius officium erat attendere ad observationem regularum, traditionum et constitutionum seu typici.³⁹

Inter iura Hegumeni praecipuum erat ius et facultas conferendi ordines minores monachis proprii monasterii. Ut praedictos ordines, etiam infimi gradus, conferre valeat, secundum praescriptum canonis XIV Concilii Nicaeni II necessarium est, ut Hegumenus ipse sit sacerdos, impositionem manuum seu benedictionem hegumenatus ab Episcopo accipiat, et in proprio monasterio tantum lectores constituat.⁴⁰ Quod vero etiam subdiaconatus ordinem conferre potest, patet ex canone 25 S. Nicephori Confessoris.⁴¹

Etiamsi Hegumenum in regendo monasterio, sicut in iure orientali communi γέροντες vel γεγηρακότας⁴² et postea ἡ γερουσία vel ἡ γερωνία⁴³, ita etiam in Ecclesia Ruthena « starcy », seniores adiuvabant, qui Hegumeni consilium, ad quod ille in rebus maioris momenti secundum diversa typicorum praescripta recurrere debuit, constituebant, hi tamen potestatem illius absolutam limitare non potuerunt, sed monachis ab Hegumeni decisionibus ad Episcopum vel persaepe ad fundatorem recursus patebat. Quod autem vel magis dicendum est de monasteriis in regno Poloniae, ubi Hegumenus vel Archimandrita monasterium tamquam beneficium in titulum personalem a patrono acquirebat.

d) *Depositio Hegumenorum et Archimandritarum.*

In iure orientali communi iam in canonibus indicantur quaedam causae seu delicta, propter quae Hegumeni deponendi erant. Ita e. g. canone 12 Conc. VII Episcopo et Hegumeno prohibetur bona ecclesiae vel monasterii alienare in manus alicuius principis sub poena depositionis:

« Porro episcopus vel monasterii praefectus, qui hoc fecerit, exturbetur quidem episcopus ab episcopatu, monasterii vero praefectus a monasterio ».⁴⁴

Canone 19, vero, eiusdem Concilii sub eadem poena prohibetur admissio simoniaca ad vitam monasticam soluto praetio.⁴⁵

in Mstyslav concessum anno 1443, AZR, t. I, n. 43. Diploma Magni Ducis Lithuan. Alexandri Archimandritae Pecerskiensi Philareto editum 1494, 23, IV, AZR, t. I, n. 117; Diploma Sigismundi III confirmans Archimandritam Kievo-Pecersk. E. Pleteneckyj 1605, 22, II, Akty J. Z. R., t. II, n. 17.

³⁸ GOLUBISKIJ, o. c., t. I, 2, p. 699.

³⁹ DE MEESTER, o. c., art. 39, § 1, p. 19.

⁴⁰ PITRA, o. c., t. II, p. 114.

⁴¹ Ibid., p. 330.

⁴² Novella Just. 133, c. I et II.

⁴³ MEYER, *Haupturkunden für die Geschichte der Athos Klöster*, p. 169.

⁴⁴ Καὶ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὁ ἡγούμενος τοῦτο ποιῶν, ἐκδιωθήτω· ὁ μὲν ἐπίσκοπος τοῦ ἐπισκοπείου· ὁ δὲ ἡγούμενος τοῦ μοναστηρίου. PITRA, o. c., t. II, p. 113.

⁴⁵ Ibid., p. 118.

Item secundum Can. 2 Const. A'B' deponendus est Hegumenus, qui aliquem « tondit (ἀποκουρεύων) sine praesentia eius praefecti, qui ipsum debet ad oboedientiam suscipere ».⁴⁶ Secundum can. 5 eiusdem concilii deponendus est Hegumenus, qui, praeter casus in eodem enumeratos ante triennium ad experientiam (novitium) relictum, aliquem ad habitum monasticum (professionem) admiserit.⁴⁷

In hisce canonibus nulla mentio fit deponentis, sed sine dubio intelligendus est Episcopus loci, cui secundum Concilium Chalcedonense omnes monachi subiiciuntur. Dein in Novella Justiniani, quae in Nomocanonem recepta est, principium proponitur generale:

« Et constit. XVII tit. I Novellarum, quum episcopus, inquit, accusatur, metropolitanus iudicat. Si vero metropolitanus accusetur, ipsius patriarcha cognoscit; sed si clericus aut monachus, eius episcopus. Qui autem deliquit, iudicio eius qui causam examinat, secundum canones castigatur ».⁴⁸

In posteriori evolutione disciplinae monasticae depositio Hegumenorum determinatur tum iure communi tum singulorum monasteriorum typicis secundum quae huiusmodi depositio fieri potest:

- a) Ex parte confraternitatis, iuxta normas proprii typici,
- b) Ex parte superioris ecclesiasticae potestatis.

Statuta particularia monasterii conditiones et iudiciorum formulas determinant circa huiusmodi destitutionem.⁴⁹

In Ecclesia Ruthena primis saeculis sicut in iure orientali communi de regula Hegumenos propter causas in iure enumeratas deponebat Episcopus, quod praeprimis applicabatur monasteriis s. d. independentibus, quae scil. a potestate principum-fundatorum libera erant et subiiciebantur omnino Episcopo ad normam iuris.

In monasteriis vero principum, quorum maior pars erat, Hegumenos ob causas canonicas deponere potuisse Episcopus, sciente principe, analogice ad electionem, uti supra, dicendum est. Quod quidem indicat vel disciplina adhuc in Magno Ducatu Lithuano conservata, prout hoc in diplomate supra allato legitur: « Si vero Vladyca (Episcopus) causam aliquam spiritualem adversus eum (archimandritam Onuphriensem) habebit, tunc nobis tantum ipsis cum Vladyca illum archimandritam iudicandum erit ».⁵⁰

In regno vero Poloniae ob causas bonorum monasterii Archimandritas et Hegumenos iudicabat rex; ob causas canonicas Episcopus iudicabat et deponebat cum scitu regis. In ceteris denique cum scitu fundatorum.

⁴⁶ Ibid., p. 128.

⁴⁷ Ibid., p. 131.

⁴⁸ Καὶ ἡ ιζ' διατ. τοῦ α' τίτ. τῶν νεαρῶν φησὶν, δεῖ ἐπισκόπου κατηγορουμένου, ὁ μητροπολίτης κρίνει, εἰ δὲ μητροπολίτης κατηγορεῖται, ὁ πατριάρχης αὐτοῦ σκοπεῖ, εἰ δὲ κληρικὸς ἢ μοναχὸς, ὁ ἐπίσκοπος αὐτοῦ· καὶ ὁ πταίσας, κανονικῶς σωφρονίζεται τῷ κρίματι τοῦ ἐξετάζοντος. ΠΙΤΡΑ, ο. c., t. II, p. 541.

⁴⁹ DE MEESTER, o. c., art. 43, § 3, 4, p. 20.

⁵⁰ Diploma principis Lithuani Georgii, AZR, t. I, n. 43.

P A R S P R I M A

**De generali regiminis Basilianorum Ruthenorum
saeculis XVII et XVIII caractere.**

De generali regiminis Basilianorum Ruthenorum saeculis XVII et XVIII caractere.

Obiectum huius dissertationis proprium, quod iam immediate aggredimur, est regimen Basilianorum Ruthenorum secundum formam, quam saeculis xvii et xviii habuit, considerandum.

Non multo enim tempore postquam Ecclesia Ruthena ad avitam unionem cum Sede Apostolica Romana in fine saeculi xvi (1595/6) reversa est, status monasticus eiusdem Ecclesiae formam pristinam orientalem, quam in introductione vidimus, hucusque retinens, ab initio saeculi xvii (1617) secundum novam formam, quae characterem disciplinae religiosorum Ecclesiae Latinae potius, quam antiquae monasticae orientalis praesefere dicenda est, evolvi coepit.

Novae enim exigentiae Ecclesiae Ruthenae noviter unitae Hierarchiam Ruthenam cogeant ad media efficacia invenianda, quae Unionis feliciter peractae tuitionem, defensionem et propagationem assicurent et ad metam non brevem illam stabiliendam permitterent. Huiusmodi autem medium iam primis Ecclesiae Ruthenae unitae Metropolitanis visum est omnium efficacissimum non nisi in statu monachorum inveniendum fore, ex quo tota Hierarchia Ruthena secundum consuetudinem orientalem provenire et assumi debuit.

Status ergo monachus in Ecclesia Ruthena unita in apice vitae religiosae et disciplinae ecclesiasticae ponendus erat. Inde etiam, uti hoc Benedictus XIV optime comprehensit attestatque proveniebat, quod: « Hypatius nimirum Metropolita, unus ex legatis ad Clementem Papam VIII missis, cum intelligeret, nullum aptius fore medium ad sanctam unionem fovendam et propagandam, quam si monachos Basilianos, quorum unicus apud Ruthenos est monasticus ordo, sibi coniungeret; insigne ipsorum monasterium acquisivit sub invocatione sanctissimae Trinitatis Vilnae constitutum, atque in eo collectos iuvenes in monachos erudiri curavit. Huius vero successor Iosephus Velaminus pluribus eiusdem ordinis monasteriis quae antea segregata debebant ad unionem redactis, unam ex eis monachorum congregationem efformavit, quam de nomine supra dicti monasterii — congregationem sanctissimae Trinitatis unitorum — nuncupavit ». (« Inter Plures », § 2).

Nova Congregatio monachorum, abhinc Basilianorum nomine nuncupatorum, instaurata, novam etiam regiminis formam accepit, quae per duo sequentia saecula continuae evolutionis inter duas disciplinas orientalem et latinam fluctuans, institutum iuridicum omnino novum, hucusque

tam in iure orientali, quam latino ignotum et sibi proprium constituit et efformavit; quodque in praesenti sub duplici aspectu considerandum proponitur, scilicet:

- I) In suo caractere generali — pars prima.
 II) In singulis suis institutis — pars secunda.

Ratio primae partis ponendae iam e dictis enucleatur. Regimen enim praedictum formam repraesentat, quae sibi est propria; non est enim nec pure orientalis, etiamsi vestigia eiusdem conservet, neque pure latina, etiamsi magna ex parte huic adhaereat. Praeterea neque in iure latino omnium religiosorum regimen identicae est formae, unde ratio est quaerendi, quatenus forma latina in regimine Basilianorum sit imitata. Denique specificum eiusdem regiminis in toto spatio duorum saeculorum spectati est eius continua evolutio, cuius periodi et causae, si statim initio indicatae non essent, haud facile singulorum institutorum evolutio comprehenderetur. Hinc est quod inprimis de indole generali regiminis praedicti, indicando quatuor iusdem proprietates, agimus.

Antequam tamen hasce videbimus disputationem praemittimus de notione et divisione religiosorum regiminis in genere.

Terminus « regimen » ethimologice derivatur a regere, gubernare.

S. Thomas autem gubernationem definit: « Gubernatio nihil aliud est, quam directio gubernatorum ad finem, qui est aliquod bonum ».¹ Ergo regimen cuiuslibet societatis erit directio membrorum ad societatis finem. Regimen denique religiosorum erit directio eorundem ad finem supernaturalem.

In analysi directionis tria distinguenda sunt:

- 1) potestas dirigendi,
- 2) subiectum eiusdem potestatis,
- 3) exercitium eiusdem potestatis.

Haec tria elementa in omni definitione regiminis supponuntur, etsi non semper exprimuntur. Auctores vero in definiendo regimine modo ipsam potestatem, modo autem subiectum eiusdem sublineant. Ita e. g. Wernz altera vice definit regimen per ipsam potestatem dirigendi, altera vero per subiecta eiusdem. Religiosorum enim regimen in genere definit: « Quod regimen est aut internum in ipso ordine religioso stabilitum et per proprios sodales religionis exercendum aut externum quod Praelati hierarchiae ecclesiasticae extra ordinem religiosum constituti vi iurisdictionis ordinariae vel delegatae habent in religiones et congregationes religiosas earumque alumnos et familiares velut R. Pontifex, Congregatio Rel., Episcopi residentiales ».² Hic evidenter pro regimine sumitur summa potestatum, nam dicitur hoc regimen « per proprios sodales exercendum ». Exercetur vero facultas, potestas.

In alio autem loco ita definit eorundem regimen externum: « Regimen externum regularium complectitur omnes Praelatos ecclesiasticos extra ordinem constitutos ».³ Hic vero consideratur regimen concrete in personis determinatis, quae sunt subiecta potestatis.

¹ I^{ae}, d. 103, art. 3, c.

² WERNZ, *Ius Decret.*, v. III, 1-2, n. 681.

³ Ibid. n. 697.

Religiosorum regiminis divisio:

1) Regimen externum et internum, prout modo retulimus.

2) Regimen vero internum potest esse:

a) centralisatum vel decentralisatum.

Regimen centralisatum tunc habetur, quando totus Ordo vel Congregatio e pluribus domibus vel etiam provinciis complexa regitur ab una, communi, suprema auctoritate interna.

Dicitur « ab una communi », cui scil. omnes et singulae alicuius Ordinis vel Congregationis domus a se invicem independentes aequo modo subduntur. Idem de provinciis.

« Suprema » quae scil. excludit potestatem in eodem ordine Superiorum et complectitur omnem potestatis ad intra ambitum, quo pacto distinguitur e. g. ab oeconomica tantum, etsi communi.

« Interna » scil. ad intra Ordinis vel Congregationis, ut distinguatur ab externa Ordinis auctoritate. Nam S. Sedes pro unuquoque Ordine est quidem auctoritas una, communis, suprema, attamen per eam nullius Ordinis regimen centralisatum efficitur, quia non est Ordini interna. Regimen autem decentralisatum alicuius Ordinis vel Congregationis tunc habetur, quando singulae domus ad invicem independentes a Superioribus localibus totaliter ad intra reguntur, auctoritas vero communis, superior, interna non datur.

b) Exemptum vel non exemptum. Communiter de exemptione vel non exemptione sermo instituitur, dum totus Ordo vel Congregatio sub considerationem veniat, dependenter ab eo, utrum ille vel haec immediate Romano Pontifici subiiciatur et ab episcopali potestate, nisi in casibus a iure exceptis, sit immunis vel non. Attamen ex tota religione haec denominatio etiam in regimen eiusdem transit. Hinc regimen religiosorum dicitur exemptum vel non, dependenter ab eo, utrum Superiores illud componentes in munere suo obeundo immediate Romano Pontifici subiecti et a potestate Ordinarii loci, exceptis excipiendis, immunes esse debeant vel non.

c) Monarchicum, aristocraticum, democraticum. Quidam auctores spectata regiminis forma, hanc triplicem eiusdem speciem distinguunt. « Primum est, quando Superior absolute et per se absque aliorum dependentia, communitatem gubernat. Huiusmodi gubernium apud Benedictinos ex primaria institutione viguisse et nunc etiam apud Patres S. J. participans tamen in aliquibus de aristocratia testantur auctores.

Secundum est, quando communitas regitur per unum, sed cum dependentia a consiliariis, quale fuit eorum gubernium, qui sub Regula S. Basilii necnon et S. Augustini vivunt.

Tertium vero est quando communitas per multos, a communitate electos, regitur; uti evenit apud PP. Carmelitas ex vi Regulae Primitivae.⁴

d) Regimen in foro externo et interno. Primum respicit primario et per se bonum publicum seu commune et versatur in regendis actibus socialibus religiosorum; ad alterum pertinent primario et per se actiones privatae religiosorum et primario attendit ad bonum privatum seu conscientiae singulorum.⁵

e) Regimen secundum disciplinam orientalem, vel latinam vel mixtum. Etiam si initio vitae monasticae normae formam eiusdem saltem coenobiticam determinantibus communes erant pro monachatu orientali et occidentali, decursu tamen cursu tamen temporis, in diversa Ecclesiae orientalis et latinae evolutione disciplinae generali etiam forma vitae monasticae diversam subiit evolutionem, duplicem

⁴ PIATO MONTESI, *Praelectiones iuris regularis*, t. I, qu. 618, ubi etiam alios auctores invenies citatos, uti: Suarez, Tamburini, Lessius, etc.

⁵ Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, t. I, n. 313.

efformando disciplinam mon. orientalem scil. et latinam, quarum utraque non unam quidem in se continet determinatam in concreto formam, principia tamen generalia indolem specificam utriusque determinantia utraque propria habet. Regimen inde religiosorum secundum principia utriusque disciplinae propria pro parte constitutum iuste regimen mixtum vel characteris medii vel ex duplici disciplina compositum vocatur.

Explicata notione atque diversis speciebus et formis regiminis religiosorum in genere, iam ad determinandum characterem seu indolem generalem ipsius regiminis Basilianorum Ruthenorum tempore praedicto gressum facimus; quemque quatuor proprietatibus eiusdem specificis designare conamur. Tres harum proprietatum, sunt proprietates internae, quae ipsam naturam illius determinant; scil.:

- 1) eiusdem **ex duplici disciplina compositio.**
- 2) eiusdem **centralisatio.**
- 3) eiusdem **exemptio.**

Hisce tribus proprietatibus additur et praemittitur una nota externa, quae nonnisi perspecto duorum saeculorum temporis spatio, animadverti potest, seu eiusdem **continua evolutio.**

Praemittitur autem haec illis propterea, quod expositis periodis huiusmodi evolutionis eiusque indicatis causis iam facilior et clarior totius dissertationis expositio et perceptio reddetur.

CAPUT I.

De regiminis evolutione

Prout immediate supra insinuatum est, capite praesenti indicari debet evolutionis factum, eiusdem causae, in regimine praedicto. Evolutio sensu proprio, quae primariam sedem in scientiis biologicis habet (evolutio biologica - epigenetica), illa intelligitur transformatio organismi vivi, qua ex germine, quod singula organa virtute potentiaque, non autem ut talia praeformata continet, ens vivum enascitur, crescit, usque ad perfectionem connaturalem perducitur.

Sensu vero translato ad scientiam iuridicam evolutio iuridica significat instituti alicuius iuridici vel totius legislationis originem cum posterioribus eorundem determinationibus et mutationibus.

Regimen Basilianorum Ruthenorum, uti in unam Congregationem unitorum originem ducit inde a primo eorundem capitulo anno 1617 celebrato, quod autem per duo saecula sequentia magis semper determinabatur et in pluribus mutabatur. Huiusmodi tamen evolutio praecisa singulorum regiminis institutorum ostendetur parte secunda, dum de singulis institutis sermo erit; hic vero tantum periodi et phases evolutionis, quae omnibus vel pluribus institutis communes erant, indicantur suntque sequentes:

I^a periodus ab anno 1617 - ad annum 1743.

Quatuor habet phases: 1) Ab anno 1617 - ad 1624

2) » » 1624 - ad 1686

3) » » 1686 - ad 1720

4) » » 1720 - ad 1743

II^a periodus ab anno 1743 - ad annum 1795.

Tres habet phases: 1) Ab anno 1743 - ad 1756

2) » » 1756 - ad 1780

3) » » 1780 - ad 1795

PERIODUS PRIMA: 1617-1743

Haec periodus durat ab instauratione monachatus Rutheni per Metropolitanum Josephum Velamin Rutzkyj in primo capitulo ex antiquis monachis Ruthenis constituto a. 1617, quo nova Congregatio SS. Trinitatis Basilianorum Ruthenorum erecta est, peracta — usque ad reformationes Benedicti Papae XIV in Ordine Basiliano Ruthenorum con-

stituto e duabus antea erectis Congregationibus scil. praedicta — et alia anno 1739 provisorie erecta e monasteriis, quae hucusque Congregationi praedictae incorporata non erant, incoeptas inde ab a. 1743.

Tota legislatio huius periodi proveniebat imprimis ab ipso Ordinis Instauratore et monachis in capitulo congregatis, quae postea ab hisce ultimis evoluta est. Legislatio S. Sedis erat paucissima et in rebus fundamentalibus tantum generalissima, hinc et praecautissima. Plura instituta usu, praxi et consequenti consuetudine, non vero positiva legislatione determinabantur.

Regimen monachorum multum ab Hierarchia pendebat, immo Hierarchia et Ordo, initio saltem, unum quid constituebant cum reciproco ad invicem influxu. Regimen autem internum characterem familiarem potius, quam stricte iuridicum habuit.

Quod vero evolutionem ipsius regiminis praedicti spectat, quatuor phases in hac periodo sub respectu iuridico distinguendae sunt, quibus forma eiusdem regiminis notabilis mutabatur.

§ 1.

PHASIS PRIMA: 1617-1624.

Forma Basilianorum regiminis in efformatione eorundem Congregationis «SS. Trinitatis».

Efformatio Basilianorum Congregationis imprimis identificari non potest cum erectione novae Congregationis religiosae, quae fieri solet in Ecclesia Latina quamque supponit et determinat C. I. C. l. 1, t. IX, c. 492/3. Cum enim haec sit: « introductio novae religionis », ⁶ illa vero erat nonnisi transformatio monachatus orientalis iam existentis in unam Congregationem religiosam adinstar Congregationum religiosarum in Ecclesia Latina.

Huiusmodi vero transformationem monachatus Rutheni in Congregationem monasticam tertius ab unione Ecclesiae Ruthenae cum Sede Apostolica peregit Metropolita Iosephus Velamin Rutskyj duabus praecipue permotus rationibus, quarum prima respicit vitam internam Ecclesiae Ruthenae, altera vero externam Unionis propagationem. De prima loquitur praedictus Metropolita in sua oratione introductionali ad primum capitulum: « Finis harum rerum est gloria Dei, medium autem ad hanc adaugendam a nobis statutum est restauratio status clericalis; status autem clericalis alio modo restaurari non potest, nisi per restaurationem Ordinis, nempe in ritu Graeco, in quo ad omnia officia clericalia maiora personae desumuntur ex Ordine ». ⁷

De secunda autem loquitur in litteris scriptis ad SCPF. in quibus confirmationem petit Congregationis iam conditae: « Metropolita Russiae cum suis Epis. exponunt D. V. Illmis, quod ad extirpandum Schi-

⁶ Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, o. c., t. I, n. 598, p. 431.

⁷ S. I — AS, t. 12, p. 9.

sma in Russia et finitimis Provinciis maxime indigeant ope Monachorum Ruthenorum S. Basilii Cong-is SS-mae Trinitatis Vilnen. cum S.R.E. Unitorum quasi Unico Remedio ».⁸

Ad huiusmodi monachatus restaurationem seu Congregationis efformationem praedictus Metropolita accedebat cum methodica praeparatione, quam ipse in praedicta oratione ostendit: « Ad Ordinem restaurandum necessarius erat aliquis numerus (monachorum); hic autem constitui non potuit ex veteribus; sed etiam ex iunioribus Ordo restaurari non potuit priusquam eisdem data non esset educatio et exercitium religiosum tam in spiritu quam in disciplinis. Qua de re actum est cum effectu. Imprimis apud PP. Carmelitas discalceatos Cracoviae, quod tamen ad effectum non pervenit, quia aliquid aliud nobis magis necessarium Providentia Divina procuravit. Secundo pro studiis locum obtentum est apud PP. Jesuitas et apud Episcopos in Kalisz, Pultosk, Vilnae, Brunsbergae. Denique in ultimo Romam profectu optimum effectum utraque haec res obtinuit, nam iussu illorum Superioris duos patres spiritu perfectos accepimus, qui nobiscum habitabant et habitabunt usquedum omnes fratres exercitium spirituale (novitiatum?) peragent. Pro studiis vero 22 loca diversa a Sancto Patre sunt concessa ».⁹

Praeter iuventutem religiosam Rutskyj procurabat, semper in praevisione et intentione Congregationis efformandae, ut novae domus condantur. Iam enim uti monasterii Vilnensis archimandrita sive postea ut Metropolita nova monasteria et colonias condidit, ut in Novogrodek, Minsk, Zyrovyci, Byten,¹⁰ quae quatuor monasteria cum quinto et principali Vilnensi fundamenta constituunt novae Congregationis.

Denique ex diversis operibus S. P. Basilij regulas religiosorum collegit et pro sui temporis exigentiis accomodavit, « at etiam in hoc a doctrina S. Patris non deflectendo ».¹¹

Huiusmodi praeparatione peracta accedit iam ad ipsam Congregationis efformationem incipiendo non ab omnibus Ecclesiae Ruthenae monasteriis, quae, prout iam ex dictis patet, singulis locorum Ordinariis subiecta erant, sed a quinque memoratis monasteriis in propriis dioecesibus sitis (scil. Kioviensi-Metropolitana et Vilnensi), quorum principale Vilnense SS. Trinitatis, « e quo S. Josaphat, V. Rutskyj et plures alii monachi clarissimi, scientia et pietate evererunt ».¹²

Ibique iam ante Ordinis reorganisationem vitae monasticae renovatio praecipue illis duobus Coripheis praeceuntibus incoepa est. Iuste ergo Congregatio efformata denominationem « SS. Trinitatis » ab hoc monasterio desumpsit.

Convocatis ergo anno 1617, die 20 Julii, secundum calendarium Julianum, Superioribus e praedictis quinque monasteriis et e quibusdam eorundem etiam praestantioribus patribus cum assistentia et adiutorio duorum theologorum e Societate Jesu in suo praedio patri-

⁸ APF, *Memoriali 1624*, v. 384, f. 503.

⁹ AS, t. XII, p. 9.

¹⁰ *Litterae Ep. Susza ad SCPF 1664 a.* — APF — CP. 1755, v. 120, sum. 1.

¹¹ AS, t. XII, p. 10.

¹² *Litterae Ep. Susza ad Secret. SCPF. 1684 a.*, ibid.

moniali Novogrodovice, primas constitutiones fundamentales pro nova Congregatione ibi constituta Metropolita composuit. Capitula ulteriora uti Lavrysivense 1621 et Ruthaense 1623 constitutiones illas complent magisque determinant. Praeterea ultimo memorato capitulo Congregationi praedictae nova monasteria e dioecesi Polocensi S. Josaphat, qui huic capitulo personaliter interfuit, incorporata sunt.¹³

Secundum autem constitutiones in dictis tribus primis capitulis, quae approbationem novae Congregationis a S. Sede praecedunt, compositas, schema generale organisationis novae Congregationis hoc erat :

I. In capite Ordinis est Metropolita Ecclesiae Ruthenae, cuius iurisdictioni monachi subiecti esse volebant, cum hac praecautio, ut ille regulas ab ipsis praescriptas iuret, ne eius superintendencia Ordini noceat.¹⁴

II. Praeter illum est unus e medio monachorum ad vitam electus,¹⁵ non tamen Episcopus (ibid. p. 10, n. 11), qui administret et invigilet in bonum internum Ordinis cuique nomen Protoarchimandrita.¹⁶ Ad ipsum pertinet convocare capitula quadriennalia seu ordinaria,¹⁷ visitare monasteria,¹⁸ designare superiores etc.¹⁹ Eligitur a Metropolita, Superioribus, et legatis monasteriorum.²⁰ In casu eius obitus eius confessorius munere Vicarii G. fungetur, usque ad capitulum a Metropolita convocandum.²¹

III. Eidem adduntur quatuor Consultores²² et unus Secretarius generalis,²³ omnes advitales in capitulo electi, uti Protoarchimandrita,²⁴ qui in casu alicuius illorum obitus cum ceteris substitutorem usque ad capitulum eligit.²⁵

IV. Superiores locales a Protoarchimandrita cum Consultoribus communiter ad quadriennium designantur.²⁶

Habentur adhuc etiam Archimandritae ad vitam constituti et dignitate ecclesiastica ornati, ex disciplina antiqua, quos tamen Rutskyj suppressere volebat.²⁷

V. Capitulum generale duplicis est speciei scil. 1) electivum Protoarchimandritae, quod convocat cuique tempus, locum designat et praesidet Metropolita;²⁸ 2) ordinarium — quadriennale, quod convocat eique praesidet Protoarchimandrita.²⁹ Apud capitulum private est potestas legislativa.

VI. Relatio ad Hierarchiam. Metropolita postquam procurabit a rege³⁰ privilegium, ut soli Basiliani ad hanc dignitatem evehantur, eliget sibi simul cum Protoarchimandrita et Consultoribus gen. Coadiutorem cum iure successionis, qui

¹³ Cap. Ruthaense 1623, s. 6 — AS, t. XII, p. 30.

¹⁴ Cap. Novgorod. 1617, s. 2 — AS, t. XII, p. 10, n. 9.

¹⁵ Ibid., p. 11, n. 14.

¹⁶ Ibid., p. 10, n. 10.

¹⁷ Ibid., p. 12, n. 19.

¹⁸ Ibid., p. 10, n. 10.

¹⁹ Ibid., p. 11, n. 16.

²⁰ Ibid., p. 11, n. 12.

²¹ Ibid., p. 12, n. 20.

²² Cap. Novogr. 1617, s. 2 — AS, t. XII, p. 11, n. 15.

²³ Cap. Ruth. 1623, s. 5. — AS, t. XII, p. 29.

²⁴ Cap. Novogr. 1617, s. 3 — AS, t. XII, p. 11, n. 15.

²⁵ Ibid.

²⁶ Ibid., p. 11, n. 16.

²⁷ Cap. Lavr. 1621 — AS, t. XII, p. 23.

²⁸ Cap. Novogr. 1617 — ibid. p. 12, n. 20.

²⁹ Ibid., p. 12, n. 19.

³⁰ Ibid., p. 10, n. 9, 11, 19.

omnes episcopatus vacantes administraret. Ipse antequam ordinabitur iurare debet de iisdem regulis ac Metropolita respectu Ordinis observandis.³¹

Item aliud privilegium est procurandum, ut scil. episcopatus non conferantur, nisi Basilianis, Episcopi vero uti membra Ordinis sese considerent.³²

Denique Protoarchimandrita tum Metropolitae tum Episcopis adsciscere³³ debet aliquem patrem peritum, qui vitae illorum religiosae invigilet.

§ 2.

PHASIS SECUNDA: 1624-1686.

*Forma Basilianorum regiminis post decretum SCPF. a. 1624.
Congregationem eorundem approbans, usque ad cap. Novograd. 1686.*

Ratio ad novam phasim in regimine praedicto post decretum SCPF, 1624 a. editum non tam in multis variationibus, mutationibus et novis determinationibus in illo peractis consistit, quam in novo iuridico valore, quem forma illius iam assumpta accepit.

Etiamsi enim nova Basilianorum Congregatio iam tria convocaverit capitula eidemque in diem nova monasteria incorporarentur, totum tamen hoc opus non nisi tamquam praeparatorium ad formalem Congregationis Basilianae SS. Trinitatis erectionem per actum S. Sedis seu Eiusdem approbationem considerandum est.

Hoc modo statum novae Congregationis aestimat Benedictus XIV, de eadem a Velamino Rutzkyj noviter efformata postea loquens: «cumque bene nosset huiusmodi unionem, seu congregationem, minime canonicam esse, aut haberi posse, absque auctoritate et beneplacito Sedis Apostolicae, ad hanc ipsam debitum habuit recursum, atque opportunam ab ea obtinuit approbationem de anno MDCXXIV sub pontificatu fel. rec. Urbani Papae VIII».³⁴

Memoratum vero recursum Metropolita praedictus per s. d. *Memoriale* Sacrae Congregationi PF. porrectum fecit 1624 anno, sequentis tenoris: «Ill.mi et R.mi D.ni.

» Metropolita Russiae cum suis Epis exponunt D. V. Ill.mis, quod ad extirpandum Schisma in Russia et finitimis Provinciis maxime indigeant ope Monachorum Ruthenorum s. Basilii Cong-iss-SS-mae Trinitatis Vilnen. cum S.R.E. Unitorum quasi unico remedio. Atque ut eos ad hoc S. opus tanto efficacius accendant utque illi ipsi tanto frequentius Primatuj S. Petri propagando invigilent quanto maioribus se viderint Spiritualibus gratiis a S. Sede Aplica fore munitos et ornatos: supplicant humillime D. V. Illimis ut apud S. D. N. obtinere dignentur Breve, in quo dicti monachi Rutheni admittantur ad omnia omnium Religionum Latini Ritus, tam mendicantium, quam non mendicantium privilegia... a Summis Pontificibus unquam concessa, aut in po-

³¹ Ibid., p. 12, n. 21.

³² Ibid., n. 22.

³³ Cap. Novogr. 1617 — AS, t. XII, p. 12, n. 22.

³⁴ «*Inter plures*» § 2 — DE MARTINIS, o. c. P. I, v. III, p. 143.

sterum concedenda: sive in illis dicatur *Tantum*; sive quod non communicentur nisi expresse fiat mentio; sive cum aliis quibusvis clausolis insolitis, ut in inclusa pagina latius exprimatur. Servatis tamen Unionis Legibus in S. Conc. Florent. ab utraque Ecclesia celebrato expressis. Deinde ut in eodem Brevi expresse ponatur licentia et facultas p'dictis Monachis eligendi sibi Generalem suum, sive Protoarchimandritam totius Russiae, ut vulgo dicitur. Item cogendi et faciendi Congregat'es suas Generales singulis quattuor annis prout etiam nunc fit, vel interdum saepius si ita expediens visum fuerit. Et in iisdem Congregationibus statuendi et formandi sibi Constitutiones et statuta, ad Vitam Religiosam necessaria.

» Quae gratiae in simili sunt concessae monachis S. Basilii in Italia a fe; mem: Greg. XIII A° 1579 Kal. Novembr. in Brevi quod incipit *Benedictus Dns. Deus nr.* Servata tamen proportione Ritus et aliorum propriae Vocationi communium. Addendum vero esset quod eadem a Monachis factae Constitut'es videri debeant a Metrop'a Russiae ne fore aliquid in iis sit contra Regulas S. Basilii et ab eodem Metrop'a Autoritate Aplica confirmari propter distantiam magnam dictorum Monachorum ab Urbe. Sicut etiam propter eandem loci longinquitatem Metrop'ae Russiae a fe: Record. Clem. 8 concessum est, ut Ep'os suos nominet et ordinet sine ulla in hoc dependentia a Curia romana. Et Ep'i Rutheni Catholici cum dictis monachis hac a D. V. Illmis obtenta gra'a tanto ardentius orabunt Deum pro foelici illarum Statu. Quae Deus etc ».³⁵

Quinque ergo puncta ad regimen Basilianorum in hoc Memoriali referuntur:

- 1) Facultas eligendi sibi Protoarchimandritam.
- 2) Item cogendi et faciendi capitula quadriennalia vel saepius.
- 3) In iisdem statuendi et formandi constitutiones et statuta.
- 4) Constitutiones videri debent a Metropolita Russiae.
- 5) Et ab eodem Metropolita Auctoritate Apostolica confirmari.

Ad hoc memoriale respondit Sacra Congregatio suo decreto de die 4 Octobris 1624 anno.

« Congr-e, 23. Die 4 Octobris 1624.

» Fuit Cong-o in Quirinali Palatio coram Sanct-mo, cui interfuerunt omnes Cardinales in Curia pntes, Rmi Magalottus, et Montius, et Re Pr Dominicus, qui duplas aureas 25 Sac-ae Cong-i donatas detulit... 18: Referente eodem Cardinali (Bandino) petitiones Metropolitae Russiae Sacra Congreg-o decreuit, ut infra.

» 1° Communicationem privilegiorum Regularium, quam pro Monachis Ruthenis Sancti Basilii unitis Metropolita petebat iustis de causis denegavit.

» 2° Mandavit ut Monachi pti scripturam priuilegiorum Regularium, quae sibi concedi cupiunt, exhibeant, quia Sanct-mus ea, quae fuerint rationabilia libentissime concedet.

» 3° Conuenientissimum esse censuit, ut Monachi praefati in Cong-m

³⁵ APF, *Memoriali 1624*. v. 384, f. 503.

redigantur, quod si fecerint eisdem facultatem concessit eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Gnalem seu Proto-Archimandritam totius Russiae et singulis quadriennis Capitula gnalia congregandi in eisque constitutiones rationabiles in, et Sacris Canonibus, decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum constitutionibus non repugnantes conficiendi, a Romano Pontifice pro tempore confirmandas, quae tamen interim, ne disciplina Regularis patiatur detrimentum, a Monachis praedictis observandae erunt, donec aliter per Sedem Aplicam fuerit definitum.

» 4^o Mandavit, ut Constitutionem Gregorii XIII, anno 1579 ad fauorem Monachorum scti Basilii latinorum emanatam secret-rio exhibeant ».³⁶

Hoc decreto Sacra Congregatio imprimis antiquam disciplinam monasticam in Ecclesia Ruthena vigentem minime revocavit, sed « convenientissimum » tantum esse censuit, ut monachi in congregationem redigantur et sub conditione, « quod si fecerint », eis facultates concessit, non vero obligationem imposuit. Et de facto per totum saeculum 17^{um} et medium 18^{um} plura habebantur monasteria Congregationi SS. Trinitatis non incorporata.

Quod vero regimen monachorum in Congregationem redactorum spectat hasce concessit facultates:

1) eligendi sibi Generalem seu Protoarchimandritam. Animadvertente tamen:

a) hic nihil de exclusione ab hoc munere Episcoporum.

b) Protoarchimandritam vocari « totius Russiae », quae verba militabunt aliquando pro exclusione alterius Congregationis in Ecclesia Ruthena condendae.

2) Ad calcem praedicti memorialis, datur facultas capitula quadriennialia convocandi.

3) Capitulo confertur potestas legislativa.

4) Declinata est tamen petitio, ut Metropolita constitutiones capitulares Auctoritate Apostolica confirmare possit.

5) Constitutiones huiusmodi a Romano Pontifice « pro tempore » i.e. a respectivo Romano Pontifice confirmandae sunt.

6) Ad satisfaciendum tamen illi « magnae distantiae ab Urbe », de qua memoriale, statutum est, ut constitutiones capitulares « rationales » monachos statim obligent, antequam a Romano Pontifice confirmarentur.

Ultimus actus circa efformationem Congregationis SS. Trinitatis erat approbatio praedicti decreti SCPF. in forma speciali ab Urbano Papa VIII per Breve « *Exponi nobis* » die 20 Augusti 1631, in quo Pontifex, decreto illo allato, ita loquitur: « decretum praeinsertum huiusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus ».³⁷

³⁶ APF, *Acta*, 1622/25, v. 3, f. 151, n. 18; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 130.

³⁷ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 131.

Approbatione Congregationis SS. Trinitatis obtenda atque capitulo potestate legislativa concessa, capitula decretum consequentia constitutiones capitulorum praecedentium reassumpserunt³⁸ propriisque constitutionibus compleverunt. Hinc forma regiminis post decretum in substantia remanet eadem; durante tamen hac phasi in quibusdam magis determinatur et mutatur.

1) Imprimis quoad officium Protoarchimandritae, vivente adhuc Metropolita Rutskyj contra constitutiones primi capituli, quae ab hoc munere in dignitate Episcopali constitutos expresse excluserunt,³⁹ introducitur praxis contraria, dum in cap. Vilnen. 1636 Protoarchimandrita-simplex monachus in Episcopum electus etiam in munere illo confirmatus sit. Hinc erat, quod tres sequentes Metropolitae simul et Protoarchimandritae erant.⁴⁰

Sub finem phaseos anno 1675 officium hoc transiit quidem ad simplicem monachum, sed mutatum est ex advitali in quadriennale.⁴¹

2) Sede Metropolitana per decem annos (1655-65) vacante, neque Protoarchimandrita eligebatur, sed Provincialis temporalis tantum, cuius figura iuridica tunc determinatur.⁴²

3) Ordinatur relatio Superiorum Ordinis ad Archimandritas, quos Metropolitae Rutskyj supprimere non contigit.⁴³

4) Determinatur magis officium Superioris localis quadriennalis,⁴⁴ uti etiam procedurae capitularis⁴⁵ aliaque officia.

5) Ordinatur ex parte relatio Ordinis ad Hierarchiam iam eo, quod anno 1635 a Vladislao IV, rege Poloniae, obtentum est privilegium, vi cuius nonnisi Basiliani ad omnes praelaturas evehi potuerunt.⁴⁶ Ad instantiam vero Metropolitae ab Urbano VIII data est declaratio quod per decreta relata competentiae metropolitanae super monachis praeiudicatum non fuit.⁴⁷

³⁸ Cfr. cap. Vilnen. 1636, s. 3: « Interim memorata congregatio (scil. prima) lecta est usque ad finem, quae ab omnibus est laudata et grato animo accepta » — AS, t. XII, p. 39.

³⁹ Cap. 1617 s. 3 — AS, t. XII, p. 10, n. 11.

⁴⁰ RAPHAEL KORSACK, ANTONIUS SIELAVA ET GABRIEL KOLENDA; cfr. AS, t. XII, pp. 39, 46, 91.

⁴¹ Cap. Zyrovicense 1675, s. 3 — AS, t. XII, p. 111, n. 4.

⁴² Cap. Torok. 1656 — *ibid.*, p. 52; Zyrov. 1658, *ibid.*, p. 57; Torok. 1661; *ibid.*, p. 61.

⁴³ Cap. Zyrov. 1658, s. 5 — *ibid.*, p. 58; Novog. 1671, s. 3 *ibid.*, p. 104, n. 18, 19.

⁴⁴ Cap. Lavr. 1621 — *ibid.*, p. 32; Vilnen. 1650, s. 7 — *ibid.*, p. 48; *ibid.*, pp. 39, 46, 91.

⁴⁵ *Ibid.*, pp. 39, 42, 56, 58, 90, 102, 103, 106, 108.

⁴⁶ Bullae et brevvia P. III, B, — G; APF-CP, 1755, v. 120, f. 125.

⁴⁷ APF, Acta, 1642/43, v. 15, f. 440.

§ 3.

PHASIS TERTIA: 1686-1720.

Forma Basilianorum regiminis post capitulum Novogrodense 1686.

Fundamentum ad distinguendam novam phasim in regimine Basilianorum inde a capitulo Novogrodensi 1686 constituunt duo actus iuridici maioris momenti hoc positi capitulo, scilicet:

1) «Nexus» Metropolitanam inter et Ordinem conclusus, quo relatio inter utrumque ordinata stabilitaque est.

2) Recognitio constitutionum Ordinis.

Memoratum tamen capitulum diuturnum iam habuit substratum praecedens. A tempore enim novae Congregationis SS. Trinitatis Basilianorum in Ecclesia Ruthena constitutae, quaestio praecipua, quae ansam dabat dissensionibus Ordinem inter et Hierarchiam Ruthenam, versabatur circa ipsum officium in regimine Basilianorum centrale seu Protoarchimandritatum. A principio enim Congregationis praedictae contra constitutionem quidem primi capituli Novogrodovicensis a. 1617, officium illud usque ad annum 1675 retinebant ad vitam ipsi Metropolitanae Ecclesiae Ruthenae, inter quos imprimis J. V. Rutskyj, postea eius successor Raphael Korsak, dein Antonius Sielava et denique Gabriel Kolenda, quos tamen non semper ad officium illud libenter eligebant ipsi Basiliani; immo iidem e. g. sub ultimo memorato vi decreti SCPF ex anno 1624 et praedictae constitutionis diu noluerunt eligere novum Protoarchimandritam ex Episcopis, qui vero ex sua parte permittere noluerunt, ut ad huiusmodi officium advitale, quod magnam in meliori tunc parte cleri Rutheni conferebat auctoritatem, simplex eligatur ad vitam monachus, postposita praesertim persona Metropolitanae — capitis Ecclesiae Ruthenae, cui praecipue huiusmodi auctoritas desiderabatur. Inde etiam proveniebat, quod sequens Metropolita Ciprianus Zochowskyj renuntiavit quidem qualibet praetensione ad officium illud in Ordine, at idem contendit ex advitali in quadriennale mutandum, quod et revera locum habuit in cap. Zyrovicensi 1675, a quo series Protoarchimandritarum e simplicibus quidem monachis, sed ad quadriennium tantum, eligendorum incipit. Ex quo autem simplices monachi munere Protoarchimandritae fungi coeperunt plures quaestiones enucleatae sunt circa relationem Ordinem inter et Hierarchiam, quae, dum Metropolitanae hoc munere fungerentur, applicationem non habebant, immo ex illo tempore praxes quaedam Ordini praeiudicantes ortae sunt. Huiusmodi statum ita describebat Nuntius Apost.: «Sin dal principio che giunsi in Polonia, sentii come la Religione di S. Basilio era duramente trattata da alcuni Vescovi greci, quali se bene cavati da monasteri del medesimo ordine, e promossi al Vescovato (il che è comune a vescovi di questo rito) dicevasi che avessero deposto l'affetto verso la madre e che dal suddetto trattamento ne nascessero gravi inconvenienti».⁴⁸ Hasce inconvenientias, quas memorat

⁴⁸ APF-CP, 1680/97, v. 29, f. 97.

Nuntius, eidem retulit secundus etiam Protoarchimandrita simplex monachus circa annum 1682; quibus autem consideratis Nuntius seriem quaestionum composuit respectivisve partibus Metropolitano scil. et Eppo Pincensi, ut ad illas respondeant, misit, ab Eppo vero Cholmensi Jacobo Susza, quem « uomo di singular bontà e prudenza » vocat, informationes exoptulavit. Responsa advenerunt a Metropolita et Eppo Cholmensi. Quaestiones agebantur:

- 1) circa monasteriorum ab Hierarchia detentionem, onerationem et bonorum eorundem delapidationem (Qu. quoad Metropol. 1, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, et omnes quoad Eppum Pincensem),
- 2) circa archimandriarum erectionem (Qu. p. 18, 19),
- 3) circa monachos ad aulas Epporum assumendos (Qu. 17),
- 4) circa ingerentiam in res internas (Qu. 21, 23),
- 5) circa monasteriorum visitationem (Qu. 24),
- 6) circa intimationem capitulorum (Qu. 25),
- 7) circa administrationem bonorum vacantium (Qu. 26).⁴⁹

Hisce quaestionibus emanatis tempus appropinquavit novi capituli convocandi, quod Metropolita contra conventionem cum Eppis et Consultorio generali Ordinis coram Nuntio Ap. Varsaviae initam medio anno prius, absque Protoarchimandrita et convocavit et celebravit Minsci 1683, ubi et in Protoarchimandritam advitalem electus est.⁵⁰ Capitulum tamen hoc et electio Metropolitae in Protoarchimandritam nulla declarata est Brevi Innocentii XI: « *Ad Apostolatus* »⁵¹ novumque capitulum convocandum praeceptum est. Anno sequenti idem Metropolita, iterum praetermissis Protoarchimandrita et Consultoribus gen., novum capitulum celebravit et iterum in Protoarchimandritam advitalem electus est.⁵²

Interim Basiliani aliam quaestionem summi momenti coram SCPF. moverunt, scil. ut ad exemplum religiosorum latinorum exemptorum ipsi quoque exempti, etiam a potestate metropolitana, declarentur.

Huic tamen petitioni forte sese opposuerunt omnes Episcopi Rutheni, inter quos etiam Episcopus Cholmensis Susza, (qui olim ipse illam propositionem SCPF. praesentabat) ea praecipue permotus ratione: « quod iidem aliquot nostrorum in Curia Romana procurant, ut ritum in monasteria Latinum introducant ».⁵³

Quibus vero rebus SCPF. consideratis sequens edidit decretum: « Die 11 Septembris 1685 fuit Congregatio Particularis super rebus Ruthenorum, in qua interfuerunt E. R. DD. Card. Ottobonus, Barberinus, Azzolinus, Alterius, Columna et Nerlius.

Facta relatione litterarum Nuntii Poloniae aliarumque scripturarum ad causam facientium EE. decreverunt ut infra:

Nuntius Ap'us mandet convocare novum Capitulum pro electione

⁴⁹ APF-CP, 1680/97, v. 29, ff. 177-195.

⁵⁰ *Epithome* — AS, t. XII, p. 186; Cap. Novog. 1684 — *ibid.*, p. 194-201.

⁵¹ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 66.

⁵² *Epithome* — AS, t. XII, p. 186; Cap. Novogro, 1684 *ibid.*, p. 194-201.

⁵³ *Litterae Epporum ad SCPF*, 1, IV, 1685 — THEINER, *Vet. Mon. Pol.* t. III, n. 715, p. 695. *Litterae Ep. Susza*, IV, 1685 — *ibid.*

novi Protoarchimandritae in loco sibi beneviso, cui praesideat ipse Nuntius vel alius pro suo arbitrio delegandus, in quo modis suae prudentiae benevisis curet, quod non eligatur metropolita, sed potius electio cadat in Personam alicuius monachi.

Scribatur etiam eidem Nuntio, ut quatenus dubitet ex hac convocatione oriri posse aliquod grave inconveniens, vel praeiudicium eidem Religioni, absteineat a convocatione et certiet.

Quatenus capitulum convocetur curet, ut in eodem recognoscantur et subscribantur constitutiones, quae factae supponuntur in diversis Capitulis generalibus et earundem copiam cum supplicatione pro confirmatione Romam transmittat». ⁵⁴

Ad normam praedicti decreti capitulum sub praesidentia P. Vieiski S. J. ad hunc actum a Nuntio Apostolico subdelegati anno 1686 Novogrodecum convocatum est, in quo duae illae res ad effectum sunt deductae:

1) «Nexus» Metropolitam inter et Ordinem, qui nempe iam durante capitulo compositus et conclusus est; ⁵⁵

2) Constitutiones vero in omnibus capitulis hucusque celebratis latae, ut recognoscantur et ordine systematico componantur auctoritate totius capituli praeside eiusdem adprobante ad Consultores generales remissae sunt, qui opere perfecto, cum Metropolita de iisdem conferent et cum eodem atque Protoarchimandrita subscribent et praesidi ad subscribendum mittent, hic vero Nuntio, Nuntius denique S. Congregationi PF. illas transmittet. ⁵⁶ Quae revera, prout constitutum est, exaratae, ab omnibus subscriptae et ad SCPF ad confirmandum transmissae sunt. Ab hac tamen nunquam approbationem finalem obtinuerunt propter utriusque partis Metropolitae scilicet et Ordinis, ob aliud et aliud motivum, repugnantiam. Acta a Nuntio Apostolico ad SCPF. anno 1686, 31, XII transmissa ⁵⁷ constituebantur quintuplici specie; quae erant:

1) Acta capituli Novogrodensis 1686 cum «Nexu». ⁵⁸

2) Constitutiones Recognitae. ⁵⁹

3) Regulae communes. ⁶⁰

4) Adnotationes aliquot exceptivae ad Regulas Communes. ⁶¹

5) Observanda circa electiones Protoarchimandritae. ⁶²

Monachi oppugnabant «Nexum» in capitulo conclusum, Metropolita vero Constitutiones a consultoribus exaratas.

Rationes, cur monachi «volentes, nolentes» praedictum «Nexum» in capitulo subscripserunt et postea oppugnabant tum coram Nuntio, tum coram SCPF. ⁶³ erant duo puncta praedicti «Nexus» monachis praeiudicantia scilicet 9 et 17, quorum primum tangebatur collationem superio-

⁵⁴ APF-CP, 1680/97, v. 29, f. 233.

⁵⁵ AS, t. XII, p. 123; APF-CP, v. 29, ff. 297/8.

⁵⁶ Cap. Novog. 1686, s. 9 — ibid., p. 126.

⁵⁷ APF-CP, 1755, v. 120, f. 202 (Litterae Nuntii Poloniae Palavicini).

⁵⁸ APF-CP, 1680/97, v. 29, ff. 296-300.

⁵⁹ Ibid., ff. 324/26.

⁶⁰ Ibid., ff. 302/6.

⁶¹ Ibid., ff. 306/8.

⁶² Ibid., ff. 308/10.

⁶³ Ibid., f. 287, v.

ratum principaliorum Metropolitae reservatam: « Illmus D. Metropolitanus tenacissime principaliora monasteria cum Polocensi ad Arcem et Cassutensi, cumque advitalibus Archimandriis ac Hegumenatibus collationi suae subiecit, relictis pauperibus collationi Protoarchimandritae »;⁶⁴ alterum vero tangebatur electionem personarum ex Ordine ad latus Metropolitae assistentium: « Grave et hoc, quia non ex electione Protoarchimandritae cum Consultoribus, sed ex requisitione Metropolitanis, quas voluerit Personas, illas obligabitur dare D^o Metropolitanis Protoarchimandrita. Aequius est, ut requirat a Protoarchimandrita et hic consultis aliis, quos idoneos videbit subministrabit D^o Metropolitanis ».⁶⁵

Procurator vero Ecclesiae Ruthenae Romae, de Camillis, nomine Metropolitae oppugnabat praedictas Constitutiones Recognitas. Plures rationes adducebat, quae ad haec puncta principaliora reduci possunt:

1) Quia illae non sunt factae in capitulo, prout requirebat decretum, sed a consultoribus solis.

2) Quia mutaverunt sensum constitutionum capitulorum praecedentium, neque indicaverunt, a quonam capitulo desumptae sunt.

3) Quia prima et secunda constitutione Metropolita et Episcopi declarantur incapaces Protoarchimandritatus.

4) Quia non sunt subscriptae.⁶⁶

Romae autem imprimis fuit congregatio generalis 1687, 1, Septembr. qua decisum est, ut super huiusmodi actis constituatur congregatio particularis.⁶⁷ In executione huius decreti Secretarius SCPF. transmittendo acta ad Cardinales deputatos ad constituendam congregationem particularem mentionem facit et monachorum et Metropolitae supplicantium confirmationem constitutionum.⁶⁸ Sed anno 1688, 22, I, immediate ante praedictam congregationem particularem in litteris ad Cardinalem Casanate mentionem facit instantiae tantum monachorum.⁶⁹

In congregatione denique particulari 1688, 19, II, Cardinalis Relator Columna de constitutionibus sequens votum protulit: « Quod vero ad confirmationem Constitutionum vel nihil faciendum, quod optimum mihi videtur, vel pro examine et approbatione remittendum arbitrio Emi Protectoris » (i. e. Cardinalis Nerli), cui vero « voto Patres annuerunt ».⁷⁰

Sed Cardinalis Protector ad nullam resolutionem devenit ob difficultates propositas a praedicto procuratore, qui, dum Constitutiones Recog. oppugnaret, nomine Metropolitae insistebat, ut « Nexus » confirmaretur.⁷¹ Tunc monachi ad ipsum Romanum Pontificem recurrunt,

⁶⁴ APF-CP, 1680/97, v. 29, ff. 287, v.

⁶⁵ Ibid.

⁶⁶ Ibid. f. 825. N. B. ultimam rationem non esse veram, nam vidi, cum Constitutiones praedictae in commune volumen omnium actorum ingressae sint, opus non fuisse, ut singillatim subscribantur, sed vidi ultimum tantum folium subscriptum fuisse.

⁶⁷ APF, Acta, 1687, v. 57, f. 139.

⁶⁸ APF-CP, 1680, v. 29, f. 280.

⁶⁹ Ibid., f. 282.

⁷⁰ Ibid., f. 285.

⁷¹ Ibid., f. 830.

Qui illorum instantiam S. Congregationi transmisit.⁷² Convocata est ergo altera hac in re congregatio particularis super constitutionibus confirmandis die 12, I, 1693. At etiam nunc desiderata confirmatio non est obtenta, sed consideratis rationibus congregationis praecedentis decisum est, ut utraque pars Romam mittat personas instructas, quae iura respectivae partis defenderent,⁷³ quodque per Nuntium partibus communicatum est.⁷⁴ Personae tamen requisitae missae non sunt, sed utraque pars scripto rationes suas exposuit,⁷⁵ attamen iterum sine effectu, nam adhuc in capitulo Bilensi anno 1709 celebrato legitur instantia monasterii Berezwezcensis: « Ut Constitutiones nostrae religiosae, praesertim vero in capitulo Novogrodensi (1686) latae, a S. Sede Ap. confirmentur ».⁷⁶

In praxi tamen, vi decreti SCPF ex anno 1624, quo constitutiones capitulares statim vim obligatoriam obtinebant, illae usque ad reformationes Benedicti XIV observatae sunt quibusdam tantum in sequentibus capitulis completis et mutatis.

Forma autem generalis Basilianorum regiminis secundum constitutiones praedictas, quae sub nomine « recognitarum » veniunt, haec erat:

I. Metropolita totius Russiae adhuc agnitus est « unicus et supremus religionis hierarcha et moderator » totum tamen regimen internum Ordinis secundum n. 3 « Nexus » Protoarchimandritae relictum est, reservatis quibusdam iuribus metropolitanae iurisdictioni, uti haec praestantiora:

a) receptio iuramenti oboedientiae a Protoarchimandrita praestandae.

b) collatio archimandriarum et superioratum advitalium (N. n. 9)

c) assumptio confessarii, theologi aliorumque assistentium ex Ordine.

d) receptio appellationum et recursuum a Protoarchimandritae iudicio et poenis impositis (N. n. 4).

e) convocatio capituli in casu obitus Protoarchimandritae (N. n. 15).⁷⁷

II. Protoarchimandrita e simplicibus monachis⁷⁸ a Metropolita, Superioribus et monasteriorum legatis in capitulo ad quadriennium⁷⁹ electus, supremum habet regimen internum. Ipsé, consulto Metropolitano, convocat capitula,⁸⁰ visitat omnia monasteria, etiam archimandritalia, assumptis litteris a Metropolitano ad Archimandritas-Episcopos,⁸¹ designat Superiores secundum « Nexum », admittit ad novitiatum, professionem⁸² et ordines⁸³ et dimittit e religione.⁸⁴

III. Eidem adduntur quatuor Consultores gen. et unus Secretarius gen.,

⁷² Ibid., f. 820.

⁷³ Ibid., f. 862.

⁷⁴ APF, *Lettere di Mons. Segret.* 1693, v. 82, f. 74.

⁷⁵ *Litterae Metropolitanae Zochowskyj ad SCPF.* 1693, 4. V. APF-CP, v. 29. f. 873. *Litterae Curiae gen. OSBM.* 1693 a., ibid., f. 872. *Litterae Procuratoris in Urbe OSBM* anno 1693, ibid., f. 865.

⁷⁶ AS, t. XII, p. 164.

⁷⁷ Nexus ut supra.

⁷⁸ CR. c. III — ibid., p. 171.

⁷⁹ Ibid., c. V.

⁸⁰ Ibid., c. IX.

⁸¹ Nexus n. 6.

⁸² Obsr. cap. 3, n. 1.

⁸³ CR, c. XXX.

⁸⁴ Obsr. ibid.

omnes advitales,⁸⁵ qui praecedunt Archimandritas.⁸⁶ Eliguntur a Protoarchimandrita et ceteris eorum,⁸⁷ e quibus ordinarie eligebatur ipse Protoarchimandrita, ita, ut advitalitate nixum s. d. Consultorium gen. regimen centrale, stabile constituebat.

IV. Cum tota Congregatio unica constaret provincia, officium et regulae Provincialis deerant: sub hoc vero nomine veniebat aliquando constitutus Vicarius vel Visitator monasteriorum Volyniensium, qui ob horum a ceteris monasteriis Congregationis nimiam distantiam superintendentiam super eis habebat, visitationem eorum peragebat et rationem Protoarchimandritae reddebat.⁸⁸

V. Archimandritae advitales propriis privilegiis gaudent.⁸⁹ Praesentati a Protoarchimandrita et Consultoribus, promoventur a Metropolita ab eoque quoad personas dependent.⁹⁰

Superiores locales advitales — non Archimandritae — a Metropolita post praesentationem Protoarchimandritae et Consultorum designantur eoque modo deponuntur.⁹¹

Superiores locales quadriennales a Protoarchimandrita cum Consultoribus designantur et deponuntur.⁹²

VI. Capitulum quadriennale semper est electivum Protoarchimandritae, licet huic licitum sit, consulto Metropolitanano saepius etiam illud convocare.⁹³ In casu obitus Protoarchimandritae illud convocat Metropolita omnibusque praesidet.⁹⁴ Capitulum privative gaudet potestate legislativa.⁹⁵

VII. Relatio ad Hierarchiam. Quoad Metropolitanam ordinata est «Nexu». Episcopi vero ex antiqua consuetudine uti monasteriorum Archimandritae iure gaudent capitulis interesse cum voce activa, quoad vocem vero passivam implicite et in praxi aequiparati sunt Metropolitanis in «Nexu» ab eodem excluso.

APPENDIX

Hac phasi iuridica in regimine Basilianorum considerata praetermitti non potest eventum maioris momenti, quod quidem extra Congregationem SS. Trinitatis accidit, respicit tamen monachatum Ruthenum unitum.

Dioecesi nempe Leopoliensi anno 1700 ad Unionem cum Sede Apostolica sub Episcopo Josepho Szumlanskyj reversa, monasteria eiusdem dioeceseos secundum disciplinam antiquam orientalem regebantur. Sed post mortem illius novus Eppus Barlaam Szeptyckyj, anno 1711 conventiculum Superiorum et seniorum e singulis monasteriis convocavit in sua archimandria Unioviensi: «Propter firmandum rectum ordinem, sananda vulnera, meliorandas exorbitantias et quidquid ex

⁸⁵ CR, c. VI.

⁸⁶ Cap. Zyrov. 1694, s. 2 — AS, p. 131.

⁸⁷ CR, c. VI.

⁸⁸ Cap. Byten. 1698, s. 5 — *ibid.*, p. 139.

⁸⁹ Cap. Zyrov. 1658, s. 5 — *ibid.*, p. 58.

⁹⁰ Nexus, n. 9, 11, 13.

⁹¹ *Ibid.*

⁹² CR, c. VII.

⁹³ CR, c. IX.

⁹⁴ Nexus, n. 15.

⁹⁵ Cfr. supra, p. 96.

orbita Legum SS. Patrum declinavit ad suum esse reducendum, constituere et designare, prout quidem antiquo Antecessorum Nostrorum exemplo, plusque adimplendo Regulam et Legem SS. Patrum... »,¹ ad scopum scil. disciplinae monasticae renovandae et transformandae secundum formam tamen orientalem, « SS. Patrum ».

Forma monachorum regiminis in hoc conventiculo praescripta haec erat:

Omnia monasteria dioeceseos praedictae conservant quidem propriam independentiam, at ab aliqua specie centralisationis non sunt libera.

I. Praeter unum caput praedictorum monasteriorum, qui ex iure communi orientali est Episcopus loci, in praedicto conventiculo constituti sunt quatuor consultores alias Soborni seu Superintendentes super universis monasteriis dioeceseos Leopoliensis. Hi eligi debent sicut et electi sunt, a conventiculo seu capitulo tertio quoque anno convocando.

Munia eorum sunt:

1) Semel in anno monasteria universa in dioecesi « visitare, Jura omnia, Fundationes, et quasvis Ipsorum dispositiones videre, resolvere et in uno volumine connotatas ac inscriptas habere ».

2) Rationem omnium personarum rerumque a Hegumenis exquirere.

3) Excessivos et delinquentes iudicare et punire.

4) Sine eorum licentia religiosi ad alia monasteria transire non possunt.

5) Vagos et citra eorum scitum « extra claustrum fundatione authentica fundatum degentes, et existentes pro arbitrio et exigentia religiosae Institutionis ad potiora et nobiliora coenobia remittere ».²

6) Eorum licentia requiritur ad oppignorandos, alienandos et vendendos fundos, argentum ecclesiasticum aliamque rem.

7) « Quocirca Admodum Religiosi Patres Consultores praedicti, non solum hoc in puncto (puta alienationis), verum etiam in omnibus et singulis suis muniis obeundis, superius circumscriptis, semper et quovis casu, ad sensum et dispositionem ordinarii loci sese referre et conformes esse debebunt, non derogando quidquam auctoritati et Jurisdictioni eiusdem ».³

8) Insistere debent de unico novitiatu pro tota Congregatione dioecesis Leopoliensis condendo et ducendo.

II. Hegumeni seu Superiores locales, in monasteriis proprie dictis seu maioribus, qui eliguntur iuxta morem solitum et usitatam praxim in quolibet monasterio (hic applicationem habent, quae diximus de iure typicorum) debent:

1) tenere regesta expensarum et curare ne dispendant, sed debite dispensent.

2) quolibet anno universam oeconomiam regesto conscriptam praesentare Consultoribus iisdem calculum et rationem perceptorum et expensarum reddere.

3) fratres, qui citra licentiam Superiorum monasterium derelinquerint, ne suscipere audeant aut excessivos expellere sine licentia praedictorum Consultorum seu Soborni;

4) quolibet anno visitent monasteriuncula sibi subiecta, nihil tamen ex eis recipiant propriisque applicent; augere enim studeant, non minuere bonorum illorum.

III. Seniores seu Curatores in minoribus seu particularibus vel potius privatis monasteriis praeter supra Hegumenis praescripta:

¹ APF, *Scrt. CG*, a. 1712, v. 581, f. 177.

² APF, *Scrt. CG*, a. 1712, v. 581, f. 178 v.

³ *Ibid.*, f. 180.

1) non possunt tonsuram et investituram monasticam amplius religionem ingredientibus concedere;

2) eorum monasteriuncula subiiciantur et incorporentur maioribus et nobilioribus monasteriis.

IV. Capitulum seu Synodus superiorum tertio quoque anno convocanda est praevis innotescentialibus Ordinarii loci, die festo S. Joannis Baptistae, cuius erit approbare vel mutare omnes officiales sive quattuor Consultores sive Iguenos.

Paucos post menses constitutiones praedicti conventiculi Unioviensis tramite Nuntio Ap.⁴ cum supplicatione monachorum⁵ Sacrae Congregationi PF. pro approbatione transmissae sunt et habebantur in hac quaestione plures congregationes SCPF. generales uti: 1712: 25 Januarii,⁶ 14 Martii,⁷ 2 Augusti,⁸ et anno sequenti 1713: 19 Junii,⁹ 24 Julii¹⁰ et iterum sequenti 1714: 27 Februarii; illae tamen approbationem nunquam obtinuerunt, uti et Congregatio praedicta propter rationes contra illam deductas in protestatione Protoarchimandritae Congregationis Lithuanae SS. Trinitatis praesertim ex decreto SCPF ab Urbano VIII approbato, quo unus tantum Protoarchimandrita pro tota Russia agnitus est: « Fa istanza che con autorità Aplica si uniscano e s'incorporino a tenore de Decreti della S. Sede e di questa S. Congregazione i Monasteri Ruteni della Diocesi di Leopoli alla sud'a Cong'e di Lituania, di modo che si riconoscano e appartengano al solo Protoarchimandrita di tutta la Russia ».¹¹

§ 4.

PHASIS QUARTA: 1720-1743.

Decreta synodi Zamostianae (1720) regimen monachorum Ruthenorum respicientia.

Verumquidem, quod Congregationem SS. Trinitatis spectat, forma, eiusdem regiminis phasi praecedenti in cap. Novogrodensi a. 1686 stabilita usque ad periodum secundam conservata est, ita ut synodus Zamostiana generalem mutationem in eadem forma non introduxerit. Synodus tamen haec ponitur uti nova phasis in evolutione Basilianorum regiminis propter duo motiva:

1) propterea quod relationem omnium monachorum Ruthenorum ad Hierarchiam in pluribus odinavit;

⁴ Ibid., f. 185.

⁵ Ibid., f. 186.

⁶ APF, *Acta*, 1712, v. 82, f. 56, n. 13.

⁷ Ibid., f. 186, n. 42.

⁸ Ibid., f. 415, n. 21.

⁹ APF, *Acta*, 1713, v. 83, f. 364, n. 17.

¹⁰ Ibid., f. 437, n. 35.

¹¹ Ibid., v. 84, f. 143, n. 34.

2) et praecipue propterea quod monachis in Congregationem non unitis novam Congregationem constituendam praecepit.

Decreta primi generis videbimus in quarto capite huius partis, dum de exemptione sermo erit; hic vero decretum secundi generis videbimus et quidem in eius constitutione et executione.

Sessione 3, titulo 11 synodus praedicta statuit:

« Cum experientia compertum sit, et Sacrorum Conciliorum Statutis comprobatum, nullum esse ad instaurandam, vel conservandam Regularem observantiam, ac disciplinam, remedium efficacius, quam Monasteria omnia, quae generalibus capitibus non subsunt nec suos habent ordinarios Visitatores, in unum Corpus, seu Congregationem reducere; Sancta Synodus eorundem Sacrorum Canonum vestigiis inhaerens, statuit ut Monasteria Uladimiriensis, Luceoriensis, Chelmensis, Leopoldensis, ac Premisliensis Dioecesis post annum a publicatione praesentis decreti et acceptas litteras convocatorias Illustrissimi et Reverendissimi Metropolitae, in Congregationem redigantur, ac deinde quolibet quadriennio Generalem, Provincialem, ac Regulares Visitatores eligant, ac de ceteris, quae ad rectam administrationem totius Provinciae, ac disciplinae monasticae instauracionem necessaria videri poterunt, statuunt ac decernant. Praerit autem primo huic Generali Capitulo Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Metropolitae, et ad illud vocabitur Religiosissimus Proto-Archimandrita Provinciae Lithuanae ut ii, qui sunt in huiusmodi Generalibus Capitulis ex longa consuetudine versati caeteris consilio, et auxilio esse possint. Novus autem Proto-Archimandrita illi suberit in futurum, cui S. Sedes expedire iudicaverit ».¹

Conciliis oecumenicis praesertim Laternanensi IV^o et Tridentino synodus Zamostiana nixa, statuit, ut monasteria, quae hucusque Congregationi SS. Trinitatis incorporata non erant, novam Congregationem constituent et uno Superiori generali quadriennali subsint. Id tamen a limine notandum est, in praedictis dioecesibus quaedam monasteria extitisse, quae iam prius Congregationi Lithuanae incorporata erant quaeque praedicta Congregatio amittere noluit. Hinc ortae sunt plures controversiae, quae executionem constitutionis Zamostianae usque ad annum 1739 distulerunt.

Praeterea Congregatio SS. Trinitatis decretis S. Sedis nixa, quae unum Protoarchimandritam pro tota Ecclesia Ruthena statuebant, erectioni novae Congregationis in eadem Ecclesia sese opponebat, erectionem tantum alterius provinciae continuo proponendo, cuius Provincialis unico Protoarchimandritae SS. Trinitatis subessent, eo vel magis, quod ipsa synodus decisionem, cuinam novus Protoarchimandrita subesse deberet, arbitrio S. Sedis reliquit.

Huiusmodi rationes praedicta Congregatio SCPF. porrexit iam statim post synodum Zamostianam, nempe anno 1721, 15 Februarii.²

Ex altera parte Hierarchia Ruthena cum Metropolitae Kiszka, sy-

¹ *Synodus provincialis Ruthenorum* — Romae 1883, p. 107.

² *Litterae Curiae gen. OSBM* — APF-CP, v. 64, f. 436, punctum 14.

nodi praedictae promotore, in capite pro incorporatione monasteriorum controversorum novae Congregationi constituendae adducebat magnam distantiam eorundem a Congregatione SS. Trinitatis: « cum Lithuanus Provincialis (puta Proto-archimandrita) unus, ad tam amplas Regiones, et ad monasteria tenuissima neque post quadriennium descendere vel recurrentibus ad se opitulari vel quoquo modo prodesse valuerit ». ³

Easdem rationes vidimus expositas ab utraque parte adhuc a. 1725.⁴

Anno tamen 1727, die 26 Maii, convocatum est capitulum Dubnense eo fine, ut ad executionem constitutionis synodalis nova congregatio s. d. Ruthena erigatur. Convenerunt Metropolita, Episcopi et duo Archimandritae e dioecesibus praedictis atque Consultorium generale Congregationis SS. Trinitatis. Sed statim orta est quaestio de monasteriis in praedictis dioecesibus sitis Congregationi SS. Trinitatis incorporatis. Episcopi novam rationem exposuerunt pro eorundem incorporatione Congregationi constituendae, nempe: « quod absque istis monasteriis difficulter immo nunquam nova formari possit Provincia cum neque provinciali locus, neque Tyrocinio Religiosorum, neque demum studiis assignabilis foret ». ⁵ Ad quod respondit Protoarchimandrita Cong. SS. Trinitatis indicando monasteria, quae exigentiis indicatis satisfacere possunt, rationem vero hanc Episcoporum esse merum praetextum ne monasteria in genere a potestate manumittantur. Hinc erat, quod Curia gen. « ad Vaticana Oracula » appellavit. ⁶

Nuntius Ap. totam rem SCPF. referens, addidit: « a me pare che la pretensione de' menzionati Vescovi non sia di molto peso ». ⁷

Quaestio tota proposita est in congregatione particulari SCPF. die 19 Aprilis, 1728 a. habita sub hac forma: « XVIII. An Basilianorum Monasteria in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae existentia unienda atque in unum Corpus redigenda sint? » Ad quam eadem S. Congregatio respondit: « Pro unione sine aliqua dismembratione Monasteriorum Congregationis Lithuaniae et nova Congregatio sit immediate subiecta S. Sedi Apostolicae ». ⁸ Decisiones tamen huius congregationis partibus non sunt communicatae, prout e summario eiusdem patet: « Questa risoluzione non si è comunicata alle Parti per il motivo di non essersi proseguita in appresso la detta Cong. Part. del 1728; nè eseguiti i decreti che in essa furono fatti, senza che ne apparisca in oggi il motivo ». ⁹

Inde opus a synodo Zamostiana intentum et iam incoeptum adhuc ad decem annos suspendi debuit. Nam interea Metropolita Leo Kiszka tam benemeritus pro Ecclesia Ruthena anno 1729 mortuus est.

Eius successor Athanasius Szeptycky anno 1739 causam illam renovavit eoque fine capitulum convocavit Leopoli die 25 Augusti v. s.

³ *Litterae Hierarchiae Ruth. ad SCPF*, 21-X-1721 — APF-CP, v. 64, f. 485.

⁴ *Litterae Curiae gen. OSBM ad SCPF*, 24-IX-1725 — APF-CP, v. 68, f. 150.

⁵ *Actus notarilis de cap. Dubnen* — APF-CP, v. 74, f. 131.

⁶ *Ibid.*

⁷ *Litterae Nuntii AP. ad SCPF*, 25-VI-1727 — APF, *Scrt. CP*, v. 74, f. 127.

⁸ APF-CP, 1728, v. 74, ff. 39 et 43.

⁹ *Ibid.*, f. 145.

quod ingressi sunt praeter Episcopos respectivos et Superiores praedictorum monasteriorum etiam Curia gen. Congregationis SS. Trinitatis. In Capitulo imprimis actu explicito Episcopi manu miserunt praedicta monasteria pro fine novae Congregationis constituendae. Postea lata est constitutio, qua, inhaerendo decretis synodi Zamostianae, nova Congregatio erecta est, cum clausula tamen adhibendi media ad unionem peragendam cum Congregatione SS. Trinitatis: « Quamvis autem in virtute modo dictorum Decretorum, pro nunc Congregationem districtam, a Congregatione SS. Trinitatis constituamus, nihilominus ut uniti maiorem vim ubique habeamus, inhaerendo Brevi Urbani (VIII) Octavi per Rdmum Proto-Archimandritam et Consultorium modo dictae Congregationis lecto et producto, omnimodo curandum nobis erit, ut quibusvis possibilibus mediis sine praeiudicio novae Congregationis, quam totius uniamur, et ut huic salutari operi Illmus Excellentissimus Dominus Praeses Constituti Auxiliatricem Dexteram addere dignetur enixe exposcimus ».¹⁰

Tunc ad exemplar primorum capitulorum Congregationis SS. Trin. compositae sunt constitutiones pro nova Congregatione numero 34, in quibus etiam regiminis forma in Congregatione primo dicta praxi saeculari evoluta, recepta est cum quibusdam tamen differentiis in particularibus.

I. Sicut in Congregatione SS. Trin., ita etiam in noviter erecta, quae « Congregatio Protectionis B. V. Mariae » denominationem assumpsit vel in oppositionem ad illam Lithuanam, Ruthenam vel Polonam vocabatur, in capite Congregationis erat Metropolitanus, cui « iuxta nexum inter Illmum Ciprianum Zochowskyj olim Metropolitanum Totius Russiae et immediate dictam Congregationem initum (quem in omnibus clausulis et punctis acceptamus) una cum novo eligendo Protoarchimandrita nostro subesse volumus, utque haec vota nostra approbentur, Sanctae Sedi Apostolicae humillime supplicamus ».¹¹

II. Regimen vero internum exercet Protoarchimandrita quadriennis¹² quem etiam Provinciale vocat capitulum, simplex monachus, nam « ad talem dignitatem soli simplices Religiosi non vero Episcopi Abbates vel alia praelatura gaudentes assumantur ».¹³ Eligi debet in capitulo gen. a Metropolitanis, Episcopis, Archimandritis, Superioribus monasteriorum et legatis uno e quovis monasterio quantumvis numeroso.¹⁴ Ad eum spectat capitula, consulto Metropolitanis, convocare secundum « Nexum », ¹⁵ Superiores monasteriorum cum consultoribus designare,¹⁶ monasteria secundum « Nexum » visitare,¹⁷ ad novitiatum et professionem admittere,¹⁸ personas religiosas locare et transferre,¹⁹ facultates ad libros imprimendos

¹⁰ S. III — APF, *Scrt. CP*, 1742, v. 91, f. 284.

¹¹ Ibid.

¹² C. I — Ibid., f. 285.

¹³ Ibid.

¹⁴ C. 2.

¹⁵ Cfr. supra, p. 73.

¹⁶ C. 7.

¹⁷ Cfr. supra, p. 73.

¹⁸ C. 24.

¹⁹ C. 5.

concedere,²⁰ ceteraeque potestates secundum «Nexum» et analogice ad aliam Congregationem.

III. Consultores generales quattuor habentur et unus secretarius, omnes ad quadriennium tantum, non vero ad vitam uti in prima Congregatione, eodem modo ac Protoarchimandrita eligendi.²¹

IV. a) Archimandritae promoventur, reguntur et, si opus est, deponuntur secundum «Nexum».

b) Superiores locales quadriennales²² alii designantur a Protoarchimandrita cum Consultoribus gen. alii vero in monasteriis scilicet cathedralibus a respectivis Episcopis eisdem praestantur.²³ Ad rectam monasteriorum administrationem: «singulis mensibus prima aut secunda die consultationem faciant de bono communi²⁴ cum consultoribus a communitate eligendis».²⁵ — «Quolibet anno superiores Monasteriorum ex redditibus expensisque ipsi Protoarchimandritae, aut designato visitatori rationem reddant, alii vero officiales coram suo quisque superiore suo tempore idem praestabunt».²⁶ Superior designat confessarios domus, ipse tamen absolvit percussores;²⁷ Singulis vero officialibus monasterii regulas officii praescribit.²⁸

V. Capitula quadriennalia ad eligendam Curiam generalem secundum «Nexum» convocantur et celebrantur.

VI. Relatio ad Hierarchiam.

a) Quoad Metropolitanam. Praeter «Nexum» et decreta synodi Zamost. eidem reservatur absolutio religiosorum, qui verbis aut scriptis religioni detrudere audent.²⁹ Praeterea unanimi consensu capituli praesentis cautum est, ut ad electionem Metropolitanorum non solum Ill.mi Episcopi, verum etiam Protoarchimandritae Congregationis utriusque cum Consultorio vocentur ac suffragium electivum habeant.³⁰

b) Quoad Episcopos. Gratos se eis pro cooperatione ad Congregationem constituendam exhibendo, iisdem promiserunt «tam ad cathedras Episcopales in Superiores, quam ad latus Illmorum Episcoporum in Auditores et alios Officiales eas Personas concedendas et disponendas esse, quas ipsi Illmi Episcopi affectaverint, dum modo tamen Personae ab Illmis Episcopis praetensae ad officia proposita idoneae fuerint, et a talibus officiis iustis rationibus ipsae se non excusaverint».³¹

Item constitutum est, ne monachi a processionibus publicis ad requisitiones Episcoporum adesse recusent atque ne Superiores monasteriorum a commissionibus et visitationibus ecclesiarum ad petitionem Episcoporum se excusent;³² denique ne Superiores ad cathedras degentes presbyteros saeculares delinquentes post sententiam Episcopi ad proprios carceres suscipere denegent.³³

Episcopi vero sese obligaverunt ad taxam solvendam pro sustentandis Procuratoribus Congregationis penes tribunalia civilia quousque alius modus huiusmodi sustentationis non providebitur.³⁴

²⁰ C. 9.

²¹ C. III, n. 3°.

²² C. 26.

²³ C. 5.

²⁴ C. 14.

²⁵ C. 23.

²⁶ C. 20.

²⁷ C. 34, 10.

²⁸ C. 11.

²⁹ C. 27.

³⁰ C. 4.

³¹ C. 5.

³² C. 7.

³³ C. 8.

³⁴ C. 30.

PERIODUS SECUNDA: 1743-1795.

Haec periodus quam, spectata historia evolutionis praesertim iuridicae Ordinis Basiliani in Ecclesia Ruthena, includimus inter annos 1743-1795, erat sub omni respectu prout dicitur: « aetas aurea » eiusdem Ordinis. At sub solo etiam respectu particulari, iuridico spectata, prospera et uberiori periodo praecedenti eminent iuridica institutorum regiminis evolutione.

Duae enim Congregationes, uti duae provinciae in unum Ordinem unitae iura propria aequalia intacta servare contendentes eorundem revisionem et determinationem praecisam causant. Dein Ordinis maiore extensione externa et strictiore organisatione interna requirentibus nova regiminis instituta eriguntur et determinatur eorum iuridica conditio.

Finis autem totius legislationis huius periodi erat devenire ad constitutiones Ordinis efformandas et a S. Sede definitive adprobandas. Hinc erat, quod omnia capitula generalia constitutiones in primo capitulo post unionem praedictam Dubnensi 1743 compositas, continuae subdunt revisioni easque complent et mutant. Hinc etiam copia decretorum S. Sedis. Inde denique et praecipue enormis labor, disceptationes voluminosae et sapientissimae decisiones in multiformibus quaestionibus motis et resolutis sagaci ingenio Benedicti XIV, sub cuius felici pontificatu eiusque nutu huiusmodi reformationes in Ordine Basiliano exordium et directivam pro tota periodo duxerunt.

Quod vero divisionem huius periodi spectat, dicendum est, hic unumquodque capitulum tot mutationes introducere, ut novam phasim constituere possit; has tamen dependenter a tribus momentis principalioribus designamus.

§. 1.

PHASIS PRIMA: 1743-1756.

Forma Basilianorum regiminis in unione duarum Congregationum in unum Ordinem in capitulo Dubnensi 1743 peracta et a Benedicto XIV decretali « Inter plures » 4 a. approbata.

Erecta ad mentem synodi Zamostianae altera monachorum Ruthenorum Congregatione anno 1739, constitutiones eiusdem ad SCPF. pro approbatione missae sunt. Sed uti iam in ipso praedicto capitulo Leopoliensi instigante Consultorio Cong. SS. Trinitatis desiderium expressum est, ut ambae Congregationes in unum uniantur sine tamen utriusque praeiudicio, ita etiam post capitulum idem Consultorium ab omni conatu non cessavit ut nova Congregatio antiquae subiiciatur. Iam enim eodem anno, 28-XI hac in re scripsit Protoarchimandrita Cong. SS. Trinitatis ad SCPF, dein P. Zyrawskyj, olim consultor advitalis

Cong. SS. Trin., anno 1741, 12, I, munere Protoarchimandritali Cong. Ruthenae, ad quod in cap. Leopoliensi consentientibus Superioribus electus est, renuntiavit.¹ Eodem anno 1741, 18, X, praedictum consultorium Cong. SS. Trin. iterum scripsit contra erectionem novae Congregationis ad Romanum Pontificem Benedictum XIV.² Praeterea missus est Romam adiutor Procuratoris gen., P. Stebnowski Caesarius, eo praecipue fine, ut rem totam Sanctissimo praesentaret atque decretum unam Congregationem constituendam praecipiens a Sanctissimo efflagitaret.³

Ex sua tamen parte Metropolita Ruthenus confirmationem constitutionum capituli Leopoliensis per suum procuratorem fiscalem efflagitabat.

Huiusmodi instantiis adventis convocata est congregatio particularis SCPF. coram SS. Benedicto XIV anno 1742, die 1, Maii super rebus Ruthenorum in causa Leopoliensi Ordinis Monachorum S. Basilii Magni,⁴ ex qua sequens decretum emanavit.

« Relata per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carafa causa Leopoliensi, seu Ordinis Sancti Basilii Magni, inter Congregationem Sanctissimae Trinitatis, ac Generalem seu Protoarchimandritam totius Russiae ex una, et assertam Congregationem Provinciae Poloniae, ac Procuratorem Fiscalem curiae Metropolitanae ex altera parte, Sanctitas sua perpensis iuribus hinc inde deductis, auditisque Emmorum DD. Cardinalium Suffragiis decrevit ut infra, videlicet:

1) Ex Monasteriis utriusque partis constituatur unica tantum Congregatio, sub eodem titulo Congregationis SS. Trinitatis Unitorum.

2) Ideoque suo tempore habeatur Capitulum Generale pro eligendo novo Generali, seu Protoarchimandrita totius Russiae, qui sit Monachus expresse professus, et non Episcopus.

3) In quo Generali Capitulo vocem habeant activam ii Monachi sic uniti sub Titulo Congregationis Sanctissimae Trinitatis, quibus iuxta Constitutiones Ord. ius suffragii competit, passivam vero omnes et singuli Monachi Professi totius Congregationis sic unitae, non habentes canonicum impedimentum.

4) Eidem Capitulo Generali praesideat Metropolitanus Russiae, qui tamen in Generalem, seu Proto-Archimandritam Ordinis eligi non possit.

5) Insuper praefato Capitulo Generali intersit Nuntius Apostolicus, et quatenus non possit personaliter accedere, vices suas deleget Auditori Nuntiaturae.

6) Quoad iurisdictionem Metropolitanae, Ei competat ius tantum illud, quod a Constitutionibus Apostolicis, et a S. Concilio Trid. tribuit caeteris Metropolitanis, et Episcopis super Monachos exemptos.

7) Interea scribatur Nuntio Poloniae, ut ea Sacrae Congregationi suggerat, quae tranquillitati et concordiae, ac ulteriori bono totius

¹ Cfr. « *Analecta OSBM* ». t. II, 1-2, p. 147 (f. 1027).

² KRACKOWSKIJ, *Ocerki Uniatckoj Cerkwi*, in « *Ctenia* » 1871, n. 2, p. 280.

³ *Ibid.*

⁴ APF-CP, 1742, v. 91, ff. 1-344. decretum f. 28 et *Bullae et brevia*, P. I, p. 72.

Congregationis sic unitae conferre possint. Ac praesertim insinuet, an expediat decernere in posterum alternativam in electione Generalis, seu Proto-Archimandritae Ord. inter Monachos utriusque partis in unicum Congregationem ut supra redactos, et praesertim informet, quomodo huiusmodi alternativa constitui possit. Datt. Romae ex aedibus praedictae Sae Congregationis die 18, Maii 1742. Anno V. Card. Petra Praef. Philippus de montibus Secr ».

Quod decretum statim eodem mense, 27 die, consequentur litterae Rom. Pontificis ad Metropolitam Ruthenum missae, quibus Pontifex laudato Metropolitano pro translatione iurium eius super monasteriis propriae dioeceseos in primarium praesidem seu Protoarchimandritam, quae scil. in praedicto capitulo Leopoliensi peracta est, rationes dein exponit nuper allati decreti SCPF., in quo monachi Rutheni in unam Congregationem uniuntur et a potestate eius et Epporum eximuntur, scilicet: « Putamus enim ita splendidius florere posse eorundem apud vos Ordinem, unde sperare licet, eos diligentius excultos utiliore duros operam revocandae vestrae genti ad verum Christi Domini ovile, mortiferoque schismati penitus abolendo ». Denique curae eius committit in proximo monachorum capitulo decretum illud executioni mandandum.⁵

At decretum illud revocare vel saltem modificare eiusque executioni obvenire desiderabat noviter erecta Congregatio Ruthena, prout hoc e litteris eiusdem, cum quibus duos procuratores Romam misit, patet.⁶ Dein ipse Metropolita cum Co-Episcopis (exceptis iis qui locorum distantis impediti erant) revocando ad antiquas consuetudines orientales, quae in accessu Ecclesiae Ruthenae ad unionem cum Sede Ap. minime abrogatae sunt, item ad plus quam saeculare exercitium iurisdictionis metropolitanae super ipsa Congregatione SS. Trin., cuique decretis S. Sedis minime praeiudicatum fuisse olim declaratum est, denique ad unicum ornamentum Hierarchiae Ruthenae; praeterea protestando contra machinationes conatusque Procuratoris generalis Congregationis SS. Trin., qui iniuste huiusmodi decretum efflagitavit, tum Ipse tum praedicti Episcopi contra exemptionem monachorum protestati sunt iurisdictionemque praedictam ex benignitate apostolica conservandam petierunt.⁷

⁵ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 512. — NB. Hic auctorem erronee posuisse hasce litteras sub anno 1752, ipsum enim argumentum earum indicat, eas editas fuisse ante unionem Congregationum in unum Ordinem, quae anno 1743 peracta est, inde litterae illae anno 1742, 27, Maii editae sunt. Dato vero, quod auctor in actis disponendis sequitur ordinem chronologicum, litterae hae ponendae essent sub p. 58, n. XXIV, non vero p. 512.

⁶ « Informatio specialis iuxta quam Venerabiles et Admodum Reverendi PP. Athanasius Czarkowski et Hieronimus Ozienskiewicz Nri Procuratores ambo simul sive unusquisque seorsive humillime supplicabunt aut supplicabit, ut resolutio S. Congregationis coram SS. habitae in negotiis Congregationum nostrarum subsecuta ex benignitate eiusdem S. Tribunalis modificetur et revocetur » APF-CP, 1744, v. 92, ff. 270/3.

⁷ *Litterae Metropolitae cum Eppis ad Rom. Pont., 1742, 25, VII, ibid., f. 202.*

Ad quas vero litteras Pontifex respondit suis « *Etsi dubitare* » anno 1742, 27 Novembris, quibus imprimis, ne videatur haec disciplina illis, praesertim ob conatus Procuratoris gen. Basiliani fuisse imposita, indicat, hanc iam mentem synodi Zamostianae fuisse: « Nec dubitare potest hanc fuisse eiusdem Zamosciensis Concilii mentem, siquidem Metropolita Leo Kiszka, qui permittente Romana Sede, Synodum ipsam congregavit, vix ea finem acceperat, scilicet quadragesimo post die cum aliis suae gentis Episcopis sedulo postulavit, ut cunctae Basilianae familiae supremus praefectus alternatim eligeretur ex Lithuanis et Voliniensibus monachis; dato documento, ita sensisse de uno constituendo praeside Zamosciensium Patrum constitutionem; qua in hunc sensum accepta, Synodum confirmavit Apostolica Sedes, cuius est de vero synodali sensu iudicare ».⁸

Tunc pergit ad ipsius exemptionis fundamenta indicanda: « Quod autem attinet ad vestras modeste exhibitas querelas, iisdem nostris decretis imminutum iri episcopalem iurisdictionem, monachis ab ipsa exemptis; satis erit ad eas sedandas, ut in memoriam revocetis, id antea a vobis concessum sponte fuisse, et in Oecumenica Tridentina Synodo expresse comprobatum confirmatumque: quam saluberrimam Synodum libenter a vestro Zamosciensi conventu, nulla exceptione, verabunde exceptam, ex eiusque placitis plura saepius a vobis sancita fuisse profecto non ignoratis ».⁹

Hinc decreto illo constituta non modo non relaxavit, sed immo indignationem uti iniustam Hierarchiae exprobravit: « cum vos ipsi sponte decreveritis monachos sui esse iuris, cum iidem illos optaverint in unum coire ordinem, conspicati, hoc pacto melius consuli monasticae disciplinae, ac Ruthenorum utilitati; quid est, quod apostolicam benignitatem ad praesidium vestrum invocetis? Hanc autem ad opportuniorem usum reservare poteritis et quam non semel experti estis, nunquam vobis defuturam existimare; praesertim si ad ipsam conciliandam eximium studium adhibueritis, ut nihil impedimento sit, saepius nuncupatis decretis nostris debita obedientia exequendis ».¹⁰

Interea Nuntius Apost. secundum decretum praedictum capitulum gen. pro utraque Congregatione intimavit convocavitque in monasterio Dubnensi die 26, Mai, 1743.¹¹

Convenerunt praeter Metropolitam, uti capituli huius praesidem, atque Delegatum Sedis Apostolicae in Persona Auditoris Nuntiaturae in regno Poloniae, Georgii Maria Lascaris, Eppi Zenopolitani — etiam quattuor Eppi, Superiores et delegati monasteriorum utriusque provinciae numero 72 e Congregatione Lithuana et 167 e Congregatione Ruthena.¹²

In capitulo, antequam unio duarum Congregationum in unum

⁸ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 85; § 1.

⁹ Ibid., § 2.

¹⁰ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 85; § 3.

¹¹ *Litterae innotescentiales Nuntii*, Drezdae 9, I, 1743 — APF-CP, 1744, v. 92, f. 302.

¹² Cap. Dubnen, 1743, s. 2 — APF-CP, 1744, v. 92, f. 305.

Ordinem conclusa est, Superiores et legati Congregationis Ruthenae proprias difficultates et rationes, quae difficilem pro ipsis reddebant decreti saepe nuncupati executionem, in forma conditionum proposuerunt, ad quas altera Congregatio Lithuana singillatim respondit sive quasdam ex toto vel ex parte recipiendo, sive uti decretis S. Sedis contrarias reiciendo, sive denique ceteras decisioni Sanctae Sedis relinquendo.¹³

Post longas ergo disceptationes utraque Congregatio ad communes resolutiones devenit, in quarum fundamento unio utriusque in unum Ordinem, duabus provinciis consistentem, conclusa est.¹⁴

¹³ Summa huiusmodi conditionum haec est: (in parenthesisibus responsa provinciae Lithuanae):

- 1° ut titulus novae Cong. non « SS. Trinitatis », sed tertius aliquis sit, (repugnat decreto),
- 2° ut limites provinciarum determinentur et personae ad aliam ne transferantur (primum conceditur, alterum excepta dispensatione Generalis),
- 3° ut monasteria controversa ad provinciam Ruthenam pertineant (causa haec remissa est ad SCPF),
- 4° ut nunc Protoarchimandrita ex quacumque provincia eligi possit, (quidquid Sancta Sedes sentit) et in posterum alternativa observetur,
- 5° ut capitula gen. in meditullio provinciarum celebrentur (conceditur),
- 6° ut onera unaquaque provincia propria solvat (exceptis totius Cong.),
- 7° ut monasteria controversa cum bonis restituantur (uti ad 3^{tium}),
- 8° ut in residentia Romana et alumnatibus aequaliter locum habeant (primum-soluta medietate debitorum; secundum-Generalis disponet),
- 9° ut etiam Abbates in Protoarchimandritam eligi possint (si immediatae iurisdictioni Protoarchimandritae, non Metropolitae subsint),
- 10° ut antiqua iurisdictio Metropolitae agnoscat (uti in decreto),
- 11° ut electioni officialium Ordinis praesideat Metropolita, provinciarum Protoarchimandrita (Sanctitas dignabitur suum explicare decretum),
- 12° ut dum in una provincia eligetur Protoarchimandrita, alterius caput sit Vicarius Gen. (non de titulo, sed dummodo hic illi subordinetur),
- 13° ut officium Generale ad quadriennium eligatur (conceditur, at ad 8 an. desideratur),
- 14° ut penes Generalem socii iurati ex utraque provincia sint (concedit.),
- 15° ut in utraque ritus orientalis observetur (conceditur),
- 16° ut praelaturae provinciae respectivae reserventur (conceditur),
- 17° ut Vicarius G. acta visitationum anno 4^{to} Generali referat (conceditur),
- 18° ut officiales provinciarum a ministerio Epporum alieni sint (si incompatibilia),
- 19° ut, si ex una erit Generalis, ex altera sit Procurator Rom. (Generali relinquitur),
- 20° ut res post obitum religiosorum ad Generalem et Vicarium Gen. redeant, hi vero Metropolitae in capitulo gen. calculum dabunt (ad provinciales),
- 21° ut officiales nunc eligendi non prius officium exerceant, quam post approbationem capituli a S. Sede (videtur repugnare decreto),
- 22° supplicandum S. Sedi, ut iuste petita approbantur (ut capitulum approbetur).

¹⁴ Summa vero resolutionum haec erat:

- 1° titulus Congregationis ad S. Sedem,
- 2° limites prov. in suo esse-personae ne transferantur absque cap. g.,
- 3° prov. Lithuana cessat Ruthenae mon. Lublinense unum ex controversis,
- 4° capitula generalia in meditullio provinciarum sunt celebranda,
- 5° onera propria unaquaque provincia solvet pro se, totius vero Congregationis utraque subiacebit,

Praeterea ob instantiam Congregationis Ruthenae inter Ordinem et Metropolitam novus conclusus est « Nexus » similis illi de anno 1686.¹⁵

Denique iuxta praedictas huius capituli resolutiones atque antiquas Ordinis praescriptiones formatae sunt constitutiones communes numero 21.¹⁶

Valor huius capituli consistebat non solum in eius momento historico, erat enim primum in nova Congregatione pro toto monachatu Rutheno unito constituta, a quo cetera capitula generalia seriem novam ducunt, sed praecipue propter eius statuta fundamentalia pro organisatione novae Congregationis. Verumquidem capitula generalia posteriora complebunt et addent plures constitutiones in materiis diversis, illud tamen post sui approbationem pontificiam immutandum, semper erit uti norma ad cuius sensum constitutiones et resolutiones aliorum capitulorum ferri debebunt, immo ipsa SCPF in suis decretis edendis illud respiciet.

Acta capitularia Romam transmissa novum subierunt examen in congregatione particulari SCPF coram SS. Benedicto XIV die 30 Martii, 1744 anno, cuius decreta promulgata sunt et intrarunt in famosissimam in Ordine Basiliano hac periodo pontificiam decretalem « *Inter*

6° negotium residentiae Rom. eiusque debitorum ad S. Sedem remittitur. Alumnatus vero ad aequalitatem,

7° Abbates sponte voce passiva renuntiarunt, de futuro S. Sedes decidet, 8° officia gen. et prov. hac alternativa ad 4^{ennium}, de futuro cap. generale decidet,

9° penes Generalem ex utraque prov. 1 secretarius iuratus habeatur,

10° usus, consuetudines, ieiunia, ritus — orientales observentur,

11° praelaturae respectivae provinciae reserventur,

12° officiales provinciales ad ministeria incompatibilia penes Ordinarios loci ne assumantur,

13° procurator Romanus alternative ex utraque provincia a Generali designatur ad tempus indeterminatum,

14° res post obitum religiosi maneat in loco, pecunia vero transiit ad Provincialem, qui de ea coram capitulo generali respondebit,

15° provincia Lithuana electo Generali obedientiam statim praestabit, Polonia vero nonnisi post approbationem capituli a S. Sede.

¹⁵ Puncta « *Nexus* »:

1° Protoarchimandrita iurabit obedientiam secundum « *Nexum* » Metropolitanatae,

2° Metropolitata relinquit Religioni regimen internum,

3° Metropolitata promittit iuvamen in negotiis principalioribus,

4° Protoarchimandrita intimat capitula g. consulto Metropolitanata,

5° capitulis generalibus praesidebit Metropolitata,

6° Protoarchimandrita cum Cons. intrat ad electionem Metropolitanatae,

7 idem visitat omnia monasteria exceptis personis abbatum, hi a Met-ta,

8° idem praesentat Metropolitanata candidatos ad dignitates,

9° Metropolitata inspiciet de observanda alternativa Protoarchimandritatae,

10° defuncto Protoarchimandrita reget 1^{us} Cons. cum scitu Metropolitanatae,

11° Protoarchimandrita obligatur dare personas Metropolitanatae et Eppis,

12° Metropolitata, capitulo convocato, iudicat scandalosum Generalem,

13° idem recipit recursus religiosorum a gravimine Protoarchimandritatae.

¹⁶ APF-CP, 1744, v. 92, f. 316.

plures » editam die 11 Mai eodem anno.¹⁷ Qua Pontifex unionem duarum Congregationum in unum « Ordinem Sancti Basilii Magni Ruthenorum » cum duabus provinciis « Sanctissimae Trinitatis unitorum » et « Protectionis Beatissimae Virginis Mariae », quam nomenclaturam ipse determinavit,¹⁸ confirmavit, capitulum autem in iis, quae ab utraque provincia recepta sunt, approbavit, in iis vero, quae decisioni S. Sedis relicta sunt, quaedam decidit, quaedam vero pro ulteriori indagatione mandavit et in fine propria decreta edidit.

Capitulo sequenti Berestensi 1747, seu « ab Unione in Capitulo Dubnensi inter Provincias Lithuanam et Polonam peracta secundo », constitutiones capituli primi ad mentem decretalis « *Inter plures* » correctae sunt et tribus tantum constitutionibus novis completae sunt.¹⁹

A capitulo iterum sequenti Berestensi 1751 constitutiones capituli secundi fere eadem conservatae sunt, quibusdam tantum mutatis et una tantum nova addita.²⁰ Praeterea decreto SCPF, 1752 a., ultimum hoc capitulum adprobante quaedam magis determinata sunt.²¹

In genere tamen disciplina hisce tribus capitulis et respectivis decretis S. Sedis determinata identitatem formae regiminis retinet ita, ut unam primamque secundae periodi phasin constituere facile apprehendatur et in suis constitutivis haec est:

I. Regimen generale.

I. In capite Ordinis est Protoarchimandrita secundum primum et secundum capitulum ad quadriennium, inde vero a tertio capitulo ad octennium a capitulo gen. alternative i. e. altera vice ex una, altera vero ex altera provincia e simplicibus monachis non vero aliqua dignitate ornatis²² eligendus.²³ Hic convocat capitulum gen. consulto Metropolita et provinciale huiusque praesidet.²⁴ Superiores monasteriorum insigniorum a Provinciali propositos approbat,²⁵ monasteria tamen visitare non potest nisi in casu recursus a gravamine Provincialis per visitationem monasterio illato.²⁶ Eidem tamen Provinciales acta visitationum quotannis transmittere tenentur.²⁷

Negotia maioris momenti ne promoveat tam in spirituali, quam in saeculari foro sine praevio consilio inito cum Consultoribus et Secretariis Ordinis,²⁸ negotia vero totius Religionis vel Provinciae Romae ne promoveat sine Consultorio gen. et respectiva curia provinciali.²⁹

¹⁷ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 143-151.

¹⁸ « *Inter plures* » § 9.

¹⁹ APF-CP, 1750/52, v. 114, ff. 396-417.

²⁰ Ibid., ff. 300/8.

²¹ *Bullae et brevia*, P. II, p. 80/6.

²² *Decretum SCPF*, 1742, n. 2 et 4 — *Bullae et brevia*, P. I, p. 75; Cap. Dubn. *Resolutiones*, r. 7.

²³ Constitutio 1, et 19.

²⁴ Nexus, n. 4 et 5.

²⁵ Const. 7.

²⁶ Const. 6 et « *Inter plures* » § 26.

²⁷ Const. 6.

²⁸ Const. 11.

²⁹ Const. 12.

Eiusdem necessaria est licentia ad alienationes, permutationes fundorum et levationes summarum,³⁰ quod vero fundos spectat SCPF, decreto 1752, etiam beneplacitum Apostolicum requiri declaravit.³¹

Residet, dum sit e prov. Lithuana in monasterio Torokanensi, si vero e prov. Ruthena in monasterio Poczaioviensi.³² Praelaturam procurare eamque acceptare ante expirationem officii sub poena inhabilitatis ad quamvis promotionem non potest.³³ Ipse tamen candidatos ad dignitates Metropolitae praesentat atque monachi sine eius consensu officia et dignitates procurantes, vi constitutionis Benedicti XIII eo ipso inhabiles ad illas habebantur.³⁴ Denique in casu obitus Protoarchimandritae vel ascensus religionem regit primus consultor.³⁵

II. Ad latus Protoarchimandritae adsunt 4 Consultores, item quadriennales, in capitulo gen. electi 2 ex utraque provincia, qui simul etiam Superiores monasteriorum viciniorum ad residentiam Protorchimandritae esse poterant,³⁶ usque ad decretum SCPF., an. 1752, vi cuius simul cum illo residere debebant.³⁷ Negotia maioris momenti cum eorum consilio decidi debebant.³⁸

III. Penes Protoarchimandritam sunt etiam duo secretarii iurati ex utraque provincia,³⁹ in capitulo gen. eligendi.⁴⁰

IV. In Urbe denique unus habetur Procurator generalis alternative eligendus ita ut, quoties Protoarchimandrita est ex provincia Lithuana, ipse sit monachus professus provinciae Polonae et e contra,⁴¹ in capitulo gen. eligendus.⁴² Hic nulla negotia, quae tangunt totam religionem aut integras provincias intentare potest absque dispositione Protoarchimandritae in scriptis data.⁴³

II. Regimen provinciale.

I. In utraque provincia habentur Provinciales in capitulo provinciali ad quadriennium electi.⁴⁴ Eorum est visitare quotannis monasteria sibi subiecta,⁴⁵ designare cum consensu tamen consultorum Superiores monasteriorum non insigniorum et ad insignia candidatos Protoarchimandritae proponere,⁴⁶ mutationem personarum iuxta exigentiam in monasteriis peragere,⁴⁷ ad professionem et Ordines admittere.⁴⁸ Debet quotannis acta visitationum Protoarchimandritae transmittere et in capitulo gen. rationem de visitatione reddere.⁴⁹ Ante expirationem eorum officii ratio-

³⁰ Const. 13.

³¹ *Bullae et brev.*, P. II, p. 85.

³² Const. 4.

³³ Const. 14.

³⁴ Nexus, n. 8; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411.

³⁵ Nexus, n. 10; « *Inter plures* » § 23; const. 15.

³⁶ Const. 4.

³⁷ *Bullae...* P. II, p. 83 ad 8.

³⁸ Const. 11 et 12.

³⁹ Cap. Dubnen. 1743, cond. 14; res. 9; const. 2.

⁴⁰ Const. 2.

⁴¹ « *Inter plures* » § 25.

⁴² Cap. Berest. 1751, const. 2.

⁴³ Const. 12.

⁴⁴ Cap. Berest. 1751, const. 1.

⁴⁵ Const. 6.

⁴⁶ Const. 7.

⁴⁷ Ibid.

⁴⁸ Hoc ex posterioribus documentis planum est, cfr. CE, p. 41, 132.

⁴⁹ Const. 6.

nem de expensis communis massae provincialis Protorchimandritae reddere debet,⁵⁰ et post decretum SCPF., an. 1752, etiam capitulo generali.⁵¹

II. Provinciali adduntur quattuor Consultores et unus Secretarius, item in capitulo provinciali electi ad quadriennium,⁵² qui omnes, Secretario non excepto, in consultationibus provincialibus voce deliberativa gaudent.⁵³

III. Utraque provincia habet proprium procuratorem causarum tribunalitium.⁵⁴

III. Regimen locale.

Archimandritae dignitate ecclesiastica ornati usque ad ulteriorem decisionem Romani Pontificis in dependentia a Metropolitano remanere debent, salva iurisdictione Protoarchimandritae in bona abbatiarum et in personas in iisdem degentibus⁵⁵ atque praecedentia Protoarchimandritae in actibus monasticis.⁵⁶

II. Hegumeni seu Superiores locales simplices sunt quadriennales, alii tamen monasteriis insignioribus, seu quae ius habent mittendi vocales cum suffragio ad capitula generalia vel provincialia, alii autem monasteriis non insignioribus praesunt. Illi a curia provinciali pro approbatione Protoarchimandritae eiusque consultorio proponuntur, hi vero ab ipso Provinciali cum Consultoribus et Secretario provinciae eliguntur.⁵⁷

IV. Capitula.

I. Capitulum generale convocatur quolibet quadriennio, postea octennio a Protoarchimandrita, consulto Metropolita,⁵⁸ alternative in duobus monasteriis in medietullo utriusque provinciae situs scil. Berestensi (Berest-Litowskyj) vel Bilensi (Alba-Ducalis).⁵⁹ Hoc ingrediuntur praeter Metropolitanum et officia tum generale tum provinciale etiam 40 monachi ex utraque provincia, (simul 80).⁶⁰ Eidem praesidet Metropolitanus tamquam Delegatus Apostolicus sive per se sive per alium Episcopum Ruthenum.⁶¹ Penes capitulum privative est potestas legislativa.⁶²

II. Capitulum provinciale quolibet quadriennio ad eligendam Curiam provinciam convocatur a Protoarchimandrita, qui eidem praesidet.⁶³ Hoc ingrediuntur praeter Protoarchimandritam et Curiam provinciam 40 monachi vocales iidem, qui pro capitulo gen. e respectiva provincia designantur.⁶⁴ Initio quoad tempus et locus conseqebatur capitulum generale, post cuius etiam sessiones statim teneba-

⁵⁰ Cap. Berest. 1747 et 1751, const. 17.

⁵¹ *Bullae et brevia*, P. II, p. 85 ad 16.

⁵² Const. 15; Cap. Berest. 1751, const. 1.

⁵³ Const. 7.

⁵⁴ Const. 11.

⁵⁵ « *Inter plures* » § 21.

⁵⁶ *Ibid.*, § 16.

⁵⁷ Const. 7.

⁵⁸ Cap. Dubnen. 1743 et Berest. 1747, const. 2 ad quadriennium, Cap. Berest. 1751, const. 2 ad octennium et decret., SCPF, 1752, n. 6, Nexus, n. 4.

⁵⁹ Cap. Dubnen. res. 4; const. 3; decret. SCPF, 1752, n. 5.

⁶⁰ « *Inter plures* » § 27; const. 19.

⁶¹ Nexus, n. 5; decret. SCPF, 1752, n. 3 et 4.

⁶² Haec norma expresse speciali constitutione exprimitur in capitulis posterioribus, et eius vigor iam nunc in omnibus documentis sive S. Sedis, sive Ordinis supponitur.

⁶³ Cap. Berest. 1751, const. 1 et Nexus, n. 5.

⁶⁴ *Ibid.*, const. 1.

tur,⁶⁵ cum vero tempus illius ad octennium protractum sit, hoc altera vice illud consequeretur, altera autem quadriennio scil. elapso separatim in utraque provincia tenebatur.⁶⁶

V. Relatio ad hierarchiam.

I. Quoad Metropolitam. Haec ordinantur: a) decreto SCPF, ex anno 1742, 1, Maii, quo Basiliani ad normam religiosorum latinorum a potestate metropolitana exempti sunt;⁶⁷ b) s. d. «Nexu» in capitulo Dubnen. 1743 cum eodem concluso et a Benedicto XIV in decretalibus «Inter plures» in pluribus singillatim approbato.⁶⁸

II. Quoad Episcopos. Praeter iura et haec tantum, quae eis uti ceteris Episcopis Ecclesiae latinae super monachis exemptis competebant,⁶⁹ Ordo in praedicto «Nexu» sese obligavit ad personas idoneas illis suppeditandas uti confessarium, theologum aliosque illis assistentes.⁷⁰ At determinato clare numero capitulum ingredientium a Benedicto XIV, ipsi ab hoc exclusi sunt, etsi hucusque iure huiusmodi, saltem titulo Archimandritarum gavisi sint.⁷¹ Poterant tamen, a Metropolita subdelegati, capitulo generali praesidere.⁷²

§. 2.

PHASIS SECUNDA: 1756-1780.

Forma Basilianorum regiminis post secundam decretalem Benedicti XIV «Super familiam», anno 1756 editam, usque ad divisionem Ordinis in 4 provincias, in capitulo Torokanensi 1780 s. peractam.

Haec phasis in evolutione iuridica Ordinis Basiliani Rutheni est omnium uberrima, culmen autem huiusmodi evolutionis est capitulum Berestense 1772 anno celebratum, in quo constitutiones capitulares maximam determinationem illa aetate historiae Ordinis Basiliani acceperunt. Sermo tamen est hic de evolutione tantum iuridica, nam opus praeparatorium ad constitutiones Ordinis definitive a S. Sede approbandas seu s. d. *Codex constitutionum* in sequenti phasi seu in capitulo Torokanensi 1780 praeparatus et anno 1791 typis editus est, at proh dolor, tam ultimo dictum capitulum, quam memoratus *Codex* nunquam valorem iuridicum obtinuerunt; hinc constitutiones capitulares capituli Beresten., an. 1772, usque ad finem huius periodi, immo ex parte etiam sequenti, in vigore erant.

Phasin hanc duo eventus insigniunt, quorum:

- 1) et praecipuus erat disciplinae Archimandritarum seu Abba-

⁶⁵ Cfr. Cap. Dubnen. 1743 et Berest. 1747, sessiones provinciales.

⁶⁶ Cfr. Cap. Berest. 1751, sessiones provinciales et const. 1.

⁶⁷ *Decret. SCPF*, 1742, n. 6, *Bullae et brevia*, P. I, p. 74.

⁶⁸ «*Inter plures*» §§ 22, 23, 27.

⁶⁹ «*Opinionem*», DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 512, ubi expresse exemptio eodem modo tum quoad Metropolitam, tum quoad Episcopos in decreto SCPF, 1742, n. 6, Basilianis concessa assertur.

⁷⁰ *Nexus*, n. 11.

⁷¹ «*Inter plures*» § 27 et cap. Berest. 1747, sessio 3^a et 4^a.

⁷² *Decretum SCPF*, 1752, n. 4, *Bullae et brevia*, P. II, p. 82.

tum ordinatio, quae influxum exercuit in partialem mutationem totius organisationis Ordinis;

2) alter vero, qui quidem natura a primo non dependet, at de facto ab illo causatus est, erat conatus proximus obtinendi definitivam et completam compositionem constitutionum Ordinis.

Ad 1. Quod primum spectat iam in capitulo Dubnensi, 1743 a. celebrato, inter condiciones provinciae Ruthenae habetur conditio nona, quae relationem Archimandritarum ad Ordinem sub uno saltem respectu ordinare intendit quaeque de voce passiva eisdem agnoscenda agit: « Quandoquidem per Decretum ultimum Sanctae Sedis ab Electione in Protoarchimandritam non sunt exclusi Abbates, idcirco relinquendum est libertati, et voluntati Patrum utriusque Provinciae, ut si voluerint, etiam Abbates in Protoarchimandritam eligere possint ». Ad quod provincia Lithuana diuturna praxi instructa respondit: « A consuetudine Canonice praescripta recedere non convenit, si tamen Perillustres Revmi Abbates suae cedent praetensioni emancipandi se ab immediata Protoarchimandritae iurisdictione Nos consuetudini derogare permitimus ».¹

At Archimandritae dicta exemptione non renuntiaverunt, sed, prout patet e resolutionibus huius capituli, voce passiva potius renuntiaverunt. « Cum Perillustres Abbates recedant a promotione in Protoarchimandritam sponte, idcirco eligendus est simplex Monachus Professus... ».²

Benedictus XIV in decretali « *Inter plures* » quaestiones circa disciplinam Archimandritarum in nuper dicto capitulo ortas non resolvit, sed accuratiori indagationi mandavit, edendo quaedam decreta ad interim illam ordinantia.³ Immo dum de ingredientibus capitula agit, illos eodem modo uti Episcopus ex horum cathalogo omisit.⁴ Hinc erat, quod in capitulo Berestensi 1747, cum in schedis vocalium seu in capitulo voce activa gaudentium, illi omissi sint, quidam eorum hoc capitulo comparentes protestati sunt, at utraque provincia: « exemptionis praetensione eiusmodi postulata » exclusit.⁵ Inde tum hoc tum sequenti capitulo illi non participabant.

Interim, prout Benedictus XIV in decretali saepe nominata praecipit, utraque pars, scil. Metropolita et Protoarchimandrita, rationes pro relativa sibi subiectione Archimandritarum collexit et SCPF. porrexit.⁶ Convocata dein congregatione particulari SCPF. coram SS., anno 1755, 23, XI, edita sunt decreta, quae Benedictus XIV in sua secunda famosa et maximae importantiae in hac periodo decretali, quae incipit: « *Super familiam* » edita die 30 Martii, 1756 promulgavit.⁷ In ea

¹ Cap. Dubnen. 1743, s. 5; APF-CP, 1744, v. 92, ff. 307-8.

² Ibid., s. 11, res. 7, f. 313.

³ « *Inter plures* » §§ 14-20.

⁴ Ibid., § 27.

⁵ S. 1, APF-CP, 1750-52, v. 114, f. 397.

⁶ APF-CP, 1755, v. 120, ff. 15-285.

⁷ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 658.

imprimis agnita est iurisdictio super Archimandritis Protoarchimandritae, conservata competentia Metropolitanæ, quæ tantum ad illorum institutionem et ius recurrenti atque appellandi in casibus determinatis a Protoarchimandrita ad Metropolitanam redacta est.⁸

Dein consequenter ad subiectionem Archimandritarum Protoarchimandritæ, illi omnia iura in Ordine consecuti sunt. Hinc novæ relationes inter eos aliæque regiminis instituta emanatæ sunt atque plures quaestiones et dubia resolvenda in praxi orta sunt. Opus erit capitulorum generalium Ordinis et ipsius S. Congregationis P. F. pluribus hac in re decretis edendis huiusmodi relationes ordinare.

Ita statim capitulum sequens generale, seu Berestense 1759, editis iam antea duobus decretis SCPF., scil. anno 1757, 24, V, et 1759 30, IV,⁹ in revisione constitutionum capituli præcedentis ad tramitem hucusque emanatorum decretorum S. Sedis plures constitutiones mutavit et completit, adaugendo eas usque ad 34 novamque numerationem earundem, quæ scil. præcedentibus non in omnibus correspondet, introducendo.¹⁰

Maiorem adhuc, immo hac periodo præcipuam in singulis institutis Basilianorum regiminis determinandis operam navavit capitulum Berest. 1772 anni, cuius constitutiones sexaginta et una numerantur, propriam habent numerationem, compendiant seu codificant omnia decreta S. Sedis hucusque de Ordine Basiliano emanata et determinant iuridicam conditionem omnium regiminis institutorum. Hoc etiam capitulo legislatio capitularis in ordine ad redigendas constitutiones Ordinis terminata est.¹¹

Ad 2). Conditione iuridica Archimandritarum per decretalem Benedicti XIV «*Super familiam*» definita, iam omnium institutorum regiminis in Ordine Basiliano figura iuridica saltem quoad substantiam determinata est; hinc iam nihil desiderabatur, ut ad ipsum constitutionum corpus redigendum procederetur. Constitutiones enim capitulares erant statuta concinne et sine ullo systemate logico composita, figuram vero iuridicam singulorum regiminis institutorum completam, spectatis omnibus constitutionibus capitularibus, quæ ad determinatum institutum regiminis referebantur, dare debebant eadem constitutiones capitulares, sed ordine systematico in unum corpus redactæ, respectu habito ad singula regiminis instituta aliæque instituta formam vitæ religiosæ in Ordine Basiliano determinantia. Hæ, utique, prius redigi non potuerunt, quam determinatio iuridica omnium institutorum regiminis terminata non esset, quæ autem quoad substantiam iam prædicta decretali terminata est. Hinc erat, quod statim capitulo sequenti Berestensi 1759, decretali illa constitutionibus capitularibus applicata, corpus constitutionum redigendum decretum est: «*Decretum etiam, ut Constitutiones Congr. Nostræ omnes ordinatæ in unum corpus redigantur, iisque si quæ opportuna fuerint addantur. Quo fine placuit*

⁸ Ibid., §§ 2-6.

⁹ *Bullae et brevia* P. II, p. 116 et 123.

¹⁰ APF, *Scrit. rif. n. CG.* 1763, v. 800, ff. 183 ss.

¹¹ APF, *Scrit. rif. n. CG.* 1775, v. 842, ff. 423 ss.

Universo PP. Capitulo 12 Personas deputare, sex ex una et totidem ex altera Provincia, nempe ex unaquaque Abbatem unum, Consultorem generalem unum, Consultorem Provinciale unum et tres alios monachos in praesenti capitulo deligendos, qui ante capitula Provincialia anno penultimo sese conferre pro die 1 Junii v. s. ad Monasterium Dermanense tenebuntur, ubi collectis in Commune sententiis opus perficient suum, quod in proxime secuturis Provincialibus Capitulis suarum respective Provinciarum PP. expendum exhibebunt, a quibus expensum denuo inter se conferent in eodem Dermanensi Monasterio ad quod convenire debebunt pariter pro 1 Junii Anno ultimo ante generale Congregationis Nostrae Capitulum, ut tandem in eodem generali Capitulo suis momentis ultimo expensum ad S. Apostolicam Sedem pro approbatione remittantur». ¹²

Ad cuius constitutionis executionem Protoarchimandrita Hypatius Bilynskyj anno 1762, 8, III, litteras invitatorias ad praedictos 12 «Formatores Constitutionum» misit, cum praecepto, ut in Abbatia Dermanensi conveniant die a constitutionibus statuto ad Constitutiones Ordinis redigendas. ¹³ Quibus tamen litteris editis Episcopus Vladimiriensis et praedicti monasterii Abbas resistit, ne in sua praedicta abbatia huiusmodi conventiculum fiat, ¹⁴ qua de causa formatio Constitutionum dilata est usque ad annum 1766. Interim SCPF. anno 1762 et 1763, 11, VII, capitulum Berestense confirmando, huiusmodi Constitutionum redactionem decreto praecepit. ¹⁵ Tunc denique anno 1766, a die 1, VI ad 21, VII, formatores Constitutionum monasterio Hoscensi conventi, constitutiones huiusmodi composuerunt. ¹⁶ Quae tamen, propterea, quod in capitulis provincialibus, prout constitutio supra allata requirebat, examinae non sunt ideoque neque in futuro capitulo generali Berest., a. 1772 celebrato, examen subierunt, sed P.P. capitulares censuerunt eiusmodi formatas Hoscae Constitutiones per noviter eligendos in praesenti Capitulo Provinciales primo statim eorum officii anno per monasteria suarum respective Provinciarum, sive scripto fideliter exaratas, sive typo impressas cum titulo «*Constitutiones examinandae et seligendae in futuris Capitulis*» distribuendas esse, quatenus sic cum Communitatibus communicatae ab omnibus legerentur et expenderentur, ac expensae cum notis ac votis super iis, quae videbuntur immutandae vel addendae per Superiores Vocales ad futura intermedia capitula Provincialia comportarentur, ut ibi habita maiori, quemadmodum speramus commoditate, serius examinentur et corrigantur, quatenus sic

¹² Cap. Berest. 1759, const. 28.

¹³ ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, v. 107, f. 100.

¹⁴ Ibid., f. 99.

¹⁵ Iam in congregatione gen. SCPF, 1762, 12, VII, rescriptum est: «Fiat decretum confirmationis et scribatur D. Nuntio dando ei facultatem sanandi defectus quatenus opus sit». APF, *Acta*, 1762, v. 132, f. 164. Sed decretum definitivum nonnisi in congreg. gen. 1763, 11, VII, editum est. APF, *Acta*, 1763, v. 133; ff. 483-540; *Bullae et brevia*, P. II, p. 137.

¹⁶ CE, p. 281.

examinatae et correctae in futuro post octennium Generali Capitulo ultimatim definirentur, et approbandae Romam ad S. Congregationem transmitterentur ».¹⁷

Revera eodem adhuc anno 1772 decretum capitulare, nuper citatum, executioni mandatum est, nam constitutiones Hoscenses typis editae sunt sub titulo: « *Constitutiones examinandae et seligendae in futuris capitulis provincialibus, tum denique generali OSBM Patribus et Fratribus eiusdem Ordinis ad meliorem usum prius lecturis et suum votum, quod in Domino cuique visum fuerit, propriis locis pro addendo vel minuendo, quo, proposituris exhibitae, Poczajoviae 1772 Anno* ». ¹⁸

Constitutiones tamen hae nunquam valorem iuridicum nactae sunt, nam neque a S. Sede unquam sunt approbatae, immo neque a capitulo gener. receptae et promulgatae. Tantum valebant, quatum decreta S. Sedis et constitutiones capitulares fideliter referebant, at neque uti editio earundem authentica considerari possunt, sed unice uti opus privatum.

Dum hoc modo constitutiones praedictae praepararentur, SCPF. in congregatione generali, anno 1775, 10, VII habita, capitulum Berestense 1772 anni, dubiis ex eodem emanatis resolutis, confirmavit iniungendo, ut: « Superiores Ordinis incumbant sollicitae executioni decreti S. Congregationis 11, Julii, 1763 Lit. A.; etiam sub novam methodum praescriptam in sessione 4-ta huius capituli et deinde providebitur de confirmatione Apostolica ». ¹⁹

Hinc constitutiones capituli gen. Berestensis a. 1772, respectivis decretis S. Sedis correctae usque ad finem periodi secundae, immo relative etiam per totam periodum tertiam illius aetatis fundamentum pro organisatione Ordinis Basiliani Ruthenorum constituebant.

Schema autem generale regiminis secundum constitutiones praedictas capitulares erat:

(In hoc schemate notantur praesertim differentiae a disciplina phaseos praecedentis).

I. Regimen generale.

I. Protoarchimandrita, qui supremum regimen internum tenet Ordinis, eligi debet alternative ex duobus provinciis ad octennium; ²⁰ eligi vero potest tum ex simplicibus monachis, tum ex Abbatibus, ²¹ etiam iterative, ²² qui tamen sicut et ce-

¹⁷ Cap. Berest. 1772, s. 3, APF, *Scrit. rif. n. CG.* 1775, v. 842, f. 423.

¹⁸ Constitutiones hae dividuntur in 4 partes, quarum:

P. I. - Quae non iscribitur, de forma vitae religiosae in Ruthena Congregatione OSBM agit.

P. II. - « Constitutiones particulares sive Regulae Officialium », p. 114.

P. III. - Continens formulas actuum publicorum et iuramentorum, p. 210.

P. IV. - Constitutiones poenales, p. 243.

¹⁹ *Indulgentiae*, P. I, p. 18 ad I et II; APF, *Decreta*, 1768-78, ff. 359-69.

²⁰ Const. 1.

²¹ « *Super familiam* » § 3.

²² Const. 38.

teri officiales generales et provinciales ante lapsum turni officio suo renuntiare idque dimittere non possunt,²³ quod autem deponunt, salvo iure scrutinii, immediate ante electionem;²⁴ in casu vero ascensus ad dignitatem extra Ordinem autographa et documenta archiviis tradere debent.²⁵

Ad eum pertinet capitula convocare, secundum Nexum et capitulo provinciali etiam praesidere sive per se sive per alium;²⁶ Archimandritas a Metropolita institutos installare, visitare, iudicare, usque ad depositionem, salvo iure appellationis eorundem ad Metropolitanum,²⁷ Superiores Monasteriorum insigniorum approbare;²⁸ sine eius consensu coadiutores Abbatum nominari non possunt,²⁹ causas, quae universam Congregationem concernunt in foro competenti promovere;³⁰ eius consensus requiritur ad alienationes, permutationes fundorum aliasque combinationes sapientes alienationem;³¹ causas in secunda instantia iudicare;³² libros typis imprimendi monachis potestatem facere;³³ monasteria in casu recursus visitare.³⁴

Residet in monasteriis Torokanensi respective Poczaioviensi,³⁵ quod ipse visitat.³⁶ In casu obitus vel ascensus ipsi succedit primus Consultor generalis, titulo Vicarii Generalis... Si vero obierit Vicarius Generalis aut incompatibili fuerit potitus officio, tunc convocatis utriusque Provinciae consultoriis, reliquum generale officium per secreta suffragia ab omnibus ferenda consultoriis deliget novum Vicarium Generalem.³⁷

II. Protoarchimandritae adduntur 2 Consultores generales (1 ex utraque provincia) in capitulo sicut ille electi et duo Secretarii gen. qui omnes voce deliberativa gaudent,³⁸ in eodem monasterio ac ille residere debent³⁹ atque in respectivis capitulis provincialibus in provinciales eligi non possunt.⁴⁰

III. Procurator in Urbe eligitur in capitulo generali statim post consultores gen. itaque procedit,⁴¹ alternative ex provincia utraque non Protoarchimandritae.⁴² Eidem additur et subditur Sacrista Romanus ex eadem provincia ac Protoarchimandrita.⁴³ Tam nulla negotia, quae totam Congregationem vel respective integras provincias tangunt promovere, quam hospicium SS. Sergii et Bacchi aere alieno gravare inconsulto Protoarchimandrita procurator non potest,⁴⁴ in consultorio generali, si adest locum habet.⁴⁵

²³ Const. 36.

²⁴ Const. 37.

²⁵ Const. 35.

²⁶ Const. 3 et 16.

²⁷ « *Super familiam* » §§ 2, 4, 5.

²⁸ Const. 24.

²⁹ Const. 47 et APF, *Decreta*, 1768-78, ff. 500.

³⁰ Const. 16, 32.

³¹ Const. 34.

³² Const. 22.

³³ Const. 16.

³⁴ Const. 20.

³⁵ Const. 10.

³⁶ Const. 30.

³⁷ Const. 36.

³⁸ Const. 6.

³⁹ Const. 10.

⁴⁰ Const. 38.

⁴¹ Const. 32.

⁴² « *Inter plures* » § 25.

⁴³ Const. 60.

⁴⁴ Const. 32 et 33.

⁴⁵ Const. 32.

II. Regimen provinciale.

I. Provinciales ad quadriennium in capitulo provinciali eligendi, quorum praecipuum munus est visitare monasteria respectivae provinciae, recipiunt hoc capitulo accurate determinatam formulam huiusmodi visitationis;⁴⁶ acta autem visitationum quotannis praesentare debent Protoarchimandritae et, si opus erit, etiam capitulo generali.⁴⁷

Ipsi causas iudicant in prima instantia;⁴⁸ nominant cum consultorio Superiores monasteriorum non insignium et praesentant Protoarchimandritae candidatos in Superiores monasteriorum insignium et hisce ultimis litteras oboedientiales extradunt.⁴⁹ Curae eorum praecipue committuntur studia theologica, philosophica et scholae tam pro alumnis Basilianis, quam externis.⁵⁰

II. Consultores provinciales 4 et 1 secretarius provinciae (secretarii enim Provincialium hoc capitulo suppressi sunt),⁵¹ quorum numerus a capitulo gen. amplius minui non potest,⁵² omnes quinque voce deliberativa in consultationibus gaudent,⁵³ quae ordinarie palam voce fiunt, in dubiis vero per vota secreta, quorum duo habet Provincialis,⁵⁴ definiuntur.⁵⁵ Consultores et Secretarius provinciales nonnisi duorum dierum distantiae e monasterio Provincialis in monasteriis, quibus praesse possunt, habitare possunt.⁵⁶

III. Praeterea in unaquaque provincia habentur:

- a) Procurator causarum penes iudicia civilia, qui residet Varsaviae;⁵⁷
- b) Depositarius massae communis, quo munere secretarius provinciae fungitur;⁵⁸
- c) Fiscalis capitularis ad referendos in capitulis generali et provinciali recursus monachorum, qui illa ingredi non possunt.⁵⁹

III. Regimen locale.

I. Archimandritae ad vitam constituti, dignitate ecclesiastica ornati, archimandriis singularibus praesunt, instituti quidem a Metropolita, sed installati et iurisdictioni subiecti Protoarchimandritae,⁶⁰ salvo iure recursus respective appellationis a Protoarchimandrita ad Metropolitanum in casibus determinatis.⁶¹ Protoarchimandrita tamen privativam habet potestatem in bona archimandriarum et in personas in archimandriis degentes.⁶² In ceteris Archimandritae iisdem iuribus gaudent iisdemque obligationibus ligantur ac ceteri Superiores loca-

⁴⁶ Const. 19.

⁴⁷ Const. 23.

⁴⁸ Const. 17.

⁴⁹ Const. 24.

⁵⁰ Const. 52.

⁵¹ Const. 18.

⁵² Const. 59.

⁵³ Const. 6.

⁵⁴ Ibid.

⁵⁵ Const. 11.

⁵⁶ Const. 59.

⁵⁷ Const. 60.

⁵⁸ Const. 40.

⁵⁹ Const. 7.

⁶⁰ « *Super familiam* » § 2.

⁶¹ Ibid., § 45.

⁶² Sententia Tribunalis Nuntiaturae Varsaviensis, *Bullae...* P. II, p. 22 a.

les.⁶³ Ipso facto tamen omnes Archimandritae ingrediuntur capitula tum generalia tum provincialia,⁶⁴ in quibus voce activa gaudent atque in omnibus electionibus passiva.⁶⁵ Quoad usum pontificalium dent operam, ut iisdem utantur iuxta Euchologia et praescriptiones Ecclesiae Graecae approbata et approbatas a Sede Apost. et iuxta decreta S. Congregationis in quantum nempe cum ritu Rutheno conciliari possunt.⁶⁶

II. Coadiutores Archimandritae sibi adsciscere non possunt sine consensu Protoarchimandritae⁶⁷ et approbatione S. Sedis.⁶⁸

III. Superiorum temporalium seu quadriennalium duplex est species:

a) qui praesunt monasteriis insignibus quique a Provinciali praesentantur et a Protoarchimandrita approbantur,⁶⁹

b) qui praesunt monasteriis non insignibus et a solo Provinciali cum consultorio nominantur.⁷⁰

Eadem procedura servari debet in eorundem Superiorum privatione aut ante quadriennium elapsam mutatione aut denique idoneorum regiminis in alterum quadriennium prorogatione.⁷¹

Litteras tamen oboedientiales Superioribus monasteriorum insignium ipse Provincialis extrahit.⁷²

Praeter ceteras regulas sui officii Superiores monasteriorum recurrere debent ad Protoarchimandritam, hic vero ad S. Sedem in alienationibus vel permutationibus fundorum aliisque combinationibus sapientibus alienationem⁷³ et ad Provinciale in novis aedificiis erigendis.⁷⁴ In rebus denique gravibus uti debent consilio Patrum Seniorum in consultores monasterii a tota communitate electorum, qui tamen voto consultivo tantum gaudent.⁷⁵

IV. Capitula.

I. Capitulum generale quoad locum, tempus, convocationem et praesidentiam normas phaseos praecedentis retinet. Quoad ingredientes mutatio est facta in eo, quod numero 40 monachorum in decretali « Inter plures » requisitorum contineri debebant omnes Archimandritae respectivae provinciae, qui si Archimandritae-monachi erant, ipsi per se, si vero Archimandritae-Episcopi erant, per vicarium archimandriae pro vocalibus habendi esse debebant.⁷⁶ Quaestiones in cap. gen. enatae semper per suffragia secreta definiri debebant,⁷⁷ electiones vero capitulares fieri

⁶³ Const. 54: de choro, 55: de mensa communi, 56: de consultorio domest.

⁶⁴ « *Super familiam* » § 3.

⁶⁵ Ibid.

⁶⁶ Decretum SCPF, 1775 ad 13; *Indulgentiae*, P. I, p. 19.

⁶⁷ Const. 47.

⁶⁸ Decretum SCPF, 1775, 10, VII, ad VII; *Indulgentiae*, P. I, p. 18.

⁶⁹ Const. 24.

⁷⁰ Ibid.

⁷¹ Decreta SCPF, 1766, 1, IX ad I, II, III, IV; *Bullae et brevvia*, P. II, p. 150; 1775, 10, VII, ad IX; *Indulgentiae*; P. I, p. 18; const. 25.

⁷² Const. 24.

⁷³ Const. 34.

⁷⁴ Const. 57.

⁷⁵ Const. 56.

⁷⁶ « *Super familiam* » § 3; Decretum SCPF, 1759, 30, IV, ad 3, *Bullae*, P. II, p. 125.

⁷⁷ Decretum SCPF, 1763, 11, VII ad 8); *Bullae et brevvia*, P. II, p. 139, Const. 18.

debebant per suffragia medietate plura, ad quam obtinendam procedi potuit usque ad quatuor scrutinia, sed in quarto vocem passivam duo tantum habere potuerunt, qui in tertio plura prae ceteris vota obtinuerunt; denique in casu paritatis capituli praeses decidere debuit.⁷⁸ Apud capitulum est potestas legislativa private eodemque modo eiusdem est ad merita totius Ordinis admittere.⁷⁹

II. Capitulum provinciale quadriennale convocatum eidemque praesidet sive per se, sive per alium ex opposita provincia delegatum, Protoarchimandrita.⁸⁰ Hoc ingrediuntur, praeter Protoarchimandritam et curiam Provinciale, 40 monachi, in quibus includuntur omnes Abbates e respectiva provincia. Ad capitulum provinciale, praeter electionem officialium provinciae, pertinet taxae contributionum pro communi massa respectivis monasteriis praescribere, fundationes recipere, monasteria pro studiis designare, veteras consuetudines immutare vel novas in provinciam introducere.⁸¹

V. Relatio ad hierarchiam.

I. Tum quoad Metropolitanam tum Episcopos fundatur in decretis supra relatis in schemate regiminis phaseos praecedentis, addita decretali « Super familiam » quoad disciplinam Abbatum et recursus monachorum a gravamine Protoarchimandritae ad Metropolitanam, tamquam S. Sedis Delegatum, salva auctoritate Nuntiaturae Apostolicae.⁸²

II. Quaestio ingressus Protoarchimandritae eiusque consultorum atque Abbatum in electionem Metropolitanam vel eius coadiutoris cum iure successionis, in Nexu sub n. 6 iure huiusmodi ab hierarchia admissio, fuse tractata Romae anno 1748,⁸³ in praxi solvebatur ita, ut soli Protoarchimandritae singulis vicibus concederetur facultas ad huiusmodi.⁸⁴

In ascensu vero esclusivo Basilianorum⁸⁵ ad respectivas dignitates ecclesiasticas post bullam Benedicti XIV « Inclytum » 1753, 12, IV, ius tantum commune praesertim latinum observandum erat.⁸⁶

Denique tum Protoarchimandrita tum Archimandritae iure participationis in congressibus s. d. hierarchicis gaudebant.⁸⁷

⁷⁸ Decretum SCPF, 1759, 30, ad 6); *Bullae*, P. II, p. 125; const. 4.

⁷⁹ Const. 15.

⁸⁰ Const. 3.

⁸¹ « *Super familiam* » § 3; const. 15.

⁸² « *Super familiam* » § 6.

⁸³ APF, *Elezione del Metropolita dei Ruteni*, 1748, v. 102.

⁸⁴ Cfr. e. g. Indultum ex audientia SS.mi 1779, 25, VI; *Indulgentiae*, P. I, p. 38.

⁸⁵ Synodus Zamost. sessio Tertia, tit. VI, p. 93.

⁸⁶ « *Inclytum* » § 4 - DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 527.

⁸⁷ Decretum SCPF, 1758, 20, II; *Bullae et brevvia*, P. II, p. 122.

§ 3.

PHASIS TERTIA: 1780-1795.

Forma Basilianorum regiminis a capitulo Torokanensi, 1780 anno celebrato, ad divisionem Poloniae 1795.

Sicut phasi praecedenti, ita etiam praesenti, quaedam mutationes maioris momenti in regiminis constitutione rationem praebent ad novam phasin in evolutione iuridica eiusdem regiminis distinguendam; praeterea sicut phasi praecedenti ita etiam hac opus praeparatorium ad constitutionum corpus redigendum ulteriorem progressum, immo culmen suum obtinet.

Ad 1) Novae mutationes in regiminis constitutione hac phasi causantur praesertim divisione Ordinis in quatuor provincias.

Exigentiam divisionis Ordinis in plures provincias: « utpote ad religiosae perfectionis incrementum et meliorem ordinem constabiliendum » indicabat Protoarchimandrita SCPF iam anno 1766 quamque dicta S. Congregatio in proximo Capitulo executiendam esse decrevit.⁸⁸ Capitulum vero proximum anno 1772 celebratum quaestionem de huiusmodi divisione discutiendam utilem quidem declaravit, at eam felicioribus temporibus considerandam et executioni mandandam reservavit,⁸⁹ tempus vero actuale huiusmodi divisionem peragendam non suadebat. Ita enim Nuntius Apost. rerum conditionem illo tempore describebat: « La più rilevante questione mi sembra quella di una nuova coequazione e divisione delle due Provincie. Convieni avvertire però che nel Capitolo Gn.ale di Dubno del 1743 nel quale per provvidenza della s. m. di Benedetto XIV furono ridotti i Monasteri delle due separate Provincie in una sola Cong.ne, avendo la provincia di Polonia accettata la pretesione, che da quella di Lituania le fossero ceduti dieci Monasteri da Lei posseduti entro i limiti della propriamente detta Polonia, o Corona, fuori cioè di quelli del Governo del G. Ducato di Lituania. La Sac. Congregazione al 21 di Settembre del 1750 decretò legittimo il possesso della provincia di Lituania, imponendo perpetuo silenzio alle Parti. E siccome fu poi scoperta nel Concistoro latino di Luceoria una contraria manifestazione, o sia protesta per parte della Provincia di Polonia, la S. Congregazione con suo dispaccio dei 22.7-bre del 1735 ordinò a Mons. Archinto Nun. in Polonia di procedere contro il provinciale per la eliminazione e la revoca della manifestazione sudetta dandogli facoltà di procedere in caso di renitenza sino alla di lui deposizione, e relegazione in un Monastero. Onde essendosi poi sottomessi e il Provinciale ed i Consultori

⁸⁸ *Bullae et brevia*, P. II, p. 149-50.

⁸⁹ Const. 61.

della Provincia di Polonia, come rilevasi dall'avviso avanzatone alla S. Cong. ne dal Nunzio agli 8 di Aprile 1754, sembra che dopo un tal fatto non convenga di pensare ad altra coequazione. Oltre di che sarebbe opera perduta il volerla fare adesso. Converrebbe aspettar di vedere su di qual piede mantener si potrà la giurisdizione dei rispettivi Provinciali nelle porzioni della Polonia e Lituania, che sono ora passate in potere sì del Governo Austriaco, che del Russo. Restano ora sotto l'Austriaco Monasteri 41, della Provincia Polona, e uno della Lituania, nei quali resiedano attualmente Sacerdoti 248, Chierici 33, Laici 38. In tutto Religiosi n. 319, e sotto il Russo Governo sono passati 20 Monasteri, nei quali sono Sacerdoti 107, Chierici 45, Laici 1. In tutto n. 153.

» E' purtroppo verisimile che i rispettivi Governi non sieno per permettere la solita influenza e Giurisdizione dei Provinciali di Polonia, o di Lituania nei propri Stati, e quindi la prudenza esige di nulla fratanto innovare per non occasionare con l'interno muovimento di questi Religiosi qualche alterazione presso i rispettivi Governi temporali, anche all'attuale stato della Giurisdizione dei rispettivi loro Superiori. Qualora succeda che tutti i Monasteri sudd-i passati ora sotto i rispettivi nuovi Governi temporali Austriaco e Russo, rimaner debbano avvolsi dalla Giurisdizione del P. Protoarchimandrita e dei Provinciali di Polonia, resterà questa provincia nei domini della Repubblica di Monasteri 31, ne' quali oggi sono Sacerdoti 225, Chierici 42, Laici 36. In tutto n. 303, e la Lituania di Monasteri 51 ne' quali sono Sacerdoti 364, Chierici 70, Laici 16. In tutto n. 450 ».⁹⁰

Hinc secundum votum Nuntii etiam SCPF in decreto anni 1775 capitulum supra memoratum adprobante ad quaestionem: « An permitti modo conveniat ut Proto-Archimandrita Provinciarum suae Cong. divisionem novam efficiat iuste respondit: « Tempore opportuno providetur ». ».⁹¹

Quod autem opus dilatatum est usque ad sequens capitulum. Immediate ante quod Pius VI permisit quidem huiusmodi divisionem, sed sub conditionibus difficilibus ad exequendum, nam requirebat, ut fiat de consensu omnium capitularium et post electionem officialium Ordinis.⁹² Hinc erat, quod, Protoarchimandrita tramite Procuratoris causarum Varsaviensis Nuntium Ap. interpellante ad solvenda dubia ex illo rescripto enata,⁹³ Nuntius, imminente capituli celebrandi tempore,

⁹⁰ Litterae Nuntij Ap. in Polonia ad Card. Castelli Praefectum SCPF, die 4, Aprilis, 1774 de quaestionibus e capitulo Berestensi 1772 emanatis. ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, v. 75, pp. 103-120.

⁹¹ *Indulgentiae*, p. 16, 19, ad X.

⁹² Rescriptum Pontificium 1780, 23, IV; *Indulgentiae*, P. I, p. 44.

⁹³ « Permittitur etenim a S. Sede Provinciarum divisio non aliter nisi de consensu omnium Capitularium et non prius, quam post electionem Proto-Archimandritae et omnium Officialium Generalium.

Imprimis, ut centum Personae Capitulum constituentes uno eodemque sensu ferantur, hoc in praxi nullatenus sperandum; et in casu, qui exponitur, effectus iam probavit, minime obtineri posse. Statim enim ac mentio de divisione Pro-

sequentem dubiorum illorum solutionem debet: « Ad exorta dubia et mihi Nuntio Apostolico pro solutione proposita a R.mo Protoarchimandrita Ordinis S. Basilii Magni ita incontinenti respondendum esse censeo.

« Ne Capitulum Grle diutius haereat ob eadem dubia ex littera Pontificii Rescripti provenientia cuius declaratio a S. Sede non ita cito ut opus esset obtineri potest Ill.mus et R.mus Metropoliæ Administrator et Capituli Praeses, quatenus ita expedire in Domino iudicaverit, facultatem faciat ut ad tractandum, ac definiendum negotium super Provinciarum divisionem procedatur ante electionem Officialium Generalium ac idemque negotium resolvatur eo more, quo quaecumque magni momenti Resolutiones a Capitulo Generali rite capiuntur, reservata tamen super hac utriusque dubii provisionali solutione S. Sedis approbatione ».⁹⁴

Quam vero solutionem, prout ex actis SCPF. constat, non solum fuisse iustam, sed etiam SCPF. sese excusabat ob huiusmodi impraevisas difficultates conditionibus illis causatas: « Ill.mo e Rev.mo Sig.re. E' stata molto ragionevole la permissione, che V. S. si è creduta in obbligo di accordare al Capitolo Generale de' Basiliani, abilitandolo a poter trattare della divisione delle Provincie prima di venire alla elezione de' Superiori Generali, e con quella pluralità de' voti, con cui sogliono risolversi le materie più importanti dell'Ordine. Debbo dunque assicurarla del gradimento, che si ha di tale suo operato, giacchè non s'erano qui potute prevedere le difficoltà, che rendevano quasi impossibile la condizione apposta al Pontificio rescripto de' 23 Aprile ».⁹⁵

Tunc superatis difficultatibus in capitulo Torokanensi anno 1780 mensibus Augusto et Septembri celebrato divisio Ordinis in 4 provincias est peracta, de qua Nuntius sequentem relationem SCPF transmisit:

... « Mons. Eletto Metropolitano mi da altresì avviso, che è già stata risolta la divisione delle Provincie, per la quale dove prima le Provincie dell'Ordine erano solamente due la Polacca e la Lituana, in avvenire saranno quattro, cioè Polacca, Lituana, Gallicense, ed Albo Russa. Dopo lo smembramento di questo Regno era ciò divenuto pur troppo

vinciarum in Capitulo praesenti facta fuerit multorum contrarii sensus appa-
ruerunt.

2° Major occurrit difficultas in observanda integre Rescripti Aplici altera parte. Cum enim pluribus S.C.P.F. Decretis statutum sit, ut Officiales Generales in pari numero Provinciis assumantur et ante divisionem, ipse numerus Provinciarum tresne an quatuor erunt? omnino ignotus sit; tum neque hoc etiam; num quaelibet Provincia unum tantum vel duos Officiales Generales habere debeat? postposita electioni divisione sciri potest; nequequam numerus Officialium Generalium Resolutionibus et Decretis Sae Congregationis accomodatus erit, si ad electionem eorundem ante divisionem Provinciarum procedatur. Supplicat itaque R.mus Proto-Archimandrita Excellae Suae Ill.mae de plenitudine Potestatis, qua vigore Legationis fungitur, expositis difficultatibus obviare et Rescriptum Aplicum moderari dignetur » (ASV, Arch. N. Vars., v. 125. ff. nn. « *Basiliani* »).

⁹⁴ ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, v. 125, ff. nn. « *Basiliani* ».

⁹⁵ *Litterae SCPF, ad Nuntium, 1780, 4, X.* - ASV, Arch. Nunz. di Vars. v. 69, f. 406.

indispensabile, e solamente mi rimase a sapere quali provvidenze siano state prese, affinchè se da una parte non si può a fare a meno di adattarsi alla diversità de' Principati Secolari, dall'altra non possa temersi dalla nuova divisione alcun pregiudizio al bon regolato governo della Religione ».⁹⁸

Ordinis in 4 provincias divisione peracta, etiam, quod nostrum maxime interest, constitutiones ad eandem accomodatae sunt in hunc modum quod, conservatis in genere constitutionibus capituli Berestensis 1772, factae sunt in iisdem relative ad praedictam divisionem necessarie mutationes. Hae imprimis tangunt instituta regiminis generalis suntque sequentes:

I. Regimen generale.

I. « Protoarchimandrita eligendus est servatis stricte inter Provincias vicibus, ita, ut post istud octennium, quo turnus cadit in Polonam Provinciam, in aliud octennium delegatur Proto-Archimandrita ex Provincia Albae Russiae, tamquam parte Lithuanae Provinciae; tum ex Galiciana uti parte Polonae Provinciae; Tandem ex Provincia Lithuana. Quo denique circulo isto circumacto, redeat turnus ad Polonam Provinciam ».⁹⁹

II. In constitutionem consultorij generalis intrant soli 4 consultores ex singulis quatuor provinciis pari numero electi, qui etiam munus secretariorum gen. qui hoc capitulo suppressi sunt, diviso inter se labore, exequi debent.¹⁰⁰ Ordo eligendorum consultorum ex diversis provinciis sequitur turnum Protoarchimandritae scil.: « pro insequente octennio Primus ex Polona Provincia tamquam Comprovincialis Proto-Archimandritae: Secundus ex Provincia Albae Russae, Tertius ex Provincia Galiciae, Quartus denique ex Lithuana Provincia: Qui Ordo deinceps constanter immutabitur secundum vices Officii Proto-Archimandritalis, ita, ut Comprovincialis Proto-Archimandritae semper futurus sit primus, ille autem secundus, qui ex Provincia in sequentem turnum datura Proto-Archimandrita assumetur: Tertius ex illa, in quam Tertius cadit Turnus: Quartus autem, qui designabitur ex Provincia recens suo munere defuncti Proto-Archimandritae ».¹⁰⁰

III. « Procurator Generalis eadem ratione deligetur, qua Proto-Archimandrita, scilicet servatis suis inter Provincias vicibus, ita, ut post lapsum huius octennii, quod Procuratorem habebit ex Lithuana Provincia deligendus sit ex Provincia Galiciae, tandem ex Provincia Albae Russiae, denique ex Polona Provincia ».¹⁰⁰

II. Regimen provinciale.

Etiamsi praedicta divisio nullam mutationem in hoc regimine necessarie requirebat, attamen etiam in hoc quaedam mutationes factae sunt.

I. Unaqueque provincia habet tres tantum, et non uti in constitutionibus capituli Berestensis a. 1772 quatuor, consultores et unum secretarium, qui tamen omnes, secretario non excepto voce deliberativa gaudent.¹⁰¹

⁹⁸ ASV, Arch. Nunz. di Vars., v. 76, p. 395.

⁹⁹ *Codex*, p. 199, n. 59.

⁹⁸ *Ibid.*, p. 92, n. I; p. 93, n. XII, XIII; Cap. Zydyczynen. 1788, s. 8, qu. 2.

⁹⁹ *Codex*, p. 200, n. 67.

¹⁰⁰ *Ibid.*, n. 68.

¹⁰¹ *Ibid.*, p. 107, n. X et p. 108, n. I.

II. In casu obitus vel ascensus Provincialis ante quadriennium elapsum eidem succedit primus consultor nomine Vicarii provincialis, qui cum cetero consultorio eligit tertium consultorem usque ad finem turni.¹⁰² Post obitum tamen vel ascensum Vicarii provincialis secundus consultor, qui, novo electo, devenit primus, eo ipso illo non succedit sed novum Vicarium provincialem designat Proto-archimandrita.¹⁰³

III. Capitula.

I. Quoad capitulum generale mutata est imprimis scheda vocalium, quae in hunc modum composita est:

« Ad Praescriptum Capituli Nostri Generalis Torokanensis (quod facta Congregationis Nostrae in Quatuor Provincias distributione statuit, ex causis gravissimis Comitia Nostra Generalia minori Monachorum numero esse in posterum celebranda) interesse Capitulo Generali debent, non plures universim, quam duo supra Quinquaginta Vocales.

Porro in huiusmodi numero inclusus habeatur Proto-Archimandrita cum Quindecim Congregationis Nostrae Archimandritis, Consultores Generales Quatuor, Provinciales recens electi Quatuor, Ex-Provinciales proxime munere defuncti totidem, atque alii Viginti quatuor Monachi ex singulis seni deligendi et designandi Provinciiis.

Ut autem delectus eorum, qui ex Provinciis designandi sunt, certo definitus habeatur, volumus, ut ex Consultoribus Provinciarum recens in hunc Ordinem cooptatis, eligatur unus, ex Ex-Consultoribus unus, ex Superioribus duo, ex Classe bene de Provincia meritorum unus, denique ex Classe Magistrorum Novitiatus, Professorum, Concionatorum et Missionariorum unus ».¹⁰⁴

II. « Capitulum Provinciale bis sub unoquoque Proto-Archimandrita celebretur: semel trimestri ante capitulum generale ad eligendos Provinciales, Provinciarum Administros, mittendosque cum Jure suffragii ad capitulum generale Vocales: Atque iterum quarto a Generalibus Congregationis Comitibus anno elabente ».¹⁰⁵

Locum hisce capitulis provincialibus designat Protoarchimandrita, auditis provincialibus.¹⁰⁶

« Jus Capitulo Provinciali praesidendi obtinet Proto-Archimandrita. Sed quoniam eodem tempore omnibus interesse per se ipsum non potest Capitulis, eapropter ibi per se praesidebit, ubi res rationesque loci sic ferent vel prudentia postulat, reliquis vero praerit per Delegatos ».¹⁰⁷

At, exceptis divisione Ordinis in 4 provincias atque electione officialium Ordinis et provinciarum secundum methodum novam pro hac sola vice decreto SCPF, eodem anno die 27, Novembris adprobatis,¹⁰⁸ constitutiones huius capituli confirmationem S. Sedis nunquam obtinuerunt, immo neque a capitulo promulgatae sunt, hinc sine ullo valore iuridico remanserunt. Interim Ordo gubernabatur constitutionibus

¹⁰² Ibid., p. 107, n. X.

¹⁰³ *Codex*, p. 107, n. X.

¹⁰⁴ Ibid., p. 190, nn. 5, 6, 7.

¹⁰⁵ Ibid., p. 201, n. 1.

¹⁰⁶ Ibid., p. 201, n. 3.

¹⁰⁷ Ibid., p. 201, n. 4.

¹⁰⁸ *Indulgentiae*, P. I, p. 46.

cap. Berestensis 1772,¹⁰⁹ immo ipsum capitulum generale immediate sequens convocatum est non secundum schedam capituli Torokanensis nuper expositam, sed, data impossibilitate communicandi cum duabus provinciis Galiciens in imperio Austriaco et Albae Russiae in imperio Russo, duae provinciae, quae in antiquo regno Poloniae remanserunt scil. Polona et Lithuana convocatae sunt secundum schedam capituli Berestensis 1772.¹¹⁰

In hoc novo capitulo generali Zydzyczynensi, anno 1788 celebrato, iterum quaedam mutationes et complementa ad constitutiones capituli Berestensis 1772 introductae sunt.

Imprimis nova scheda capitulum generale ingredientium composita est, secundum quam praeter officia generale et provincialia 30 tantum personae huiusmodi iure gaudere potuerunt.¹¹¹

Dein constitutio capituli Torokanensis statuens, ut Consultorium generale quatuor consultoribus, sine secretariis - atque provinciale tribus consultoribus et uno secretario constet, ab hoc capitulo recepta est.¹¹²

Sed maioris momenti complementum ad constitutiones cap. Berestensis 1772 hoc capitulo Zydzyczynensi a. 1788 additum, erat determinatio figurae iuridicae Coadiutorum - Archimandritarum, receptis inter constitutiones Ordinis s. d. «Regulis coadiutorum Abbatum».¹¹³ Quod has regulas spectat, iam anno 1785, 24, XII, SCPF. in epistola ad curiam generalem OSBM. respondendo ad instantiam ipsius curiae, ut ob temporum iniquitatem regulae aliquot pro coadiutoribus Abbatum praescribantur finesque constituentur, intra quos iidem se continere imposterum debeant, eidem Curiae ipsi commisit regulas huiusmodi decernendi, quae tum paci et debitae subordinationi conservandae, tum ipsarum abbatiarum regulari disciplinae atque incremento magis conducere videbuntur.¹¹⁴ Quae autem a Curia praedicta compositae et ad SCPF. transmissae in congregatione generali 31 Julii an. 1786 approbatae sunt et inter caeteras Ordinis constitutiones in proximo capitulo generali referendae et interim executioni mandandae eidem Curiae commissae sunt.¹¹⁵ Tunc denique in capitulo praedicto generali serio examinatae et in constitutiones Ordinis receptae sunt.¹¹⁶

Figura autem iuridica eiusmodi Coadiutorum-Abbatum haec est:

Sunt monachi revera dignitate ecclesiastica ornati sicuti veri Abbates scil. a Metropolitano benedicti et iure gaudent pontificalibus uti, quibus tamen uti ne praesumant, nisi cum licentia Abbatis coadiuti in ecclesia sui monasterii.¹¹⁷ Achiman-

¹⁰⁹ Decretum SCPF, 27, XI, 1780 - Ibid., p. 47.

¹¹⁰ Litterae innotescentes Hierothei Korczynskij Vicarii Gen., OSBM, datae Poczaioviae 27, Junii vs. 1788; APF, *Scr. rif. CG*, 1790, v. 885, f. 282.

¹¹¹ Cap. Zydzyczynen, 1788, s. 7, *ibid.*, f. 292.

¹¹² § 8, qu. 2.

¹¹³ § 10.

¹¹⁴ *Indulgentiae*, P. I, p. 58.

¹¹⁵ *Ibid.*, p. 61.

¹¹⁶ § 10.

¹¹⁷ Reg. 5.

driam tamen non habent propriam, inde nec instituti nec installati sunt, sed uti ipsa denominatio eorum indicat, pro adiutorio in monasterii regimine et negotiorum procuratore Abbatibus coadiutis additi sunt, quorum iurisdictioni subsunt.¹¹⁸ Percipiunt vestiarium annuum, quod Superioribus monasteriorum insignium designatum est,¹¹⁹ in ceteris communitati equiparantur.¹²⁰ In casu gravaminis a coadiuto passi recurrere possunt ad Protoarchimandritam et in capitulis generalibus et provincialibus substitui possunt in locum Abbatum coadiutorum legitime impeditorum certiorato Protorachimandrita a consultorio provinciali.¹²¹ Cum denique ab Abbate cum iure successionis assumantur, hoc defuncto, recurrere debent ad Metropolitanum pro institutione et ad Protoarchimandritam pro installatione.¹²² Abbates tamen instituti coadiutores adsciscere sibi non possunt nisi de consensu Protoarchimandritae et cum approbatione SCPF.¹²³

Mutationes nuper indicatae atque complementa ad constitutiones capituli Berestensis 1772 hoc ultimo capitulo Zydzczynensi a. 1788 addita simul cum omnibus actis eiusdem anno 1790, 15 Martii in congregatione generali SCPF. approbatae sunt.¹²⁴ In litteris autem SCPF., quibus haec Protoarchimandritam OSBM. Wilczynskij Maximilianum de capituli praedicti approbatione certiore reddebat, simul illa huic enixe commendabat, ut opus constitutionum corporis redigendi secundum methodum hoc ultimo capitulo praescriptam ad finem perducat;¹²⁵ sed de hoc quaedam infra.

Ad 2) Hucusque vidimus corpus Constitutionum Ordinis in monasterio Hoscensi redactum anno 1766, a capitulo gen. Berestensi 1772 examinatum non fuisse, sed, postquam typis editum esset, ad sequens capitulum gen. examinandum mandatam fuisse. Capitulum vero sequens seu Torokanense 1780, revera Constitutiones huiusmodi typis iam editas examinavit, sed cum haec illi nimis concinnae viderentur, receptae non sunt, sed de novo ab ipso capitulo formatae, at non promulgatae, sed novae commissioni post-capitulari s. d. « Extensorum » traditae sunt, ut ab his ad calcem constitutionum in hoc capitulo formarum extendantur et in unum codicem redigantur atque experientia interim comprobentur.¹²⁶

Acta tamen huius capituli, quod in redactione corporis Constitutionum Ordinis optime maximeque meritum est, proh dolor neque Romam, neque ad Nuntiaturam Varsaviensem unquam admissae sunt, etiamsi eorundem admissionem et SCPF.¹²⁷ et Nuntius Varsaviensis urgebant.¹²⁸

¹¹⁸ Reg. 1 et 4.

¹¹⁹ Reg. 2.

¹²⁰ Ibid.

¹²¹ Reg. 4.

¹²² Reg. ultima seu 8.

¹²³ Cap. Berest. 1772, const. 47, et decretum SCPF, 1775, 10, VII, ad 7.

¹²⁴ APF, Acta, 1790, v. 160, ff. 68-9.

¹²⁵ Litterae SCPF, 1790, 6. X — APF, Lettere 1790, v. 258, ff. 709-711.

¹²⁶ Cfr. cap. Zydzczynense 1788, ss. 1 et 4.

¹²⁷ Cfr. Litterae SCPF, ad Nuntium Vars., 1780, 23, XII — ASV, Arch. N. V, v. 69, ff. 412, 419.

¹²⁸ Cfr. Litteras Nuntii Vars. ad Card. Praef. SCPF, 1781, 14, II. ASV, Arch. Nunz. di Vars., v. 77, p. 465.

Ratio vero, cur acta huius capituli et constitutiones promulgata non sint, atque cetera quae constituta sunt circa huiusmodi acta, patet ex s. d. «cautela capitulari», cuius copiam Protoarchimandrita electus Nuntio Ap. Varsaviensi simul cum litteris transmisit, die 6, X, 1780.¹²⁹ «Acta haec, quae Constitutionum nostrarum in Hoscensi Monasterio collectarum examen, systema divisionis Provinciarum, eamque in rem prolata Decreta, nec non alias bene multas res gestas, negotiorumque explicationes, promiscue, ut res locusque ferebat, litteris mandatas complectantur; quoniam tam ob operis ipsius molem, ob loci, temporis et alia ex aliis accedentia nascentiaque incommoda, separare inter se, digerere, in ordinem redigere, castigate perscribere, atque tot eorum exemplaria authentica conficere, et subscribere, quod confici et subscribi consuevere, non licuit, nec etiam nunc licet, idcirco tantisper sic, quemadmodum mixtim, confuse, et cum lituris scripta sunt subcribenda esse iudicavimus; consulendo autem fidei, sinceritati et integritati huius autographi, folia eius omnia, lineolis cancellanda, paginas aequae ac schedas, quae ad varia adiecta capita operi inseruntur, numeris notandas, totum autem codicem, ducto per medium acu perforatum volumen, uno filo colligandum, censuimus, et re ipsa, ita vacuitates omnes foliorum cancellavimus, numeris summam 132 numerorum aequantibus paginas omnes notavimus, atque uno filo sericeo albo per medium ducto folia omnia et schedas nexuimus; ut vero Acta a Constitutionibus discreta, a lituris singula purgata, suis locis et ordine quaeque digesta, munde descripta et elegantiori stylo, qui tamen rei substantiam non immutet expolita ac limata habere possemus, Viros e Congregatione nostra praestantiores designandum duximus et designavimus, scilicet AA.RR.PP. Samuelem Novicki, Protoconsultorem Provinciae Lithuanae, Remigium Jakubowicz, Notarium moderni Capituli Superiorem Antopolitanum, Antonium Tarnawski, Superiorem Leopolitani ad aedes S. Onuphrii Monasterii, nec non Hieronymum Witoszynski, Notarium Provinciae Polonae; Quorum erit Torokaniis ac brevi quoad fieri poterit tempore, demandatum sibi munus explere, et Constitutionum quidem septem conficere Exemplaria, omnia illico Varsaviam ad Ill.mum Excl.um et R.mum nostrum Praesidem transmittenda, ut ab eodem perspecta, examinata, cum his actis originalibus collata, sigillo munita, ac subscripta, quamprimum ad Officium Ordinis generale remitti possint. Pertinebit autem ad dictum Officium Constitutiones quidem statim Typis mandari iubere, Actorum vero Exemplaria a se quoque subscripta et sigillo communita, ita distribuere ut ex eis unum in Archivio Metropolitano, unum in Archivio Ordinis, unum in Archivio Procuratoris Romani, et seorsim unum in singulis respectivarum Provinciarum Tabulariis prostet, et tamquam autographum asservetur. Codices quoque Constitutionum Typis impressos ab Ill.mo et Excl.mo D.no Praeside et Officio Generali subscriptos sigillisque respectivis communitos totidem haberi volumus, quod Exempla Acto-

¹²⁹ ASV, Arch. Nunz. di Vars., v. 125, non pag. «*Basilliani*».

rum habenda decrevimus, ut eadem ratione distribui, et iisdem in locis uti authographa servari possint.

Cum autem mens sit Congregationis nostrae velle per insequens octennium usu ipso discere, num conditae Constitutiones servari ubique in posterum pari valeant ratione, ea propter de robore ipsis inconcusso ex Apostolica Confirmatione addendo, nonnisi a futuro Capitulo Generali celebrando post octennium, precibus cum S. Congregatione agi debere statuimus.

Ne vero, donec Codex Constitutionum Typis impressus promulgetur, Legibus soluta censeatur nostra Congregatio, volumus, ac consulendo integritati monasticae disciplinae, id ipsum praecipimus, ut interea, dum dictus prodeat Codex, vim omnino et robur suum teneant novissimi Berestensis Generalis Capituli Constitutiones, prout latae sunt, recognitae et impressae ».¹³⁰

Attamen hoc decretum capitulare usque ad sequens capitulum gen. executioni mandatum non est, prout intentum erat. Nam Codex Constitutionum typis impressus non est, neque acta capitularia ad Nuntium Ap. et SCPF. sunt transmissa, « extensores » tamen opus suum expleverunt.

In capitulo sequenti Zydyczynensi 1788 imprimis opus « extensorum » sub considerationem venit. Cum vero et officia provincialia, quae opus illud examinabant atque ipsi patres capitulares animadverterint constitutiones capituli Torokanensis non iuxta patrum mentem ab « extensoribus » congestas esse: « multa enim aut immutarunt aut de suo addiderunt, aut etiam omiserunt, transposuerunt et reduplicarunt ac prolixè nimis exposuerunt » ideoque conclusum est: « ut Revisio Constitutionum Torokanensium, conformatio codicis cum Originali, abbreviatio, et si quae in Originali non inveniuntur, exclusio, non iam aliquot viris ex Ordine determinandis, sed soli officio Generali futuro, cum libertate adsciscendi ammanuenses committantur. Cuius erit postquam bene examinatae, et cum Observationibus publice nuper lectis collatae fuerint, easdem Officiis Provinciarum communicari, ut has typo expressas propter experiendum, utrum omnes in praxi servari possint, per singula utriusque Provinciae Monasteria distribuant, praevie constituendo uniuscuiusque exemplaris, et per quodlibet Monasterium exsolvendo pretio. Tempore autem sequentis capituli Generalis, ea unice, quae ex observationibus Provinciarum adinveniuntur in iis corrigenda, corrigantur, salva tamen Constitutionum Torokanensium substantia, et ab omnibus Ordinis nostri Monachis post obtentam a Santa Sede Apostolica approbationem pro Regulis habeantur ».¹³¹

Operi huic ad effectum deducendo non minori studio ac ipse Ordo etiam SCPF. invigilabat. In litteris enim eiusdem ad Vicarium Gen. Ordinis anno 1790, 6, X, scriptis urget: « Illud autem praeceteris ab te curandum maxime est, ut nimirum acta Torokanensis capituli anni 1780, quam citius fieri poterit, examini subiacentur per Officium g.le, quem-

¹³⁰ Ibid.

¹³¹ S. 4 et 5.

admodum decrevistis in postremo hoc capitulo et priusquam typis edatur, illa transmittes ad hanc S. Congr., ut sua auctoritate confirmari possint». ¹³² Similiter aliis litteris expensis inutilibus ita praevinit: «EE.PP., re accuratius perpensa, in sententia fuerunt, ut constitutiones huiusmodi postquam examinatae, emendatae notisque et observationibus locupletatae per Vos fuerint, praelo non committantur, nisi prius ad hanc S. C. transmissae Aplcam approbationem obtineant. Praeter enim haud leves typorum expensas, quae inutiliter fierint, si constitutiones improbarentur difficillimum etiam esset ac prope impossibile exemplaria omnia revocare. Quam ob rem latius omnino erit ut post accuratam correctionem a Vobis factam examen atque approbatio huius S. Sedis earundem impressionem atque evulgationem praecedat». ¹³³

Haec tamen iustae SCPF. suasiones et consilia effectum suum sortiri iam non potuerunt. Litterae enim nuper citatae a S. Congregatione missae sunt die 29, Januarii, 1791, eodem autem anno vidimus codicem constitutionum editum fuisse; inde, dum litterae illae expe-derentur, codex iam saltem sub praelo erat.

Valor huius operis, quod inscribitur: «*Codex Constitutionum Ordinis S. Basilii M. ex Sancitis antiquiorum Capitulorum Congregationis Ruthenorum et Decretorum Sanctae Sedis collectarum, ad textum Regulae S. Patris nostri exactus et conformatus, Typis S. Reg. M. Monasterii Poczajovien: O.S.B.M., 1791 Anno*», ¹³⁴ sub respectu historico sine dubio haud parum aestimari potest; opus enim hoc est effectus bene medio saecularis studii et laboris imprimis capitulorum Ordinis generalium, quae primum in eo obtinent meritum, dein etiam S. Sedis quae tum sua continua vigilantia super actione capitulorum, tum propria legislatione ad idem conspirabat, denique singulorum eminentissimorumque e viris doctissimis, quibus tunc temporis Ordo Basilianus Ruthenus enitebat.

Sed, proh dolor, codex hic nunquam non solum a S. Sede appro-

¹³² APF, *Lettere*, 1790, v. 258, f. 709.

¹³³ APF, *Lettere*, 1791, v. 260, f. 65.

¹³⁴ Codex hic constat duabus partibus, quarum *prima* complectens constitutiones communes quinque habet capita: de votis, de virtutibus, de exercitiis spiritualibus, de cultu et de disciplina monastica. *Secunda* vero complectitur constitutiones particulares habetque tria capita:

1) «De iis quae ad rectam Congregationis, Provinciarum et Monasteriorum Administrationem pertinent» (p. 78-144 agit de singulis regiminis institutis).

2) «De ratione et institutione Studiorum» (p. 144-170).

3) «De accedentibus et profiteri volentibus vitam Monasticam» (p. 170-187). Hisce additur: 1° «Formularium... continens Formulas praecipuorum Actuum et iurium iurandorum» (p. 187-218). — 2° «Syngramma Epitimicum Auctoritate Generalis Capituli Torokanensis recognitum» (p. 219-262).

Sicut constitutiones Hoscenses ita etiam Codex singula capita et instituta uberrime textibus S. Basilii illustrat; differt tamen ab illis et a ceteris codificationibus praecedentibus eo, quod eminet tribus illis proprietaribus, quarum deficientiam olim capitula illis obiciebant scil. plenitudine, claritate, nec nimia prolixitate.

bationem accepit, verum etiam neque ab ullo capitulo generali receptus promulgatusque erat; hinc, quod nostrum maxime interest, ex se ceu codex qua codex nullum valorem iuridicum habuit. Eius valor iuridicus idem erat ac constitutionum Hoscensium, de quibus supra.

Quod quidem patet non tantum e toto processu codicis huiusmodi redigendi, hic per duas phases de industria fuse exposito, sed etiam e modo posteriori. Basilianos enim, codice iam edito, in actibus iuridicis revocasse vidimus non ad codicem tamquam legem propriam, sed ad constitutiones capituli Berestensis 1772, quae, uti vidimus, hucusque a duobus capitulis generalibus uti lex propria receptae sunt et uti tales a S. Sede approbatae erant. Ad illas ergo revocabat Vicarius Generalis Ordinis, Athanasius Falkowskyj, anno 1793, 7, X, in litteris ad Nuntium AP. Varsaviensem legitimitatem suae in Vicarium electionis indicando.¹³⁵

Ad easdem constitutiones revocabat idem Falkowskyj ad ostendam canonicam sui electionem in Protoarchimandritam coram Collegio Iustitiae pro Romano catholicis in imperio Russo, anno 1801, 16, II,¹³⁶ atque eius successor Protoarchimandrita Husakowskyj Justus coram Senatu Russo anno 1803, ad defendendam legitimitatem capituli gen. ultimi Torokanensis anno 1802 celebrati.¹³⁷

Quibus autem omnibus consideratis patet minus rectam esse revocationem in iuribus determinandis ad praedictum codicem, praesertim in casibus, in quibus ille a constitutionibus capitularibus discrepet.¹³⁸

APPENDIX.

Notae generales Basilianorum regiminis periodo tertia, seu post tertiam regni Poloniae divisionem anni 1795, in imperiis Russo et Austriaco.

Tres erant divisiones Poloniae scil. annis 1772, 1793, 1795. Ab ultima et totali divisione Poloniae anno 1795 usque ad reformationem Basilianorum, s. d. Dobromyliensem, anno 1882 peractam periodum in evolutione eorundem regiminis designamus tertiam. Dissertatione praesenti exponitur regimen Basilianorum in duabus tantum periodi: hucusque consideratis, in quibus scil. regimen praedictum evolvi et

¹³⁵ ASV, Arch. Nunt. d. Vars, v. 133 « *Basiliani* », « lettere », f. penultimum.

¹³⁶ PSZ, n. 21033; AVAK, t. XVI, n. 38, p. 42-60.

¹³⁷ Ibid.

¹³⁸ Ita e. g. BLAZEJOWSKYJ — « *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in clerum regularem* » — Codicem praedictum non solum communitur loco capitulorum citat, (eg. pp. 40, 43, 88, 89 etc.) sed etiam ad eum revocat, ubi hic a capitulis differt e. g. 43: « Quoad locum Capitulorum Generalium Codex Constitutionum disposuit: si quid causae fuerit, peti potest diversorum locorum designatio, semper tamen de consilio Metropolitanae. Conditio ista probabiliter necessitate, quia Metropolita Praeses erat Capitulorum Ordinis, introducta est ».

determinari potuit impulsu et auctoritate propria ipsorum Basilianorum.

Hac vero periodo tertia regimen praedictum maiori ex parte pendet a guberniis civilibus, inde considerari non potest tamquam regimen indolis Basilianorum propriae, sed vi illis impositum et uti tale ad studia super indole propria constitutionali Basilianorum regiminis elementa positiva conferre non potest. Hinc et a consideratione et obiecto huius dissertationis eliminatur.

Sed ad complendam historiam evolutionis eiusdem regiminis, hic brevi calamo notae generales eiusdem indicantur.

Post tertiam divisionem Poloniae 1795 a. tres Basilianorum provinciae scil. Lithuana, Albo Russa et Polona imperio Russo sunt subiectae, quarta vero Galiciensis imperio Austriaco, quae variam et variam regiminis formam subierunt.

§ 1.

FORMA BASILIANORUM REGIMINIS IN IMPERIO RUSSO.

In evolutione Basilianorum regiminis in imperio Russo triplex phasis distingui potest, scilicet:

- 1) sub Catherina II et ex parte sub Paulo I ab a. 1772 ad a. 1798;
- 2) sub Paulo I, Alexandro I et ex parte sub Nicolao I (1798-1828);
- 3) sub Nicolao I ab a. 1828 usque ad abolitionem Unionis a. 1839.

I. Sub Catherina II et ex parte sub Paulo I (1772-1798).

In generali transformatione organisationis Ecclesiae catholicae in imperio Russo, sive Romano-catholicae sive unitae haec imperatrix neque organisationem religiosorum utriusque ritus non transformandam reliquit, gradatim edendo post unamquamque divisionem Poloniae nova decreta, quae vitam religiosam inspectioni potestatis civilis semper maiori subderent organisationemque ecclesiasticam cum dependentia ab aula imperiali centralisandam faciliterent. Hinc erat quod post tertiam Poloniae divisionem ex omnibus dioecesibus Ecclesiae Ruthenae unitae una tantum dioecesis formata est et Archiepiscopo Polocensi subdita, Metropolita e propria metropolia expulso, cum permissu habitare vel Petropoli vel Romae cum salario 6000 rublorum.¹

Formam vero Basilianorum regiminis post tertiam divisionem Poloniae in imperio Russo determinabant decreta imperialia (ukazy) iam ab anno 1772 gradatim edita, scil. anno 1772, 14, XII,² 1785, 7, I,³ quod ultimum revocat ad duo decreta praecedentia pro Romano-catholicis

¹ PSZ, n. 16122; AVAK, t. XVI, n. 6.

² PSZ, n. 13922; AVAK, t. XVI, n. 1, p. 1.

³ PSZ, n. 16122, AVAK, t. XVI, n. 6, p. 6.

edita anno 1780, 9, I⁴ et 1782, 17, I,⁵ denique anno 1795, 6, IX.⁶ Ad calcem horum decretorum editae sunt litterae pastorales ab Archiepiscopo Polocensi Heraclio Odrwaz-Lisowski anno 1795, 3, XI⁷ et 1796, 6, XI,⁸

Secundum haec decreta regimen Basilianorum in hunc modum est formatum:

1) Omnia monasteria et monachi subiecti sunt A.Eppo Polocensi.⁹
2) Ad latus A.Eppi erectum est s. d. Consistorium constans duobus vel tribus personis ecclesiasticis.¹⁰

3) Suppressis officiis Ordinis tam generali quam provincialibus, Superiores monasteriorum locales designabantur ab A.Eppo,¹¹ qui per se vel per alios omnia monasteria visitabat.¹²

4) A iudicio A.Eppi in rebus oeconomicis et disciplinaribus appellatio patebat ad tribunalia superiora, servato ordine, scil. primo ad « Collegium Iustitiae pro rebus Livoniae, Estoniae et Finniae », dein ad senatum imperii.¹³

5) Strictissime omnes prohibentur agnoscere dependentiam a quacumque potestate ecclesiastica extra fines imperii degente¹⁴ et speciatim accipiendi et publicandi bullas Romani Pontificis sine imperiali « exequatur ».¹⁵

6) Ex sua parte A.Eppus Polocensis, accepta a S. Sede, datis huiusmodi circumstantiis, iurisdictione super Basilianis, erexit tria s. d. « regimina intermedia » inter consistorium Polocense et superiores locales, quae locum anteriorum officialium provinciarum in tribus olim provinciis Basilianis obtinuerunt quaeque constabant 3 membris (scil. Visitatore cum voce decisiva et 2 assistentibus) et 1 secretario.¹⁶

II. Sub Paulo I, Alexandro I, et ex parte sub Nicolao I (1798-1828)

Imperator Paulus I in pluribus decreta matris suae mitigavit. Iam enim anno 1797, 26, II, in « Collegio Iustitiae pro rebus Livoniae, Estoniae et Finniae » speciale « Departamentum pro Romano-catholicis », a quo etiam Rutheni uniti dependebant, erexit.¹⁷

Anno sequenti 1798, 28, IV, decreto imperiali personali senatui por-

⁴ PSZ, n. 14966; AVAK, t. XVI, n. 3, p. 3.

⁵ PSZ, n. 15326; AVAK, t. XVI, n. 4, p. 3.

⁶ PSZ, n. 17384; AVAK, t. XVI, n. 14, p. 12.

⁷ AVAK, t. XVI, n. 237, p. 562.

⁸ Ibid., n. 238, p. 563.

⁹ Ibid., n. 1, p. 1, n. 4; n. 4, p. 3, n. 11; n. 14, p. 12, n. 1.

¹⁰ Ibid., n. 1, p. 1, n. 5.

¹¹ Ibid., n. 14, p. 13, n. 7.

¹² Ibid., n. 4, p. 3, n. 8.

¹³ Ibid., n. 1, p. 2, n. 8.

¹⁴ Ibid., n. 4, p. 3, n. 11.

¹⁵ Ibid., n. 1, p. 2, n. 9; n. 4, p. 3, n. 13; n. 14, p. 13, n. 7.

¹⁶ APF, *Decreta* 1779-89 f. 270; ASV, Arch. Nunz. di Vars., v. 70; ff. nn. AVAK, t. XVI, n. 237-8, pp. 562-3.

¹⁷ Ibid., n. 15, p. 13.

recto Ecclesiae Ruthenae restituere permisit alias duas dioeceses, Berestensem scil. et Luceoriensem, praeter antiquam Polocensem.¹⁸

Praeterea Metropolitae Rutheno Rostockyj permisit habitare ubicumque in imperio voluisset cum eodem salario 6000 rublorum.¹⁹

Quod vero regimen religiosorum utriusque ritus spectat, duabus propositionibus a senato sibi praesentatis et confirmatis, scil. anno 1798, 3, XI²⁰ et 1800, 11, XII,²¹ praecedentia decreta reformavit.

Secundum primam propositionem confirmatam regimen religiosorum catholicorum e quibus Jesuitae, Basiliani, Piari, Camaldulenses et Cistercienses expresse nominantur,²² etiamsi in quibusdam ad formam pristinam est appropinquatum eo praesertim, quod officium provincialium restitutum est²³ cum eiusdem potestate super omnes religiosos per omnes dioeceses; attamen principia praecedentium decretorum adhuc retenta sunt:

1) Suprema auctoritas a Deo Imperatori concessa extenditur etiam in personas ecclesiasticas, inde hae illum prosequi debent subiectissima fidelitate et oboedientia.²⁴

2) Primus Superior in propria dioecesi est Episcopus, cui omnes monachi sine ulla exceptione oboedire debent.²⁵

3) Inde erat, quod in concreto collegium Episcoporum eligebat ipsos provinciales, nam capitula monachorum ad eligendos Superiores prohibita erant.²⁶

Quisque Episcopus in propria dioecesi designabat Superiores locales ad triennium, immo eorundem vicarios et procuratores; candidatos vero ad abbatias idem praesentabat R. C. Departamento Collegii Iustitiae, hoc vero Imperatori pro confirmatione.²⁷

Consistorium eparchiale videbat omnes causas, praeter criminales et capitales ad iudicia civilia spectantes;²⁸ a sententia consistoriali appellatio patebat ad Departamentum, ab hoc ad senatum.²⁹

Episcopo ius competeat sive per se sive per alios omni tempore monasteria visitandi, inde Provincialis acta visitationum eidem remittere tenebatur.³⁰

Nemini religiosorum egredi extra dioecesim licitum erat sine Episcopi permisso.³¹

Favorabiliora adhuc respectu regiminis religiosorum erant s. d.

¹⁸ Ibid., n. 19, p. 15.

¹⁹ Ibid.

²⁰ Ibid., n. 21, p. 17 et n. 22, p. 18, 20.

²¹ Ibid., n. 27, p. 28.

²² Ibid., n. 22, p. 20, n. 23, 24.

²³ Ibid., n. 13.

²⁴ Ibid., n. 1.

²⁵ Ibid., n. 3.

²⁶ Ibid., n. 7.

²⁷ Ibid., n. 8, 9, 10.

²⁸ Ibid., n. 4, 2.

²⁹ Ibid., n. 2.

³⁰ Ibid., n. 17, 16.

³¹ Ibid., n. 21.

« puncta » eiusdem senatus imperatori praesentata ab eoque confirmata anno 1800, 11, XII.³²

In hisce, retento primo principio in praecedenti decreto allato de suprema potestate imperatoria,³³ potestas Episcoporum respectu religiosorum in pluribus diminuta est disciplinaque eorundem fere ad pristinum statum restituta est.

Itaque imprimis Episcopus in electiones religiosorum immiscere se amplius non potuit, sed tamquam principium hac in re positum est: « Quivis religiosus Ordo eligat sibi praepositos monasteriorum sive superiores praepositi eligant inferiores secundum regulas cuiusque Ordinis auctoritate ecclesiastica confirmata », ³⁴ exceptis tantum Abbatibus, qui ut antea ab Episcopo R. C. Departamento praesentabuntur et ab hoc senatui cum respectiva relatione de candidato.³⁵

Item quod visitationem monasteriorum spectat, Episcopi illa visitare potuerunt in casibus tantum a concilio Tridentino determinatis.³⁶

Provinciales vero eligebantur a monachis secundum constitutiones cuiusque Ordinis, sed pro confirmatione Ordo praesentare eos debebat R. C. Departamento et hoc senatui.³⁷ Eorundem erat semel saltem in anno visitare monasteria sibi subiecta,³⁸ monachos de monasterio ad monasterium transferre citra ullam licentiam Episcopi, sed cum tesserâ potestatis civilis respectivae provinciae.³⁹ Iidem admittunt ad professionem, in qua emittenda observanda erant praescripta concilii Tridentini.⁴⁰

Superiores locales vel eligendi erant a monachis proprii monasterii et a Provinciali confirmandi vel immediate a Provinciali designandi secundum constitutiones; ⁴¹ eorum tamen elenchos quotannis referre debuit Provincialis R. C. Departamento Collegii Iustitiae.⁴²

« Puncta » haec considerari possunt tamquam culmen independentiae religiosorum catholicorum in imperio Russo, quae tamen diu in vigore non erant. Nam statim anno sequenti, imperatore Paulo I demortuo (1801, 12, III), sub eius successore Alexandro I nova propositio imperatori approbata a senatu praesentata est ab illoque confirmata anno 1801, 13, XI. Quae quidem « puncta » praecedentia, quoad substantiam conservavit, sed cum maiori in religiosos Episcoporum potestate.

Tamquam principium fundamentale pro regimine religiosorum sumit dicta propositio ipsas Constitutiones cuiusque Ordinis: « Monasteria Ordinum religiosorum in omnibus regi debent secundum eorum

³² AVAK, t. XVI, n. 27, p. 28 ss.

³³ Ibid., n. 1.

³⁴ Ibid., n. 7.

³⁵ Ibid., n. 10.

³⁶ Ibid., n. 16.

³⁷ Ibid., n. 7.

³⁸ Ibid., n. 14.

³⁹ Ibid., n. 18.

⁴⁰ Ibid., n. 17.

⁴¹ Ibid., n. 7.

⁴² Ibid., n. 7.

constitutiones et instituta habeantque hac de causa proprios superiores seu provinciales, ne tamen audeant contra praescripta imperialia sub periculo iudicii capitalis aliquas relationes cum Generalibus Ordinum religiosorum vel cum aliis auctoritatibus ecclesiasticis extra fines Russiae degentibus habere ».⁴³

Provinciales tamen respectivis Episcopis referre debent de omni eventu in monasteriis in respectiva eparchia sitis scitu digno, uti de electione Superiorum et administratorum, de statu monasteriorum, de religiosis, de bonis, de capitalibus et in genere quod scire debet Episcopus tamquam totius cleri in eparchia Superior.

Episcopis vero non licet se immiscere in praecepta religiosorum eorumque electiones, sed post obitum Provincialis certiores facti a superiore monasterii, de illius obitu certiorant Collegium Iustitiae, hoc vero praecipiet electionem novi Provincialis.

Episcopi ius est visitare monasteria eorumque disciplinae invigilare. Quaerelas contra Provinciales accipit respectivus Episcopus easque defert Collegio Iustitiae, quod vero in correctione et executione procedat secundum Constitutiones Ordinis.

Collegium denique Iustitiae tamquam institutum regiminis principale accipere debet per Episcopos plenam et sufficientem notitiam de monasteriis, ecclesiis et clero et, data occasione, eandem referre senatui regenti.

Hucusque explanata decreta aequo modo referebantur ad omnes religiosos utriusque ritus catholicos. Quod vero in specie Basilianorum regimen spectat, post edita hucusque decreta senatus, praesertim puncta a Paulo I, anno 1800, 11, XII, confirmata, quaestio orta est de legitimitate existentiae officii Protoarchimandritae Basilianorum in imperio russo. Puncta enim illa, prout vidimus, cuique Ordini catholico permittebant regi secundum proprias constitutiones. Hinc erat, quod Protoarchimandrita Basilianorum, Athanasius Falkowskyj, statim anno sequenti, 1801, 16, II, Collegio Iustitiae memoriale praesentavit ostendens se esse legitimum Protoarchimandritam seu Generalem Ordinis Basiliani. Collegium imprimis decreto diei 19, II, 1801 declaravit praedictum Protoarchimandritam in fundamento decreti 1800, 11, XII, regimen Basilianorum generale assumere posse,⁴⁴ dein alio decreto diei 28, IV, 1802

⁴³ Ibid., n. 29, p. 31 ss.

⁴⁴ Tota haec quaestio cum respectivis relationibus, sententiis et decretis fuse exponitur in decreto (ukaz) senatus imperii ex anno 1803, 9, XI — PSZ, n. 21033; AVAK, t. XVI, n. 38, p. 42-60.

Quod vero praedictus Protoarchimandrita canonice legitimus erat patet ex eiusdem relatione Collegio praesentata. Ultimum enim capitulum gen. erat anno 1788, quo in Protoarchimandritam electus est Skarbek-Wazynskyj brevi in Episcopum Cholmensem evectus. Eius locum uti Vicarius G. assumpsit eo ipso Protoconsultor Wilczynskyj ornatus a Romano Pontifice, ea ratione, quod per 8 annos novus Protoarch. eligi non potuit, titulo et insigniis Protoarchimandritae. Hoc tamen anno 1793 demortuo, secundum constitutiones cap. Berest. 1772 in Vicarium G. electus est Athanasius Falkowskyj item ob eandem rationem titulo et insigniis iisdem a Rom. Pontifice ornatus, qui canonice non nisi a capitulo gen. mutari potuit.

capitulum generale ut convocet eidem Protoarchimandritae praecepit.⁴⁵ Quibusdam dissensionibus Protoarchiamandritam inter et Collegium de tempore, loco et praeside capituli superatis, diebus 8-23, IX, 1802 capitulum generale Basilianorum, quod ultimum erat aetate illa, monasterio Torokanensi celebratum est in eoque electi sunt Protoarchimandrita Justus Husakowskyj, 4 consultores Ordinis ceterique officiales provinciales, quorum electio decreto Collegii ex 9, VI, 1802 praecepta est. In eodem capitulo inter alia etiam tria monasteria novissimè per rescripta Nuntii Apostolici in Russia, Litta, ad archimandrias evecta citra consensum Superiorum Ordinis et contra leges imperii in nocuum Ordinis, uti monasteria simplicia declarata sunt tresque eorundem Superiores, qui contra votum non ambiendi dignitates sine consensu Superiorum Ordinis et contra leges imperii titulum et dignitatem archimandritalem ab eodem Nuntio efflagitarunt, iisdem privati sunt et destituti.⁴⁶

Causa eorundem Superiorum, simul cum quaestione de legitimitate existentiae officii Protoarchimandritalis in imperio Russo atque de validitate nuperrime citati capituli gen. promoti imprimis in Collegio Iustitiae et dein, post appellationem eiusdem procuratoris ad senatum imperii, in hoc dicasterio horribiles consequentias habuit non solum pro ipsis dictis Archimandritis, qui sine licentia imperatoris huiusmodi dignitatem obtinuerunt, verum etiam pro toto Ordine Basiliano, immo pro ceteris Ordinibus catholicis in imperio Russo existentibus ipsoque Collegio Iustitiae propter nova decreta praedicti senatus hac occasione edita:

1. Primum ex anno 1803, 9, XI;⁴⁷ inter illa Collegio Iustitiae nova regiminis officia pro religiosis erigenda prohibuit eique praecepit, ut Episcopis atque monasteriorum Superioribus localibus praescribat, ut ad regendos Ordines nonnisi Provinciales secundum decreta hucusque edita eligant, excludendo hoc modo possibilitatem officii Generalis Ordinis, unica exceptione facta pro Societate Jesu, quae personale indultum ab ipso imperatore obtinuit eligendi sibi Superiorem Generalem.

2. Secundo decreto, ex anno 1804, 17, II, cum procurator Collegii inconvenientiam exequendi prioris decreti senati retulerit, executio eiusdem Collegio iterum mandatur cum sequenti adhuc adiectione: ut monachi in omnibus agant secundum eorundem Constitutiones « in quantum hae cum generalibus de catholico clero ordinationibus et constitutionibus civilibus concordent atque cum debita eorundem votis clementia et humilitate in praescripta legibus oboedientia perdurent: monachi Superioribus vel Provincialibus, hi vero ne declinent ab ani-

⁴⁵ Ibid.

⁴⁶ Cfr. *Relationem Nuntii Ap. Petropoliensis Litta*, a. 1799, 22, II, de erectione trium abbatiarum Basilian. scil.: Chorobroviensis (11-VIII-1798), Witepscensis (10-IX-1798) et Polocensis (10-IX-1798) et nominatione trium abbatum cum relativis decretis. ASV, Nunz. di Polonia, v. 344 nn. « *Polonia-Russia* », fascic. 59.

⁴⁷ AVAK, t. XVI, n. 38, p.

madversionibus et admonitionibus eparchialium Episcoporum, uti Generalium cleri eparchialis Praepositorum ».⁴⁸

3. Tertio denique, ab ipso imperatore approbato, die 1, III, 1804, non solum duo praecedentia immediatae, nulla interposita mora, executioni mandanda praecipiuntur, verum etiam sanctiones poenales imprimis in procuratorem Collegii, qui ab officio amovetur et iudicio tribunalis publici traditur, dein in 2 membra eiusdem Collegii cum procuratore consentientes, qui ab imperatore ab officio amoventur, feruntur.⁴⁹

Haec forma Basilianorum regiminis in imperio Russo ab anno 1804, 1, III, sine officio generali⁵⁰ seu Protoarchimandrita cum solis Provincialibus secundum normas praescriptas regulamento ex anno 1800, 11, XII, et positione ex anno 1801, 13, XI, supra relatas, et in sensu ultimo allatorum decretorum interpretatas, perduravit usque ad annum 1828.

III. Sub Nicolao I (1828-1839).

Sub hoc imperatore, suppressione Unionis constituta, permutationes diversae in Ecclesiae Ruthenae regimine nihil aliud pro scopo habebant, quam illam faciliorem acceleratioremque reddendam. Hinc in prima acie Ordo Basilianus debilitandus erat. Cui scopo inservire debebant duo decreta imperialia ex anno 1828: alterum e die 22, IV, alterum vero e die 17, X.⁵¹

Primo decreto, erecto speciali Collegio Ecclesiastico pro Graeco-unitis, ut ita a Romano-catholico separatum minus valeat, atque regimine totius Ecclesiae Ruthenae reorganisato, de Basilianis positum est principium: « Omnia monasteria Basiliana, quae in ambabus dioecesium Graeco-unitis inveniuntur, subduntur localibus eparchialibus Praepositis et Consistoriis ».⁵² Quo pacto Basiliani in omnibus respectivis Episcopis (quorum quidam uti Siemaszko, postea Zubko et Luzynskij transitum ad schisma praeparabant) subditi sunt. Provinciales illorum conservati quidem adhuc sunt, at in omnibus ab Episcopis dependentes.

Secundo decreto determinatur constitutio consistoriorum eparchialium, in qua ingredi debebant etiam repraesentantes Basiliani. Consequentia huius in Consistorium Basiliani repraesentantis ingressus erat, quod, prout hoc expresse tertium decretum imperiale ostendit, omnibus Basilianorum causis consistorio subiectis, dein duobus illorum Provincialibus demortuis et tertio inter membra consistorialia ingresso, horum officium iam inutile imperatori visum est, quodque decreto imperiali ex anno 1832, 16, II, revera in perpetuum suppressum est.⁵³

Ulterioris mutationis in regimine Basilianorum in imperio Russo ad finem ab imperatore intentum utique opus iam non erat usque ad totalem, officialem suppressionem Unionis anno 1839 peractam.

⁴⁸ PSZ, n. 21160; AVAK, t. XVI, n. 40, p. 61.

⁴⁹ PSZ, n. 21193; AVAK, t. XVI, n. 41, p. 62 ss.

⁵⁰ Quod ultimo citatis decretis suppressum est.

⁵¹ 2 PSZ, n. 1977; AVAK, t. XVI, n. 71, p. 113; AVAK, t. XVI, n. 76, p. 116.

⁵² AVAK, t. XVI, n. 71, p. 114.

⁵³ Ibid., n. 88, p. 126.

§ 2.

FORMA BASILIANORUM REGIMINIS IN IMPERIO AUSTRIACO.

Post primam regni Poloniae anno 1772 inter Austriam, Borussiam et Russiam divisionem, Austriae accessit Galicia et iam ex anno sequenti 1773 habentur documenta, quomodo Episcopus Leopoliensis, Leo Szeptyckyj, contra exemptionem Basilianorum coram trono imperiali conspiraretur.⁵⁴ Attamen durante regnato imperatricis Mariae Theresiae nulla notabilior mutatio in regimine Basilianorum Galiciae accidit, immo et communicatio cum aliis Ordinis provinciis eis permissa est, quod patet maxime e capitulo Torokanensi 1780, cui vocales totius Ordinis participabant; at ob praevisas difficultates perfectae communicationis in eodem capitulo totus Ordo in quatuor provincias divisus est, inter quas etiam provincia Galiciae in imperio Austriaco erecta est.

Mutationes maioris momenti in regimine Basilianorum huius provinciae incipiunt cum regnato Josephi II, qui plura edidit in materia ecclesiastica s. d. «*decrera aulica*» (Hofdekrete), quibus etiam regimen religiosorum modificavit. Iam enim anno 1782 huiusmodi decreto prohibitaerant religiosae relationes cum eorum Superioribus Generalibus, qui extra imperium Austriae debebant.⁵⁵ Anno sequenti 1783 monasteria singularum dioecesium constituere debebant singulas provincias religiosorum.⁵⁶ Anno vero iterum sequenti reorganisatur ipsum regimen provinciarum in hunc modum, quod potestas Provincialium est limitata; ipsi enim, si hanc potestatem secundum constitutiones propriae religionis habebant, Superiores locales amplius designare non possunt, sed hi a propriis communitatibus eligi debent. Capitula provincialia habentur tantum sextennalia ad eligendos Provinciales, mense Maio celebranda.⁵⁷

Decreta supra relata, religiosos spectantia, anno 1785, 1, II, etiam ad respectiva monasteria Ecclesiae Ruthenae imperii Austriaci extensa sunt.⁵⁸

Difficultates in communicatione inter varias Ordinis provincias a Capitulo Torokanensi 1780 praevisae nunc verificatae sunt, ita, ut cap. Zydzczynense 1788 cum permissu S. Sedis a solis duabus provinciis regni Poloniae, Lithuana scil. et Polona, celebratum sit, citra par-

⁵⁴ «*Instructiones Perillo A. R. Lewinski Praep. Cathedrali et Officiali gen. Leop. ad conferendum cum Ill.mo et Exc.lmo ac R.mo D. Ep.po Ruth r. g.c. Mukaczoviensi die 1 Dec. 1773 datae*»; MALINOWSKI, *Die Kirchen und Staatsatzungen*, p. 303, 321, 348, 350.

⁵⁵ PELESZ, *Geschichte der Union*, t. II, p. 736.

⁵⁶ Ibid.

⁵⁷ Ibid., p. 738.

⁵⁸ Ibid., p. 739.

tecipationem in eodem provinciae Albo Russae in imperio Russo et Galiciensis in imperio Austriaco existentium.

Post tertiam Poloniae divisionem anno 1795, relatio gubernij Austriaci ad Ecclesiam Catholicam ex parte mutata est. Hinc erat, quod decreto aulico ex anno 1802, 29, IV, religiosis permissum est regi secundum pristinas eorum institutiones. Unde anno sequenti 1803, 31, I, duo e tribus Ecclesiae Ruthenae in Provincia Galiciensis locorum Ordinarii, Leopoliensis scil. Nicolaus Skorodinskyj et Peremysliensis Antonius Anhellowycz pago Twerdza convenerunt et s. d. « *Rationem Regiminis ab Ordine S. Basilii Magni servandam* » composuerunt. Eandem cum quibusdam animadversionibus approbavit etiam tertius in Austria Ruthenus loci Ordinarius, Episcopus Cholmensis-olim bis electus Protoarchimandrita Ordinis - Porphyrius Skarbek-Wazynskyj, die 29, IV, 1803. Die autem 20, VII, eodem anno, capitulum provinciale Krechoviae convocatum est ibique « *Ratio* » praedicta promulgata et recepta est.⁵⁹

Regimen vero Basilianorum secundum hanc « *Rationem* » ceteraque decreta imperii sequentem formam accepit:

I. Regimen provinciale.

I. In capite provinciae pro monasteriis trium dioecesium erat Provincialis, in capitulo provinciali ad sexennium eligendus.⁶⁰ Eligi autem potest etiam iterative⁶¹ et non tantum capitulum particeps, verum etiam quivis habilitate ad hoc munus obeundum pollens, dummodo electioni eius canones et politicae leges nullum obicem ponant.⁶² Qui tamen praevideret se « de die in diem deficere » et « ulterius idem officium non desideraret... integrum erit cuilibet Superiori declarationem ~~scribi~~, antequam ad electiones procedatur scripto exhibere... huiusmodi autem declarationes Capitulo praelegendae... » erant.⁶³

Praecipuum eius munus est visitationem monasteriorum peragere⁶⁴ qui inde neque residentiam strictae dictam habet, sed « Iure commorationis et sustentationis in singulis monasteriis » gaudet secundum determinatam per annum distributionem, visitationes canonicas et iter tam ordinarium, quam extraordinarium continentem scil.: « In monasterio Leopoliensi septimanis 9 distribuendis in 4 per annum ordinarias Leopolim condensationes, eo quod exeunte quovis trimestri tabellares caeteraeque periodicae relationes ad Regium Gubernium et subsellia conficiendae sint; in monasterio Dobromilensi septimanis 7, Krechoviensi 5, Lauroviensi 3, Drohobycensi 2, Zolkieviensi 1, Zamoscensi 2, Cristinopolensi 2, Zloczoviensi 1, Podhor-

⁵⁹ KOSSAK, *Szematyzm provincij sv. Spasytela*, Leopoli, 1867, p. 332 ss.

⁶⁰ Ibid., p. 337, n. 16 — Postea in cap. Zolocivensi 1809 a. celebrato constitutum est, ut capitula, ad eligendam curiam provincialem quoque quadriennio celebrentur — IWANOWICZ: « *Ueber die historische Bedeutung des Basilianerordens in Galizien* », Leipzig 1885, p. 29.

⁶¹ Ibid., p. 335, n. 12.

⁶² Ibid., p. 334, n. 7.

⁶³ Ibid., p. 335, n. 12.

⁶⁴ Ibid., p. 341, n. 25.

censi 2, Krasnopustynensi 2, Buczaczensi 4, Ulaszkozcensi 2, Pohonensi 2, Hoszo-
wiensi 1, Chelmensi 3, Bialensi 2, Lublinensi 1 ».⁶⁵

« Si Provinciale mori aut viribus omni ex parte deficere contigerit eodem iure omnia munia ipsius adimplebit Protoconsultor cum titulo Vicarii Provinciae, quodsi et is moriatur, aut evadat invalidus, eo tunc Consultor secundus cum tribus reliquis, adscito uno ex quavis dioecesi seniori Superiore ex iis, qui insignioribus praesunt monasteriis, omnes septem simul congregati, collatis inter se consiliis, e medio consultorum per vota secreta medietate plura eligent idoneum supplendo vacanti muneri virum, et peractam electionem Locorum Ordinariis indicabunt ».⁶⁶

II. Consultores provinciales eodem modo ac ipse Provincialis in capitulo provinciali ad sexennium eliguntur numero quinque, qui omnes iure voti decisivi gaudent.⁶⁷

Primus consultor, *tertius* et *quartus* possunt esse simul Superiores locales monasteriorum in medietate provinciae sitorum, ut eo commodius ad consilium cum Provinciali convenire possint.⁶⁸

Secundus consultor simul munere procuratoris causarum Provinciae fungens non potest esse etiam superior localis,⁶⁹ sed in monasterio Leopoliensi habitare debet et monasteriorum causis pertractandis studium impendere; ipse simul est provinciae archivista. Ad eius sustentationem pro ratione processuum suorum vel secundum calculum conflare debent omnia monasteria.⁷⁰

Quintus consultor est constanter socius Provincialis,⁷¹ et sicut Provincialis et ipse iure gaudet residendi in singulis monasteriis secundum distributionem.⁷² Hic duo protocolla conscribere debet, « quorum alteri acta Provincialis res Ordinis concernentia, alteri vero illa omnia, quae per Provinciale una cum Consultoribus pertractata fuerint inseri debent ».⁷³

« In casu mortis aut gravis et diuturni morbi alicuius e Consultoribus Provincialis una cum caeteris Consultoribus eligent in locum illius substituent alium, qui tamen ultimum in Consultorio tenebit locum ».⁷⁴

II. Regimen locale.

Secundum « Rationem » ipsam Superiores locales eligi debebant in capitulo provinciali ad triennium, quovis triennio ea ratione convocando. In electionibus huiusmodi ius esset singulis communitatibus sua desideria circa Superiorem Provinciali manifestandi, quibus hic duobus mensibus ante capitulum collectis tres candidatos pro unoquoque monasterio designaret e quibus capitulum Superiores eligeret.⁷⁵

Huic tamen modo eligendi Superiores locales restituit Episcopus Cholmensis in suis ad « Rationem » praedictam animadversionibus, secundum quas electio Superiorum pertinere debebat ad Consultorium provinciale secundum Constitutiones Ordinis in praecedentibus capitulis gen. compositas; hinc et ratio capituli triennalis ad eosdem eligendos convocandi declinata est.⁷⁶

⁶⁵ Ibid., p. 341, n. 26.

⁶⁶ Ibid., p. 344, n. 29.

⁶⁷ Ibid., p. 337, n. 16.

⁶⁸ Ibid., p. 345, n. 32.

⁶⁹ Ibid., p. 344, n. 30 et 31.

⁷⁰ Ibid., p. 345, n. 31.

⁷¹ Ibid., p. 337, n. 16.

⁷² Ibid., p. 341, n. 26.

⁷³ Ibid., p. 343, n. 28.

⁷⁴ Ibid., p. 345, n. 33.

⁷⁵ Ibid., p. 338-41, nn. 19-22.

⁷⁶ Ibid., p. 346-7 animad. 2 et 3.

Superiores tamen respectivo loci Ordinario confirmari debebant.⁷⁷ Eorum officia in generali indicantur per transennam, dum Provinciali ius concedatur deponendi Superiorem, qui « fini suae vocationis non respondeat » i. e. « tam in promovendo temporali monasterii bono, quam in conservanda eiusdem disciplina interna », quo in casu, si periculum sit in mora, tunc sub tempus visitationis hunc ille illico suspendit vel etiam deponit, periculo vero non urgente Provincialis cum consultoribus de emendando vel suspendendo huiusmodi Superiore consilium inibit. Sed « sive suspenderit vel deposuerit, sive suspendendum vel deponendum Superiorem meditatus fuerit Provincialis proprium Loci Ordinarium de casu alterutro informare non intermittet ».⁷⁸

III. Capitulum provinciale.

Capitulum provinciale post memoratas Episcopi Cholmensis animadversiones celebrari debuit quovis tantum sexennio ad eligendam Curiam provincialem.⁷⁹ Ad determinandum terminum capituli « Ratio » sumit tempus medium inter illud decreto imperiali ex anno 1784, 11, X, designatum, i. e. mensem Maium et illud, quod Constitutionibus Ordinis determinatum est, seu mensem Septembrem, et statuit ferias a die 20 ad ultimam Julii.⁸⁰

Quod vero capituli locum spectat, « Ratio » designavit alternativam inter dioecesim Leopoliensem et Peremyliensem, quarum prima esset monasterium Leopoliense, secunda vero monasterium Krechivense.⁸¹ Episcopus tamen Cholmensis requirebat, ut turno tertio etiam in dioecesi Cholmensi et monasterio Cholmensi capitulum celebretur.⁸²

Convocatio capituli pertinet ad Provincialem eiusque vices gerentem, significato prius tempore, loco aliisque adiunctis loci Ordinario, in cuius dioecesi capitulum celebretur.⁸³

Capitulum ingrediuntur praeter Praesidem, qui est loci Ordinarius in cuius dioecesi fit capitulum, qui ipse per se vel per delegatum capitulo praesidet,⁸⁴ actualem Provincialem,⁸⁵ etiam a) Consultores provinciales, b) Superiores monasteriorum eorumque administratores, c) ad regimen alumnorum in Seminario generali adlecti, d) professores Theologiae tam in Universitate, quam in Ordine privati, e) magister novitiorum, f) scholarum nationalium elementarium directores.⁸⁶ Hi omnes voce activa in capitulo gaudent et, excepto praeside-Episcopo, etiam passiva.⁸⁷ Ad capitulum vocati sub vinculo religiosae oboedientiae comparere debent.⁸⁸

In capitulo imprimis votis relative maioribus eligitur capituli notarius, qui

⁷⁷ Ibid., p. 341, n. 24.

⁷⁸ Ibid., n. 26.

⁷⁹ Ibid., p. 347, animad. 3 — Postea tamen in cap. Zolocivensi anno 1809 celebrato constitutum est, ut capitula quoque quadriennio celebrantur, et Curia provincialis eligatur. Cfr. IWANOWICZ, *Ueber die historische Bedeutung des Basilianerordens in Galizien*, Leipzig, 1885, p. 29.

⁸⁰ Ibid., p. 332, n. 2.

⁸¹ Ibid., p. 333, n. 3.

⁸² Ibid., p. 346, animad. 1.

⁸³ Ibid., p. 333, n. 4 et 5.

⁸⁴ Ibid., p. 5.

⁸⁵ Ibid., p. 334, n. 9.

⁸⁶ Ibid., p. 333, n. 6.

⁸⁷ Ibid., p. 334, n. 7.

⁸⁸ Ibid., p. 334, n. 8.

statim conscribit protocollum capitulum ingressorum causasque absentium, relative culpam et poenam incursum adnotat ceteraque acta capituli conscribit.⁸⁰

Postea Provincialis officii sui rationem reddit et in casu accusationis querele contra ipsum iudicat capitulum, a cuius tamen decisione ille ad accusatoris Ordinarium revocare potest.⁸⁰ In casu vero accusationis iniustae accusator arbitrio capituli pro merito coërcetur.⁸¹

Tunc datur tempus ad excusationes ab officiis,⁸² quibus peractis proceditur ad electionem Provincialis, eiusque quinque consultorum.

Electio haec fit per suffragia secreta et electus censetur, qui in primo vel secundo scrutinio maioritatem absolutam votorum obtinuit. Hac in illis non obtenta fit tertium scrutinium, in quo tamen vocem passivam habent 4, quorum duo in primo et duo in altero scrutinio maioritatem relativam obtinuerunt. Maioritate absoluta etiam in tertio scrutinio non obtenta, fit statim quartum, in quo tamen soli duo maioritatem relativam in tertio habentes eligi possunt. Tunc denique in quarto votorum paritate obtenta decedit capituli praeses, si vero ipse inter eligendos habetur, tunc capitulum in unum compromittet, qui iudicio suo rem dirimet.⁸³

Electione Curiae provincialis peracta, assumuntur in deliberationem et pluralitate votorum decidentur propositiones bonum totius Ordinis respicientes, in quibus, si quis inconcinnos clamores excitare, religiosos quoscumque, multo magis capitulares verbis contumeliosis laedere patrumque dicta et sententias vel sua loquacitate impedire vel arroganti supercilio contemnere ausus fuerit voce activa et passiva per capitulum privandus et eo ipso ab eodem excludendus est.⁸⁴

Acta capituli locorum Ordinatis absentibus transmittenda sunt.⁸⁵

IV. Relatio ad hierarchiam.

Vi decretorum aulicorum, in specie diei 29, IV, 1802, Basiliani Galiciae, sicut et ceteri in imperio Austriaco religiosi, locorum Ordinariis subiecti sunt, quod etiam in « Ratione » expresse indicatur: « Cum porro supra laudatum aulicum decretum de die 29 Aprilis 1802 obligationes, quae hactenus Praeposito Ordinis Generali incumbabant, in Locorum Ordinarios transferat... ».⁸⁶

Actus vero in quibus Basiliani per Provinciale praesertim secundum dictam « Rationem » ad Ordinarios recurrere debebant, haec erant:

- 1) In loco et tempore capituli provincialis significando.⁸⁷
- 2) In capitulo vero tamquam praesidi obnoxii esse debent.⁸⁸
- 3) Ad relationem reddendam de electionibus et constitutis in capitulo provinciali.⁸⁹
- 4) Pro approbatione novorum Superiorum localium in eorumque suspensione vel depositione.⁹⁰

⁸⁰ Ibid., p. 334, n. 10.

⁸¹ Ibid., p. 335, n. 11.

⁸² Ibid.

⁸³ Ibid., n. 12.

⁸⁴ Ibid., p. 336, n. 14, 16.

⁸⁵ Ibid., p. 338, n. 17.

⁸⁶ Ibid., p. 341, n. 24.

⁸⁷ Ibid., p. 333, n. 5.

⁸⁸ Ibid., n. 4.

⁸⁹ Ibid., p. 334, n. 9.

⁹⁰ Ibid., p. 341, n. 24.

⁹¹ Ibid., nn. 24, 34.

5) In augendo peculio a monasteriis in casibus extraordinariis tribuendo ad sustentationem Curiae provincialis.¹⁰¹

6) Ad relationem reddendam de Vicario provinciae post mortem vel inhabilitatem Provincialis et Protoconsultoris.¹⁰²

Forma nuper exposita secundum praedictam «*Rationem*» regiminis Basilianorum Galiciensium in imperio Austriae in substantia re-tenta est usque ad ultimam eiusdem Ordinis in Ecclesia Ruthena ge-neralem, «*magnam*» reformationem s. d. Dobromyliensem anno 1882 peractam,¹⁰³ ad normam constitutionis Leonis Papae XIII: «*Singulare praesidium*», diei 12 Mai 1882,¹⁰⁴ et ductu eorundem PP. e Societate Jesu, «*quos ipse Sanctus Josaphat et Velaminus Rutski Metropolita adiutores optimos experti sunt*»,¹⁰⁵ scil. in illa primitiva monachus Rutheni in unam Congregationem transformatione Congregationisque SS. Trinitatis Vilnensis efformatione, cuius longam regiminis praeser-tim diversa propter motiva et causas continuam evolutionem per pe-riodos et phases eiusdem principales hoc capitite exposuimus.

Nunc denique super tota hac evolutione actu reflexivo inspiciendo, quasdam conclusiones et animadversiones notare opportunum videtur:

1) Quod ipsum *evolutionis* huiusmodi *factum* spectat, uberrime expositis tot mutationibus formae Basilianorum regiminis per tria fere saecula, illud indubium prorsus et planum nobis est, et inde iuste uti nota specialis externa eiusdem regiminis signatur eius *continua evolu-tio*. Ex hac vero sequitur, singula instituta eiusdem regiminis consi-derari non posse citra respectum ad periodum et phasin, qua illa vige-bant et immo hisce non expositis haud facile et clare illa exponi posse.

2) Quod vero *causas* eiusdem *evolutionis* spectat, has immedia-tas vidimus diversas fuisse, uti pacta hierarchiam inter et Ordinem conclusa, novorum monasteriorum adnexionem seu Ordinis extensio-nem externam, controversiarum tam intra quam extra Ordinem com-positionem, denique vim fortioris seu potestatis civilis pressionem. At hoc actu reflexivo causae internae, remotae, relative ultimae huiusmodi evolutionis indagandae sunt, quarum vero praecipue duae signantur, altera positiva, altera autem negativa.

a) *Causa positiva* generalis huiusmodi continuae in regimine Ba-silianorum aetate illa evolutionis (utique excepta periodo tertia, qua evolutio huiusmodi a vi externa pendeat) consistit in ipsa proprietate eiusdem regiminis interna seu eius caractere medio seu in compo-sitione eiusdem e duplici disciplina, orientali scil. et latina.

Quae quidem causa prima periodo evidentem suum influxum in evo-lutionem regiminis exercet. In relatione enim sua ad Hierarchiam Ru-thenam Ordo, qui secundum disciplinam latinam revera est reorgani-

¹⁰¹ Ibid., p. 343, n. 27.

¹⁰² Ibid., p. 344, n. 29.

¹⁰³ Documenta de hac reformatione in quatuor voluminibus collecta edi-dit P. KAROVEC Makarius OSBM, in opere, quod inscripsit: «*Magna reformatio OSBM, 1882 anni*» — I, II, Leopoli 1933; III, IV, Zovkva 1936, 1937.

¹⁰⁴ LEONIS XIII Pontificis Maximi, *Acta*, v. III, Romae, 1884, p. 58-68.

¹⁰⁵ Ibid., p. 62.

satus, secundum eandem a Romano Pontifice est approbatus et quam eidem Dicasteria Romana applicabant, pro parte sua iuste eandem disciplinam communem religiosorum latinorum advocabat. Hierarchia vero Ruthena iura sua secundum disciplinam orientalem urgebat. Sed non tantum in relatione sua ad extra, verum etiam intra se Ordo duplicia elementa retinet e disciplina scil. latina, cuius apex officium Protoarchimandritae considerari potest et e disciplina orientali uti Archimandritae; controversiarum vero, quae in fundamento huiusmodi compositionis saepe oriebantur, exitus semper erat formae regiminis aliqua saltem mutatio.

Item secunda periodo institutum Archimandritarum, ex antiqua disciplina Ruthena retentum, plures mutationes in regimine causabat.

b) *Causa* vero *negativa* eiusdem evolutionis erat deficientia constitutionum Ordinis definitiva a S. Sede approbatarum.

Opus a Metropolita Velamin Rutskyj inceptum nondum ab ipso perfectum est, immo id maxime inconveniens pro tota evolutione posteriori iuridica Ordinis Basiliani Rutheni erat, quod Metropolitae praedicto constitutiones Ordinis ab ipso reorganisati completas redigere et, quod maximi esset momenti, approbationem Apostolicam, quae illis stabilitatem assicurasset, pro iisdem obtinere durante eius vita ipsi non contigit. Difficultates enim, quae ex compositione duplicis disciplinae in constitutionem Ordinis introducta retentaque antiqua disciplina aliorum institutorum eiusdem Ecclesiae in illius soliusque potestate facile superare erat. Ipse enim et Metropolita in capite totius Ecclesiae Ruthenae et Ordinis Instaurator relationes inter huiusmodi instituta facilius aliis ordinare potuit, immo hisce ordinatis, Sedis Apostolicae confirmationem obtinere. Sed Metropolita praedictus anno 1637, 64 aetatis anno mortuus est, dum nempe constitutiones Ordinis redigendae in capitulis generalibus, praemissa praevia ipsius praeparatione privata (cuius monumenta quaedam, uti « *Regulae Episcoporum* » extant,¹⁰⁶ quaedamve extitisse ex actis capitulorum constat)¹⁰⁷ ad culmen suum nondum pervenerunt, quarum speciem capitula usque ad ultimum ante mortem Rutskyj, Vilnense 1636 anno, celebratum repraesentat.

Metropolita Rutskyj demortuo, capitula generalia, ampla potestate legislativa ad Constitutiones Ordinis redigendas a S. Sede accepta, revera, ut vidimus ad hunc finem tendebant. At altera etiam facultate, ut scil. constitutiones capitulares statim, antequam a Romano Pontifice approbarentur, monachos obligent, ab eadem S. Sede obtenta, eo ipso aditus apertus est ad earundem continuam in capitulis mutationem, quae revera in exitu praesertim controversiarum diversa inter instituta fiebat.

Inde ad praecavendam continuam huiusmodi constitutionum evolutionem approbatio earundem S. Sedis necessaria erat, quae quidem saepius tentata, per totam tamen illam aetatem, quae tribus saeculis curabat, nunquam definitiva consecuta est.

¹⁰⁶ AS, t. XII, p. 201-210.

¹⁰⁷ Ibid., p. 46.

Verumquidem periodo secunda Benedictus XIV opus Metropolitae Rutskyj in viam rectam deduxit et haud multum iam desiderabatur, ut illud effectum suo coronaretur, sed diversae tendentiae potestatum civilium illud per duo saecula maxima cura paratum unica litura eraserunt.

3) Evolutionis praedicti regiminis idea generali prae oculis habita, iam ad internam eiusdem constitutionem indagandam facilius procedere possumus, in qua tres proprietates internae naturam regiminis considerati determinantes, quae hucusque iam apprehendi potuerunt, in sequentibus fusius exponuntur suntque sequentes:

a) *regiminis praedicti e duplici disciplina orientali scil. et latina compositio,*

b) *eiusdem centralisatio,*

c) *eiusdem exemptio.*

CAPUT II.

De regiminis e duplici disciplina compositione

Regimen Basilianorum Ruthenorum, uti tota disciplina Ecclesiae Ruthenae et speciali modo unitae characterem habet, uti dicitur medium, qui scil. consistit in compositione eiusdem e principiis et legibus desumptis ex utraque disciplina, orientali scil. et latina.

I. Influxus disciplinae latinae in Ecclesiam Ruthenam, incipit non tantum inde a momento eiusdem cum Sede Apostolica unionis, sed eius vestigia habentur longe prius ante illam. Causa autem eiusdem influxus consistit iam in ipsa territoriali conditione populi Ucraini, quod ipse auctor pravoslavus recte notavit: « La situation géographique du peuple ukrainien le place au carrefour de deux mondes, l'oriental et l'occidental; aux frontières de civilisations et de religions différentes; ceci a déterminé dans sa vie spirituelle et surtout dans son évolution confessionnelle et ecclésiastique des particularités qui marquent également toutes les branches de la vie publique de l'Ukraine ».¹

Hunc influxum alter auctor pravoslavus vidit iam in primis codificationibus ecclesiastico-civilibus Ecclesiae Ruthenae, nempe in redactionibus Ucrainis s. d. *Constitutionum Principum Volodymyri et Jaroslai*, quas aestimat falsificationes s. XIII quarumve originem proprie ex huiusmodi influxu deducit, eo, quod secundum ipsum, hierarchia pravoslava saeculo illo Magnis Ducibus Lithvaniae et Regibus Poloniae subdita simili modo ac hierarchia latina competentiam iudicalem determinatam et auctoritate regali assicuratam habere desiderabat. Quem ad finem necessaria erat brevis et clara determinatio obiecti huiusmodi competentiae, quae secundum ius orientale ad iudicium ecclesiasticum pertinet. At tam in nomocanone Graeco, quam in *Kormcia Knyha* huiusmodi brevis et clara determinatio deerat. Inde hierarchia Ruthena analogice ad determinationem latinam hierarchiae catholicae similem in forma brevis constitutionis redegit et denominatione traditionali Principis Jaroslai I, qui in genere in annalibus uti legislator habetur, sancivit.²

¹ LOTOTSKYJ, *Ukrainski Dzerela cerkovnoho prava, Résumé*, p. 314.

² SUVOROV, *Sledy zapadno-katolice skavo cerk. prava v pamiatnikach drevnie russkavo prava, Jaroslavl, 1888*, p. 230 ss.

Sed etiam alii, qui quidem authenticitatem earundem Constitutionum defendunt, saltem quoad substantiam, additamenta tamen posteriora in redactionibus earundem Ucrainis influxui disciplinae occidentalis adscribunt.³

Quod vero ipsa instituta iuridica spectat, tamquam antiquissimum quod hunc influxum clare repraesentat, erant capitula seu consistoria-canonicorum, quae in Ecclesia Ruthena sub hac denominatione capituli canonicorum saltem inde a saeculo xv evidenter habentur.⁴

Generatim dicendo, huiusmodi influxus inde a saeculo xv in regno Poloniae, prout iam in particulari de iure patronatus vidimus,⁵ communis evasit. Utraque enim Unionis conclusio, Florentina scil. (1439) et Berestensis (1596), vestigia etiam disciplinae latinae in Ecclesia Ruthena reliquit.

Sed praecipuus huiusmodi influxus in tota Ecclesia Ruthena catholica et in omnibus eius disciplinis exercetur inde a saeculo xvi ad xviii.

E primis Metropolitae Ecclesiae Ruthenae Unitae Metropolita Iosephus Velamin Rutskyj sine dubio primus est, qui disciplinam latinam in Ecclesiam Ruthenam introducere incipit. At iniusta est opinio auctorum pravoslavorum, qui illum caecum cultorem latinismi existimant.⁶ E pluribus documentis, quae in archivis Romae extant, praesertim e copia litterarum eius ad SCPF., conceptum Metropolitae hac in re facile efformari potest. Ipse nempe, quod non solum doctrinam catholicam verum etiam ipsum modum eiusdem erudiendae et propagandae atque, quod disciplinam iuridicam spectat, intacta tamen servata disciplina liturgica, quam ultimam saepe etiam in capitulis Basilianorum fideliter servandam urgebat,⁷ revera multum disciplinae Ecclesiae latinae adhaerebat eamque sive ad fidem christianam melius cognoscendam et exercendam, sive ad maiorem ordinem externum per disciplinae iuridicae determinationem conservandum, praecipue concilii Tridentini normas sequendo, in multis Ecclesiae Ruthenae applicabat.

Res postea evasit omnino naturalis, quod in lacunis disciplinae iuridicae Ecclesiae Ruthenae facile ad disciplinam latinam recurrebatur.

Immo, postea in ipsa disciplina liturgica, etiamsi Clemens VIII requirentibus Episcopis, Unionem ineuntibus, in Bulla Unionis «servare permisit, concessit, indulgit... omnes sacros ritus et ceremonias quibus rutheni Episcopi et Clerus iuxta SS. Patrum Graecorum instituta in divinis Officiis et Sacrosanctae Missae sacrificio ceterorumque Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur et communicationem cum Romana Ecclesia non excludant»,⁸ decursu temporis plures immutationes introductae sunt.

³ LOTOTSKYJ, *ibid.*, p. 248.

⁴ Cfr. KRACKOVSKYJ in AVAK, t. XVI, Praefatio, p. CXXXII, de capitulo Berestensi, quod simul cum erectione eiusdem eparchiae a Pio II anno 1458 erectum est.

⁵ P. 61 ss.

⁶ PETROV, *O. Ist. Bas. Ord.*, in TKDA, 1870, t. IV, p. 360.

⁷ Cfr. e. g. cap. Lavryszivense, 1621, AS, t. XII, p. 20.

⁸ PELESZ, *Geschichte der Union*, t. I, p. 620.

Quae quidem disciplinae Ecclesiae Ruthenae s. d. « latinisatio » diu gradatim introducebatur ita, ut synodus Zamostiana anno 1720 celebrata, quae nihil aliud est, quam partialis et secundum exigentias Ecclesiae Ruthenae concilii praesertim Tridentini applicatio, nonnisi uti confirmatio consuetudinis iam diuturnae haberi debeat.

II. Si in ceteris Ecclesiae Ruthenae institutis iuridicis locum habuerit huiusmodi influxus disciplinae latinae, eo vel evidentius hic palam se prodest tam in organisatione novae Congregationis Basilianorum prima periodo, quam duarum Congregationum in unum Ordinem unitarum periodo secunda.

Periodo prima. In reformando monachatu Ecclesiae Ruthenae Metropolitae J. V. Rutskyj etiamsi quaedam instituta disciplinae orientalis de facto retinuit, tamen quod praesertim constitutionem regiminis novae Congregationis spectat, illam secundum disciplinam Ecclesiae latinae formavit.

Verumquidem ipse conceptus monachorum reformationis, quam dictus Metropolitae ad generalem cleri Ecclesiae Ruthenae reformationem sibi praestitit, introductionem et applicationem disciplinae latinae necessarie non requirebat, tamen huiusmodi reformatio citra disciplinae latinae introductionem haud aliter tempore illo concipi potuit. Nam tempore illo ipsi Romani Pontifices, qui sine dubio saepe memorato Metropolitae exemplo suo praeibant, huiusmodi reformationes alio modo non concipiebant, quam per disciplinae latinae monachatu orientali applicationem. Ita e. g. Papa Gregorius XIII ad reformandos monachos orientales Italo-Graecos bulla « *Benedictus Dominus* » anno 1579, 1, XI,⁹ edita eos in unam congregationem reduxit sub regimine unius Abbatis, pluribus normis ipsis applicatis e disciplina latina. Quam ad bullam postea ipse Metropolitae Rutskyj ad obtinendas easdem gratias pro Basilianis Ruthenis revocabat.¹⁰ Item simili modo Papa Clemens VIII Bulla « *Altissimi dispositione* » anno 1603, 23 X,¹¹ edita, monachos orientales in regnis Hispaniarum reformabat.

At id etiam omnino naturale erat, quod hierarchia Ruthena in genere ad obveniendum necessitatibus Ecclesiae Ruthenae noviter cum Sede Apostolica unitae adiutorium non alibi, quam in disciplina Ecclesiae latinae inveniebat, eam praecipue propter rationem, quod haec salutari reformatione Tridentina renovata sponte et facile in exemplum imitandum se praebuit, eo vel magis, quod Ecclesiae orientales in generali et completo decessu vitae et disciplinae ecclesiasticae inveniebantur.

Hinc ad normam concilii Tridentini, quod sessione XXV, cap. VIII. ut monasteria non habentia regulares visitatores a Metropolitano in unam Congregationem uniantur, praecipit, revera a Metropolitae J. V. Rutskyj Congregatio SS. Trinitatis Ruthenorum constituta est.

Quod vero constitutionem novae Congregationis in particularibus

⁹ Bullarium Romanum, t. 8, p. 307.

¹⁰ APF, Memoriali, 1624, v. 384, f. 503.

¹¹ Bullarium t. 11, p. 39.

spectat, haec influxum disciplinae latinae non in forma aliqua generica, sed in certa, determinata et particulari subiit, quae vero in concreto nulla erat alia nisi constitutiones Societatis Jesu.

Verumquidem initio Metropolita Rutskyj monachos Ruthenos cum adiutorio Ordinis Carmelitarum reformare sibi proposuit, quod constat tam ex ipsa eius relatione in primo capitulo facta: « Qua de re actum est cum effectu imprimis apud PP. Carmelitas discalceatos Cracoviae, quod tamen ad effectum non pervenit », ¹² quam ex aliis documentis posterioribus, praesertim e congregatione generali SCPF. anni 1662, 22, V.: « Onde per provvedere ad un tanto bisogno, e rimediare ai pregiudizii che da ciò seguivano alla Religione Cattolica, supplicò, che si ordinasse al Generale dei Carmelitani Scalzi, che concedesse alli Basiliani uniti quattro de' suoi frati bene istruiti della lingua polacca, o Rutena, che con la dottrina et osservanza Regolare introducessero in esse la riforma, e le lettere, che si desideravano. Ed essendosi proposta l'istanza in una Cong.ne tenuta avanti il Papa e rimessa alli Signori Cardinali Bandino, Millino, e Sta Susanna perchè diligentemente l'esaminassero fu nella seguente sotto il 31 di Maggio 1624 parimenti avanti il Papa a relazione del Card. Bandino risoluto, che se ne desse secretamente l'ordine al detto Generale con esser anche la Santità Sua condescessa a conceder ai Soggetti domandarvisi il portar l'abito de' medesimi Basiliani, et osservare il loro rito greco-cattolico sinchè compita la riforma, havessero con licenza dell'EE. VV. potuto tornarsene alla loro Religione. Non ebbe esecuzione quest'ordine, perchè per quanto rappresentano i due Basiliani, che dimorano in SS.ti Sergio e Bacco, il Generale de' Carmelitani Scalzi offerì Sogetti inutilissimi et i peggiori, che avesse la sua Religione, venute poi le guerre, et altre disgrazie di quel Regno, non vi si è più pensato ». ¹³

Totam ergo operam auxiliatricem in praedicta reformatione Metropolita Rutskyj accepit a Societate Jesu, quae quidem non sine influxu in ipsam Ordinis constitutionem praestata est.

Actio autem Societatis Jesu in Ordine Basiliano hac periodo erat insignis. Iam enim antequam monachi in unam Congregationem uniti essent, praetermisso, quod ipse Metropolita Rutskyj in collegiis Societatis Jesu tum Vilnae, tum Praegae, Herbipoli, Romae sive instructus sive educatus est, atque S. Josaphat ductorem spiritualem P. Fabricium S. J. habuit, ¹⁴ in collegiis Societatis (Romae S. Athanasii, Vindobonae, Praegae, Olomucii, Brunsberg, Gratz, Vilnae) plures alumni monachi Rutheni, Metropolita Rutskyj procurante, educati sunt. ¹⁵ Praeterea sub directione spirituali duorum PP. e Societate Jesu nova monachorum generatio ante eorundem formalem reorganisationem novitiatum vel exercitia spiritualia peragere debuit. ¹⁶ Immo in ipso primo capitulo, quo Congregatio SS. Trinitatis constituta est, Novogrodovicensi 1617 a.,

¹² AS, t. XII, p. 9.

¹³ APF, *Acta*, 1662, v. 31, f. 63, n. 13.

¹⁴ Cfr. GUÉPIN, *Un Apôtre de l'Union des Eglises*, t. I, p. 38 et 29.

¹⁵ AS, t. XII, p. 9; et GUÉPIN, *Un Apôtre de l'Union des Eglises*, t. I, p. 187.

¹⁶ AS, t. XII, p. 10.

duos vidimus theologos e Societate Jesu, qui « pro consilio, non decisione » ad idem participandum admissi sunt.¹⁷ Alia capitula litteras ad Generalem S. J. scribendas in suis necessitatibus constituunt.¹⁸ Sed et postea per totam vitam praedicti Metropolitanae opera adiutrix Societatis Jesu in Ordine Basiliano non cessavit. Adhuc enim in capitulo Vlnensi 1636, ultimo ante mortem Rutzkyj, constitutum est, ut duo PP. e Societate Jesu ad novitiatum Bythiniensem adhibeantur.¹⁹ Immo etiam, Metropolita praedicto demortuo, adhuc anno 1686 in capitulo Novogrodensi, quod maximum momentum habet pro hac periodo propter constitutionum recognitionem et redactionem, praesidebat P. Vieyski Thomas S. J., ad idem munus a Nuntio Ap. in Polonia subdelegatus cum secretario ad actum P. Berentt S. J.²⁰ Item eodem capitulo constitutum est, ut post licentiam acceptam a Generali S. J. duo PP. S. J. ad instruendos novitios introducantur.²¹ Hinc non est mirum, quod tam in constitutionibus secundi capituli Luvryszivensis 1621, quam nuper dicti 1686 specialis constitutio lata est: « De consotiatione nostrorum cum patribus Soc. Jesu facta » sequentis tenoris: « Notum est omnibus fratribus nostris, quod prospiciendo meliori rerum nostrarum progressui, adsciverimus in amicitiam opemque religioni nostrae reverendos patres Societatis Jesu, qua in re compellavimus literis nostris nomine congregationis nostrae reverendissimum eorum patrem generalem, id ab eo implorando. Quod scientes, nostri curabunt omni loco erga reverendos patres amorem reverentiamque testari, tanquam erga confratres suos, ut agnoscant nos, non nomine tantum, sed re ipsa cum ipsis coniunctos eisque devotos quod etiam aliis fratribus praesides ordinis nostri diligenter promulgabunt commendabuntque ».²²

Cum vero nunc post huiusmodi facta historica allata ad ipsam constitutionum Basilianorum analysin, comparatione instituta cum constitutionibus Societatis Jesu, accedamus, illorum ab hisce dependentia, haud difficulter animadvertitur. Prae manibus habui Constitutiones Societatis Jesu ex anno 1606,²³ 1615,²⁴ 1635.²⁵

Eodem enim modo ac in Constitutionibus S. J. etiam in constitutionibus primi capituli Basilianorum Novogrodovicensis 1617, Superior Generalis seu Protoarchimandrita cum suis consultoribus sunt ad vitam constituendi.²⁶ In eius electione Metropolita seu praeses capituli

¹⁷ Ibid., p. 8.

¹⁸ Cap. Luvryszov. 1621, AS, t. XII, p. 25, punctum 5.

¹⁹ AS, t. XII, p. 40, s. 8.

²⁰ Ibid., p. 120.

²¹ AS, p. 124, s. 4, n. 10.

²² Cap. Lavr. 1621, AS, t. XII, p. 18 et CR. c. XV — Ibid., p. 173.

²³ « *Constitutiones Societatis Jesu. Cum earum Declarationibus*. Romae in collegio Rom. eiusdem Societ. Anno D.ni MDCVI. Cum Fac. Super. ».

²⁴ « *Constitutiones Soc. Jesu. Cum earum Declarationibus*. Romae, in collegio Romano eiusdem Soc. Anno Dom. MDCXV — Superiorum Permissu ».

²⁵ « *Const. Soc. J. et Examen cum Declaration.* Antverpiae, Apud Joannem Mersium MDCXXXV — Superiorum Permissu ».

²⁶ AS, t. XII, p. 11, nn. 14, 15.

duplici voto gaudet,²⁷ sicut et praeses capituli gen. S. J.²⁸ Sicut in constitutionibus S. J. Vicarius Generalis post mortem Generalis est ab hoc ipso designatus,²⁹ ita etiam in constitutionibus primi capituli Basilianorum Vicarius Generalis erat confessarius Protoarchimandritae ab hoc ipso designatus.³⁰ Superiores locales (quia in Congregatione primitiva SS. Trinitatis munus Provincialis non erat, data tantum una provincia) e regula sunt temporales quadriennales, sicut et in Societate Jesu.³¹

Sed non tantum huiusmodi dependentia formalis inter Constitutiones Basilianorum et Societatis Jesu in pluribus habebatur, verum etiam materialis, cum in eadem forma et stylo singulae constitutionum Bas. partes a Societatis Jesu constitutionibus desumptae sint.

Tamquam typicum exemplum huiusmodi ultimo dictae dependentiae sumimus hic partem constitutionum Basilianorum, quae circa annum 1686 Romam ad SCPF. pro approbatione admissae sunt et inscribuntur: «*Observanda circa electionem Protoarchimandritae ipsumque capitulum, eiusdem generale electivum. Item circa capitulum generale ordinarium*». Ecce comparatio inter Observanda et Constitutiones S. J. Sequimur ordinem «*Observandorum*»:

« OBSERVANDA »³²

Caput I.

De iis, quae ad electionem Protoarchimandritae spectant.

I. Necessè est, ut praeter locales in quolibet monasterio moderatores sit unus supremus, cui omnes hi sub sint, et qui curam gerat totius religionis, quatenus integra conservetur et augeatur in perfectione religiosa et bono ordine.

CONSTITUTIONES S. J.

(ex anno 1606-1615)

Pars IX. - Cap. I.

Quod Praepositum Generalem et quidem perpetuum, dum vixerit esse oporteat.

Caput I.

« Ut in omnibus Republicis... sic etiam in hac Societate, praeter eos, qui particularibus Domibus, Collegiis, et Provinciis etiam in quibus huiusmodi sunt Domus, vel Collegia, praesunt, necesse est esse aliquem, qui universae Societatis curam habeat;

²⁷ Ibid., n. 13.

²⁸ Const. 1606 et 1615, P. 8, c. 3, p. 256.

²⁹ Ibid., P. 8, c. 4, p. 256.

³⁰ AS, t. XII, n. 20, p. 12.

³¹ Ibid., n. 16, p. 11.

³² Ibid., p. 176-182. Quae tamen «*Observanda*» iam prius redacta esse constat e capitulo Berestensi 1667, quo ante electionem Protoarchimandritae legi praecepta sunt «*capita seu constitutiones ordinis de proprietatibus futuri Protoarchimandritae, de modo eius electionis, de potestate super ordine, de eiusdem dependentia ab ordine et de aliis rebus, quae ad hoc officium recte obeundum conferent*» (s. 8-AS, t. XII, p. 88); quae quinque capita memorata apprime correspondent quinque capitibus, ut videbimus, «*Observandorum*». Hinc horum redactio ascendit usque ad ipsum Metropolitanam Rutzkyj, qui revera capitulo primo inter alias etiam constitutiones Protoarchimandritae conscribendas constituit (AS, t. XII, p. 17, *Memoriale*). Hic tamen eadem non in primitiva forma, sed secundum eorundem redactionem ex anno 1686, scilicet supposito nexu Ordinis in capitulo 1686 cum Metropolitana inito, referuntur.

II. Hic secundum breve...

III. In eligendo ad munus...

IV. Ut insigniter amet religionem bonumque eius, isque in peragendis negotiis religionis sit magnanimus et virilis, tam ad ferendam imbecilitatem patrum adversitatesque religioni obvenientes, quam ad aggredienda negotia magna ad Dei gloriam et religionis bonum, non sinens absterreri ulla adversitate saeculari, paratus etiam mori pro bono suae religionis. Item id sit accuratus in peragendis negotiis, nec desistens dum finiantur.

V. Non minus necesse est, ut sit signiter doctus primum in rebus spiritualibus, ut discernere possit diversos spiritus et consilium opemque ferre iis, qui indigeant. Deinde necessaria ei sententia est et peritia rerum occurrentium, hoc est ut sciat procedere cum variis statibus personisque ad Dei gloriam et augmentum religionis nostrae.

VI. Quod attinet ad corpus, hoc est aetatem, valetudinem et staturam exteriorem habenda ratio est, ut honor resideat in persona et vires in corpore, ut nec pusillus sit, nec nimius senex quo impar sit ferendis oneribus muneris huius.

VII. In rebus exterioribus ea quoque consideranda sunt, quae ipsi auctoritatem non tantum apud viros religiosos concilient, sed et apud saeculares, scilicet clarum genus quantum fieri potest, maxime tamen respicienda in eo est vita exemplaris, doctrina et amplitudo ad peragenda negotia studiumque boni religionis.

qui hunc sibi finem constituat ut bene gubernetur, conservetur, et augeatur totum Societatis corpus » (p. 270).

... hic est Praepositus Generalis; qui cum duobus modis... (p. 270).

Liber etiam... Cap. II, (p. 272.).

Secunda... ac praecipue in eo splendor charitatis erga omnes proximos et in primis erga Societatem.

Animi etiam magnitudo ac fortitudo est ei necessaria, ad infirmitatem multorum ferendam et res magnas in divino servitio aggrediendas;... nec prosperis efferri, nec adversis deiici animo sese permittat: paratissimus, cum opus esset, ad mortem pro Societatis bono... subeundam, (p. 274.).

Tertia est, ut praeclaro intellectus ac iudicii dono polleat... magis tamen est necessaria prudentia et rebus spiritualibus et internis exercitatio, ad varios spiritus discernendos; ad consilium ac remedium tam multis adhibendum, Discretionis etiam donum in rebus externis ac modo res tam varias tractandi et cum tam diversis hominum generibus in ipsa Societate et extra illam agendi summopere erit ei necessarium (p. 274).

Quinta ad corpus pertinet; in quo quoad sanitatem, speciem externam et aetatem attinet, habenda est ratio hinc quidem decentiae et auctoritatis, inde vero virium corporis quas eius munus exigit (p. 275).

Sexta circa res externas est; inter quas, quae magis ad aedificationem et Dei obsequium in eo officio conferunt praeferrri debent. Huiusmodi esse solent, existimatio ac bona fama; et demum quae ex ceteris ad auctoritatem cum externis, et cum iis qui de Societate sunt, adiuvant.

Denique ex eorum numero esse debet Praepositus Generalis, qui in omni virtutum ornatu clarissimi et diu in eadem tales esse perspecti sunt. Et si aliquae ex dotibus superius dictis deessent, certe non desit eximia probitas et amor erga Societatem, ac iudicium bonum, quod etiam idonea doctrina comitetur, (p. 275-6).

Ita etiam in ceteris capitibus per omnia « *Observanda* » huiusmodi dependentia habetur, quam modo abbreviato indicabimus.

« OBSERVANDA »

Caput II.

De congregatione generali ad eligendum protoarchimandritam.

IV. Cum dies eligendo protoarchimandritae...

VI. Triduum subsequens...

VII. Si idem intra triduum...

VIII. Ea die, qua Prot. electuri...

IX. Ut autem audient signum campanae...

X. Eadem die per omnia monasteria... ad omnes brevem exhortationem... faciet.

XI. Aliquis nomine capituli protestatur...

XII. Praesidens capituli absolvit...

XV. Coram scrutatores singuli electorum... praestabunt iuram.

XVI. Decretum electionis formabitur... Ego NN. nomine meo et...

XIX. Quibus omnibus peractis...

Caput III.

Qua potestate pollebit Protoarchimandrita?

I. Recipiet ingredientes.

II. Mittere fratres...

III. Praesides... rationem redd.

IV. Acceptare...

V. Eius muneris erit convocare...

VI. Officia principaliora...

VII. Potissimum insolitae poenae.

VIII. Curet, quantum potest...

Caput IV.

Quam potestatem religio habebit in suum moderatorem.

Quinque in rebus habebit religio auctoritatem in Protoarchimandritam.

I. In rebus exterioribus...

II. Quod ad corpus...

III. Quo ad animam...

IV. Si admodum negligens...

CONSTITUTIONES S. J.

Pars VIII - Cap. VI.

De modo deliberationis cum de electione Generalis agitur.

« Si conventus indictus est ad novi Praepositi... electionem », p. 259-60.

« Et praeter hunc diem, tres sequentes, (p. 260).

Hoc medio tempore..., (p. 260-1).

Ipo die electionis..., (p. 261).

Postmodum ad campanae pulsum..., (p. 261).

et unus eorum concionem habebit.

Vicarius... exurgens a sede protestetur..., (p. 263).

Det autem absolutionem, (p. 263-4).

et iuret unusquisque..., (p. 264).

formabit Decretum electionis, dicendo... Ego N. nomine meo..., (p. 264-5).

Quo peracto... ». (p. 265).

Pars IX. - Cap. III.

De auctoritate Praepositi Generalis erga Societatem ac de officio eius.

Primum Praepositus... admittere, (p. 2).

Eiusdem erit, quos mittendos..., (p. 27).

Curabit... ut Rectores... rationem reddant. (p. 277).

Alienare..., (p. 278).

Eiusdem erit convocare, (p. 281).

Idem, cum talenta..., (p. 281).

Eiusdem Generalis erit, correctionibus uti..., (p. 281).

Cognoscat, quo ad eius fieri poterit, (p. 283).

Pars IX. - Cap. IV.

De auctoritate, vel prouidentia quam Societas habere debet erga Praepositum Generalem.

... sex in rebus...

Prima ad res externas..., (p. 284).

Secunda ad corporis curam, (p. 284).

Tertia ad animam..., (p. 285).

Quinta... si... valde negligens, (p. 286).

V. Si... delinquat contra ex tribus votis aliquod...

Caput V.

Quid iuuet Protoarchimandritam ad bene administrandum eius munus?

I. Conferet... si bonos praesides.

II. Cum eis saepius conferet...

III. Catalogum prae oculi appendet.

IV. Praeter hoc... in alia non se ingerat negotia...

V. Non tamen verum etiam in administratione totius religionis.

VI. Primus adiutor...

VII. Eiusmodi officialis...

VIII. Alterum auxilium (consultores).

IX. Eiusmodi... adiutorio...

Caput VI.

De ordinaria congregatione generali.

I. (De Dei auxilio advocando).

II... Ad haec expendent, quid eo tempore tractari possit.

III... eligentur quatuor.

VI. (De actorum subscriptione et promulgatione).

Sexta... contra tria vota..., (p. 286).

Pars IX - Cap. VI

De iis quae iuvare poterunt Praepositum Generalem, ut suo officio bene fungatur.

Praeter dona... bonis etiam ministris..., (p. 293).

Eius autem crebrior communicatio, (p. 293).

... catalogum itidem unum, (p. 294).

Quod in universum... negotiis saecularibus... implicari..., (p. 294).

Nec solum... seu etiam ad universales..., (p. 296).

Ad primum... ministro..., (p. 297).

Hic... minister..., (p. 297).

Secundum auxilium (assistentes), (p. 298-9).

Cum... huiusmodi... auxilia, (p. 300).

Pars VIII - Caput VII.

De modo in deliberationibus tenendo, quando in Congregatione generali non de electione Praepositi, sed aliis de rebus agitur, (idem), (p. 266).

Et postquam, (p. 267-8).

(De quatuor, qui cum Praeposito definiunt de re controversa), (p. 268).

Consideratis illis, quae discussa sunt... Secretarius... ea... promulganda scribet, (p. 269).

Prout iam ex modo allata comparatione conferri potest, Patres Basilianos ea tantum e Constitutionibus S. J. desumpsisse et ita accomodasse prouti haec eorum institutis correspondisse. Attamen planum est Constitutiones S. J. saltem prima super descripta periodo exemplar proximum pro illorum Constitutionibus constituisse.

Hucusque vidimus primum elementum et quidem praevalens, quod in compositionem regiminis Basilianorum prima periodo ingrediebatur seu disciplinam religiosorum latinorum, quae concrete et magna ex parte in illam influxum exercuit per imitationem constitutionum Societatis Jesu. Quaestio nunc remanet, quid e disciplina orientali in eadem regiminis compositione remanserit.

In sua saepe memorata restauratione seu reformatione monachus Rutheni Metropolita Rutzkyj disciplina orientali monastica complete noluit renuntiare. Immo tamquam ad fundamentum eiusdem recurrit ad regulam S. Basilii Magni et ex ea primam generalem formam vitae

religiosae pro suis monachis delineare studet componendo s. d. « *Regulas Communes* ». ³³ De quibus ipse in primo capitulo Novogrodovicensi 1617 a., secundum notarii reassumptum, hanc relationem deposuit: « Quod regulas religiosas conscriptas spectat, retulit, illas a se ipso diuturno tempore e diversis locis S. Patris collectas et secundum quaedam principaliora capita pro faciliiori earundem intellectu et memoria distributas atque circumstantiis praesentis vitae accommodatas fuisse... at etiam in hoc a doctrina S. Patris non deflectendo ». ³⁴

Regulae hae tractant praecipue de obligationibus personalibus religiosorum, nempe praemissis quatuor regulis de fine vitae religiosae agunt de votis substantialibus paupertate, castitate et oboedientia et in fine generalem dant « *rationem communis vitae* », in qua etiam principia generalia praebentur, quae regimen religiosorum spectant.

Per totam tamen hanc periodum duo instituta in regiminis Basilianorum compositione elementum orientale constituunt, i. e.

- a) relatio Ordinis iuridica ad Metropolitam (institutum externum);
- b) institutum Archimandritarum (institutum internum).

Metropolita, qui in monachorum reorganisatione vices singulorum Episcoporum successit, iurisdictionem super illos conservavit et quidem, prout ipsa SCPF in congregatione generali 15, VI, 1643 edixit, ea apprime ratione « quod, cum Monachi Basiliani Ritus Graeci in tota Graecia non sint a iurisdictione Ordinariorum exempti ». ³⁵ Hinc principium generale disciplinae orientalis de subiectione monachorum respectivis locorum Ordinariis SCPF salvare in casu conabatur per subiectionem Basilianorum saltem soli Metropolitanae. Revera postea in hoc sensu data est declaratio ab Urbano VIII de voluntate Pontificis non praeiudicandi per decretum SCPF, anno 1624 editum Metropolitanae iis, quae ei de iure competunt.

Institutum Archimandritarum advitalium, uti dignitas ecclesiastica, a Metropolita Rutskyj supprimendum intentum est, quod tamen eidem in effectum deducere non contigit et illud de facto in sua forma primitiva orientali, prout in iure Rutheno viguit, conservatum est eo

³³ Prae manibus habui duplex exemplar huiusmodi regularum, quae inscribuntur: « *Regulae communes S. Patris N. Basilii Magni Caesaratae Cappadociae Archiepiscopi* »; aliud publicatum in « *Analecta OSBM* », v. I, p. 56-72 a P. H. KINACH OSBM, idiomate paleo-ucraino e manuscripto e medio saeculo XVIII, quae tamen redactio non est primitiva, sed posterior; aliud vero inveni in APF-CP, 1680-97, v. 29, ff. 302-306, quod simul cum actis capituli Novogrodensis 1686 a., *Constitutionibus recognitis*, et « *Observanda* » ad SCPF, simul cum « *Adnotationes aliquod exceptivae a praemissis regulis* » eodem anno admissae sunt. Cum autem « *Adnotationes* » hae mutent quasdam regulas primitivas, quod expresse indicent e. g. « In primaevis exemplaribus, ut ea a Josepho relicta accepimus, ita habetur » et citatur textus primitivus vel « Ex hoc numero expunximus quae sequuntur » et statim refertur textus antiquus, hinc patet, expurgato textu novo, redactionem huiusmodi regularum primitivam obtineri. Quod vero fit anno 1686 i. e. nonnisi 49 anno post mortem Metropolitanae Rutskyj, unde rationabiliter admitti potest, fuisse adhuc patres, qui ex personali experientia de authenticitate regularum primitivarum attestare potuerunt.

³⁴ AS, t. XII, p. 10.

³⁵ APF, *Acta*, 1642-3, v. 15, f. 361.

tantum discrimine, quod Archimandritae immediate ipsi Metropolitae non respectivis locorum Ordinariis subiecti sunt.

Periodo secunda. Hac periodo Constitutiones Basilianorum simpliciter ad normas generales iuris communis religiosorum latinorum, attentis exigentis particularibus, quae ex unione duarum provinciarum in unum Ordinem emanabant, in capitulis generalibus componebantur. Immo hac praecipue periodo omnes quaestiones iuridicae nonnisi secundum ius latinum resolvebantur. Ita e. g. iam immediate ante praedictam unionem in questione Ordinis cardinali seu in eiusdem ad Metropolitam relatione SCPF. in congregatione particulari coram Benedicto XIV habita decidit: «6-to. Quo ad iurisdictionem Metropolitae ei competat tantum ius illud, quod a Constitutionibus Apostolicis, et a S. Concilio Tridentino tribuitur caeteris Metropolitis, et Episcopis super Monachos exemptos».³⁶

Item et secunda quaestio maximi momenti seu a quonam Archimandritae seu Abbates dependere deberent, disceptata et resoluta est ad sensum iuris latini, nam Abbates subiecti sunt iurisdictioni Protoarchimandritae, Metropolitae vero concessae sunt potestates, quae Metropolitis in iure latino concedi solebant scil. uti Delegato Sedis Apostolicae. Eodem etiam modo scil. tamquam Delegato Sedis Ap. agnita est eidem facultas capitulis generalibus Basilianorum praesidendi atque recursus a decisione Protoarchimandritae et appellationes ab eiusdem tribunali recipere.

Ad has potestates, tamquam Delegati Apostolici in forma scil. in qua potestates quaedam super religiosi Ordinariis a Tridentino concedi solebant,³⁷ antiqua Metropolitarum super Basilianis iurisdictione redacta est, cuius illae tamquam residua et uti elementi in regimine Basilianorum orientalis vestigia existimari possunt.

Quod enim ultimum demonstrat ipsa origo illarum potestatum. Nam prout vidimus Benedictus XIV in unione duarum Basilianorum provinciarum decernenda fundamentum relationis Ordinem inter et Metropolitam posuit exemptionem illius simpliciter ad normam iuris latini communis conceptam et quam revera in capitulo sequenti 1743 Dubn. provincia Lithuana hac in re praxi unius saeculi experta urgebat. Attamen provincia Ruthena noviter cura praesertim Metropolitae erecta auctoritatem eiusdem super Ordinem antiquam ex gratitudine conservare conata est, prout hoc ex conditionibus huius provinciae in actu unionis alteri propositis patet: «Modus facilis per quem Autoritas Sanctae Sedis, integritas utriusque provinciae, et antiqua Metropolitarum super Ordinem Basilianum iurisdictione in praesenti statu salvari possunt»³⁸ dein in conditione 10-a proponitur: «Ut antiqua Metro-

³⁶ *Bullae et breviae*, P. I, p. 74.

³⁷ E. g. In administratione sacramentorum personis saecularibus *Constitutio Inscrutabili*, § 4.: in causis S. Officii — Trid. s. V, c. 2 d. ref., in delictis — Trid. s. VI, c. 3 d. ref.: circa monialium clausuram — Trid. s. 25, c. 5 ref.; circa lectionem S. Scripturae, Trid. s. 5, c. 1; circa rationem reddendam piarum voluntatum — Trid. s. 22, c. 8.

³⁸ Cap. Dubnen, 1743, s. 5, (conditiones).

litanorum Russiae super Ordinem Basilianorum Iurisdictio iuxta antiquos Nexus et Constitutiones Apostolicas ab anno 1624 promanatas indemnis, et inviolata remaneat».³⁹ Sub hac ergo pressione provincia Lithuana a solius decreti praedicti executione urgenda recessit et revera hoc capitulo novus Nexus Ordinem inter et Metropolitanum conclusus est, qui postea determinationibus S. Sedis ad illas potestates, de quibus supra, redactus est. Hinc potestates illae recte uti vestigia antiqui elementi in regimine Basilianorum orientalis considerari possunt.

Similiter aliud institutum disciplinae orientalis seu Archimandritarum, quod per saeculum praecedens conservatum est, initio huius periodi etiam post provincialium unionem remansit in sua forma pristina cum dependentia a Metropolitano; immo in primo capitulo huius periodi Archimandritae sponte a promotione ad Protoarchimandritatum recesserunt,⁴⁰ conservando iura propria antiqua, quae etiam in decretali «*Inter plures*» Benedictus XIV, uti «*statum quo*» seu eorum a Metropolita dependentiam, ad interim adprobavit, firma interim manente iurisditione Protoarchimandritae in monachos et bona monasteriorum abbatialium. Sed res mutata est in altera decretali eiusdem Pontificis «*Super familiam*», in qua etiam iurisdictio super personas Abbatum Protoarchimandritae agnita est cum quibusdam tamen clausulis in favorem dependentiae Abbatum a Metropolita, quae iterum tamquam residua elementi orientalis in regiminis Basilianorum compositione considerari possunt.

Perspecta huiusmodi regiminis Basilianorum ex duplici disciplina compositione, quae scilicet per influxum disciplinae latinae in antiquam monasticam Ruthenam obtenta est, quaestio iuste oritur, quaenam sint huiusmodi influxus consequentiae iuridicae; quarum vero duas generales hic notamus:

1) in explicandis respectivis institutis, quae de iure latino desumpta sunt, principia advocanda sunt iuris latini communis.

2) Item in eorundem lacunis complendis, quae neque legis propriae contextu, neque locis parallelis compleri possunt, tunc ad disciplinam respectivam latinam est recurrendum.

Influxu disciplinae latinae in regimen Basilianorum Ruthenorum demonstrato, nondum determinata est eiusdem praecisa forma, cuius etiam in iure latino plures habentur species; inde ad illam determinandam et ostendendam in sequentibus capitibus agitur de regiminis huiusmodi centralisatione et exemptione.

³⁹ Ibid.

⁴⁰ Ibid., s. 11, (resolutio) 7.

CAPUT III.

De regiminis centralisatione

In quonam consistat regiminis centralisatio vel decentralisatio, iam vidimus supra. Hic tantum ad complendum conceptum huiusmodi centralisationis notandum est, hanc diversas species accipere posse diversosque posse admittere gradus, in quantum potestas super totam societatem in maiori vel minori ambitu apud supremum regiminis institutum habeatur.

Dein in ipso regimine centralisato duplex elementum praevalere potest scil.: 1) elementum hierarchicum, in quantum potestas super societate resideat apud Superiores determinatos, vel 2) elementum democraticum, in quantum potestas super societate consistat apud totam communitatem seu apud coetum ipsam repraesentantem (capitula).

Denique quod centralisationis historiam spectat, haec aliam et aliam formam in Oriente et Occidente obtinuit, aliam et aliam evolutionem subiit.

In Oriente prima vestigia, prout e supra dictis constat, regiminis centralisati habentur in coenobiis Pachomianis.¹ Quod spectat regiminis centralisationem in Regula S. Basilij M. etiam iam vidimus.² Saeculo mortem S. Basilij subsequente, scil. 5^o, Regula S. Basilij a S. Theodosio in quaedam monasteria Palestinensia introducta, habetur eventum, quod opinionem nostram de S. Basilij centralisationis mente non nisi confirmat, scil. in monachorum congregatione anno 493 Hierosolymis celebrata omnia monasteria iunguntur in unam Congregationem, cui praest a congregatione electus coenobiarcha seu Archimandrita, ipse S. Theodosius.³ Eodem tempore in Palestina S. Sabas in similem Congregationem iunxit monasteria anachoretarum eisque tamquam Laurarcha et communis Archimandrita praesse coepit.⁴

Inde vero a saeculo ix extant in Oriente famosae monasteriorum

¹ Supra, p. 11.

² Supra, p. 10.

³ HEIMBUCHER, *Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche*, Paderborn, B. I. 1933, p. 93.

⁴ PARGOIRE, *Archimandrite*, in DACL, col. 2744.

confoederationes, quibus praesunt sic dicti οἱ Πρῶτοι seu Primates vel etiam a saeculo x simpliciter Archimandritae denominati.⁵

Horum potestas in genere non correspondebat moderno conceptui Superiorum Ordinum stricte centralisatum, sed potius erat potestas superinvigilantiae et inspectionis.⁶ Aliquando tamen praepositis harum confoederationum maior potestas competebat, ut e. g. Archimandritae et τῷ Πρώτῳ montis Athos, prout anno 1100 Alexius I Comnenus Imperator attestat, imperatores concesserunt potestatem εἰς πάντα καὶ ἐπὶ πάντα, in omnia et super omnibus.⁷

Similem potestatem Rogerius II, rex Siciliae (1130-1154), concessit Abbati monasterii SS.mi Salvatoris in Messina. Rex instituit monasterium SS.mi Salvatoris μάνδραν seu matrem monasteriorum et eiusdem Abbatem ἀρχιμανδρίτην seu patrem et aliorum Abbatum praelatum, qui haberet sub sua potestate 46 monasteria. In his ille potuit « inquirere... criminales quascumque vel pecuniarias quaestiones... abbates instituere, remove illos abbates, qui quomodolibet indigni reperiuntur et alios loco istorum... instituere ». Habuit « dominationem et propriam potestatem in omnibus dictis monasteriis et grangiis subiectis cum Abbatibus et monachis et hominibus omnibus, clericis et laicis et eorum subiectis eisdem capitaneis monasteriis tam in spiritualibus quam in temporalibus et diligenter examinare et recte iudicare et ad finem causas perducere ».⁸

In Occidente vero sicut olim in Oriente erant primo monachi eremitae. Postea formata sunt quaedam monasteria ad instar coenobiorum S. Basilii M. Denique praevalebant monasteria S. Benedicti, qui tamen nondum Ordinem sensu stricto condere voluit, sed tantum singula monasteria cum monarchica regiminis forma instituit.

Prima vero forma regiminis centralisati in Occidente erat in monasterio Cluny saec. x et xi et monasteriis eidem adiacentibus. Haec forma regiminis erat forma supremi centralismi, qui utique nec conservari potuit et ideo brevi tempore forma Benedictina iterum praevaluit. In illa enim regiminis forma omnia monasteria erant tamquam unum monasterium, quod de facto erat monasterium Cluny, cetera vero alia illo adiacentia nihil aliud erant, nisi « curties » ad instar praediorum. Quae forma orta est sub influxu iuris Francorum, apud quos ordo socialis consistebat in divisione honorum inter palatia principum atque dominorum et « curties » seu praedia ab illis dependentia.

Tamquam reactio ad modo descriptam formam existimari possunt posteriores Ordines canonicorum, qui formam decentralisationis repraesentabant (cfr. Monasterium S. Victoris Parisiis et Praemonstratenses).

Alter gradus in evolutione centralisationis est Ordo Cisterciensium saeculo xii. Secundum chartam caritatis (approbatam a Callixto II, 23, XII, 1119 et a Eugenio III, 1, VIII, 1152) omnia monasteria con-

⁵ Supra, p. 46.

⁶ KROLEWSKYJ, *Basiliens italo-grecs et espagnols*, in « Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastique », t. VI, col. 1181.

⁷ MEYER, *Die Haupturkunden für die Geschichte der Athosklöster*, Leipzig, 1894, p. 171.

siderantur tamquam unus Ordo. Monasteria componunt unam organisationem, quamdam monasteriorum confoederationem, cuius centrum Citeaux. Abbas huius monasterii habet ius visitandi alia, ipse autem ab aliis visitatur. Omnes Abbates convenire debent certis temporibus.

Ordines equitum. Hi etiam existimantur iam tamquam unus Ordo, habent unum superiorem, qui gaudet maiori potestate, quam Abbas in Citeaux.

Mendicantes. Tum Praedicatorum, tum Franciscani constituunt Ordinem qua Ordinem per totam Ecclesiam, non vero tantum singula monasteria. Apud quos prima vice intrat systema feudale medioevale et ius associationis germanicum. In eorum regimine duo elementa distinguere debent: 1) democraticum (capitula) et 2) hierarchicum (Superiores). Ab initio saeculi xvi haec norma communiter iam applicatur.

Clerici regulares. In horum regimine elementum democraticum aliquo modo adhuc servatur (convocantur capitula, sed raro), praevalent autem elementum hierarchicum. Superiores enim accipiunt plenam potestatem. Eliguntur solum Superiores supremi, ceteri vero nominantur.

Ultimam denique et perfectam, qua saltem maior deest, in evolutione centralisationis formam repraesentat Societas Jesu. Principium associationis habet hic perfectam applicationem. Ordo existimatur tamquam unum quid. Superior generalis Societatis solus est et quidem ad vitam in capitulo generali eligendus, ceteri vero, domorum quoque Superiores nominantur ab illo, qui praeterea potiori gaudet potestate, quam alii huiusmodi Superiores; eius enim statuta et ordinationes etiam post mortem eius vim suam retinent. Omnes Superiores audire quidem debent suos consiliarios, horum tamen consensus non requiritur.

In totali monachatus Rutheni reorganisatione initio saeculi xvii. formae regiminis eiusdem stricte decentralisatae, in qua neque species orientalium confoederationum locum habuit, immediate substituta est forma regiminis ad instar Ordinum latinorum centralisata, in qua tamen elementum hierarchicum non tam perfecte, uti in Societate Jesu praevalentiam obtinuit, sed elementum democraticum seu capitula potiore partem in eadem retinuit. Immediatus vero ille transitus e forma regiminis monachorum decentralisata in centralisatam peractus est in primo capitulo quorundam monasteriorum anno 1617 celebrato, in quo motiva huiusmodi transitus et argumentum centralisationis novae Congregationis SS. Trinitatis Basilianorum iam prima eiusdem capituli constitutio expressit:

« Contemplantes ordinem, qui est in coelo, ubi unus est Supremus Arbiter omnium ipse Deus Omnipotens, atque ordinem, quem Dominus noster Jesus Christus in ecclesia sancta in terris constituit, ubi unum supremum pastorem habere voluit, hunc ipsum ordinem tamquam e manibus Dei amplexi, nos quoque in religione nostra habere volumus, ut (scilicet) supremus moderator sit unus ».⁹

Postea fertur secunda constitutio, qua iura metropolitana super

⁸ PIRRI, *Sicilia sacra*, P. IV, p. 21.

⁹ AS, t. XII, p. 10, n. 8.

monachos servantur, ea tantum apposita clausula, ut Metropolita regulas aliquas ab Ordine praescriptas iuratas habeat, ne eius superintendentia Ordini nociva evadat.¹⁰

Tunc tertia constitutio indicat illum « unum », supremum Ordinis moderatorem de medio monachorum eligendum, qui proprie centralisationis ideam exprimit: « Quamvis autem Metropolita supremus sit futurus religionis nostrae moderator, unum tamen de medio nostrum omnino habere volumus, qui bonum internum religionis nostrae administret et curet, nullo alio implicatus munere, nisi hoc uno, ut omnia monasteria nostra visitando obeat attendatque ad bonum ordinem tam in praesidibus, quam in aliis fratribus, tum in proventibus monasteriorum, omnibus demum iis invigilet, quae conservando atque augendo bono religionis nostrae inserviunt. Huic superiori nomen erit protoarchimandrita ».¹¹

Protoarchimandritae adduntur quatuor consultores cum voce consultiva tantum.¹² Superiores locales quadriennales eliguntur et deponuntur a Protoarchimandrita consultis Consultoribus.¹³ Hinc tempore extracapitulari elementum hierarchicum analogice ad constitutiones Societatis Jesu in regimine etiam Basilianorum applicationem habet. Idem enim Protoarchimandrita, cum una tantum haberetur provincia, omnia monasteria quotannis visitabat, monachos inter monasteria transferebat,¹⁴ ita, ut tota Congregatio cum omnibus personis ab eo immediate dependebat, dato quod institutum Archimandritarum secundum mentem Metropolitae Rutskyj supprimendum erat.¹⁵

Sed in oppositione ad Constitutiones Societatis Jesu in regimine Basilianorum potiore partem capitula generalia habent, quae elementum democraticum in eodem regimine constituunt. Haec enim quarto quoque anno debent,¹⁶ immo etiam saepius convocari possunt, et de facto ita convocabantur.¹⁷ Capitulum, quod tantum generale habebatur, potestate legislativa privative gaudet¹⁸ et immo post decretum SCPF. 1624 eius constitutiones statim monachos obligant, ab eodem mutari possunt, immo tota fere legislatio ab ipso procedit quodque ipsas Constitutiones Ordinis componit. Praeterea capitulum quasdam potestates sibi reservavit.¹⁹

Huiusmodi tamen a Metropolita Rutskyj propositae centralisationi in decursu huius periodi in quibusdam derogatum est. Imprimis institutum Archimandritarum de facto non est suppressum, sed immo Metropolitae posteriores ad influxum in Ordinem maiorem obtinendum

¹⁰ Ibid., n. 9.

¹¹ Ibid., n. 10.

¹² Ibid., p. 11, n. 15.

¹³ Ibid., n. 16.

¹⁴ Ibid., p. 12, n. 18.

¹⁵ Ibid., p. 23.

¹⁶ Ibid., p. 12, n. 19.

¹⁷ Ibid., et cfr. elenchum capitulorum ex anno e.g. 1650, 1652, 1658, 1659, 1661, 1661, 1665, 1667, 1667.

¹⁸ AS, t. XII, p. 10, n. 11, 9; p. 12, n. 19.

¹⁹ E. g. electionem professorum *ibid.*, p. 13, n. 25; p. 19.

plures archimandrias erigebant, quae nodum antiquae decentralisationis constituiebant. Quod tamen non sine oppositione ex parte Ordinis eiusque tendentia contraria fiebat. Ita e. g. iam anno 1658 in capitulo Zyrovicensi, dum Ordinem non Protoarchimandrita, sed simplex Provincialis temporalis regeret: «agnita est interim iurisdictio reverend. provincialis supra archimandritas respectu regiminis personarum sub illis degentium. Quod vero spectat individua archimandritarum, hi debent suis gaudere immunitatibus et privilegiis, salva tantum auctoritate rev. patris provincialis».²⁰

Cui vero decentralisationi etiam hoc suadebat, quod tres primi Metropolitanæ officium Protoarchimandritæ advitale in suam personam transferebant. «Metropolitanæ enim, prout notat Blazejowskyj, reformationem Religiosorum voluerunt, sed Protoarchimandritam seu Superiorem Generalem eorum aegre ferebant».²¹

In Constitutionibus «recognitis» ex anno 1686, spectata praxi diuturna phasis præcedentis, quae in multis constitutionibus primitivis Metropolitanæ Rutskyj non correspondebat, centralisatio regiminis interni dicenda est novis institutis iuridicis confirmata. Protoarchimandrita enim, etiamsi quadriennalis, tamen communiter e gremio Consultorum generalium advitalium electus, qui simul ab hinc nodum totius centralisationis constituunt, totum regimen internum Ordinis, prout hoc expresse in Nexu cum Metropolitana concluso stabilitum est, obtinuit.²² Revera ab hinc ad Protoarchimandritam pertinent non solum omnes potestates olim in constitutionibus Metropolitanæ Rutskyj concessae, tum quoad nominationem Superiorum temporalium, convocationem capituli, visitationem Ordinis, permutationem personarum, verum etiam, nunc ordinata disciplina Archimandritarum, ad eundem pertinet simul cum consultoribus candidatos in eosdem Metropolitanæ præsentare, archimandrias omnes, etiam Episcoporum, expeditione accepta ad hos ultimos a Metropolita, visitare.²³

Hac phasi præterea novum institutum regiminis centralisati, non quidem constitutionibus, sed praxi evolvitur, scil. institutum Vice-Provincialis pro monasteriis a corpore Congregationis longe dissitis.²⁴

Elementum autem democraticum seu capitula idem momentum retinent ac phasi præcedenti.

Periodo secunda, præsertim secunda eiusdem phasi, qua regimen Basilianorum iam formatum considerari potest, postquam omnia instituta eiusdem substantialem determinationem acceperunt, quod centralisationem spectat haec culmen suum in Ordine Basiliano aetate illa obtinuisse dicenda est.

Principium associationis nunc plenum effectum obtinet, nam omnia monasteria totius Ecclesiae Ruthenae catholicae in regno Poloniae existentia unum Ordinem, uti unum quid, constituunt.

²⁰ Ibid., p. 58.

²¹ O. c., p. 23.

²² AS, t. XII, p. 123, n. 3.

²³ Ibid., n. 6.

²⁴ Ibid., p. 139, n. 3; p. 168, n. 3, 5°.

Protoarchimandrita, qui totam ideam centralisationis exprimit, supremam potestatem super toto Ordine habet, illigatam iam, exceptis quibusdam casibus, potestate metropolitana. Eius iurisdictioni subsunt non solum Provinciales duarum et postea quatuor provinciarum - novum institutum regiminis centralisati - atque in pluribus immediate Superiores locales, praesertim monasteriorum insignium, verum etiam simplices monachi; immo post annum 1756 etiam ultimum residuum decentralisationis seu institutum Archimandritarum hucusque quoad personas a Metropolita dependentium, eiusdem iurisdictioni etiam quoad personas subiectum est.

Sed in huiusmodi centralisatione inter elementum hierarchicum et democraticum aequilibrium retentum est. Imprimis inter instituta regiminis centralis nullum admittitur adventum. Tam enim Protoarchimandrita, quam eius Consultorium eligitur initio ad quadriennium, dein vero ad octennium. Item tum Protoarchimandrita, tum Provinciales dubia in consultationibus respectivis orta solvere debent suffragiis secretis cum toto Consultorio respectivo, quod ultimum in consultationibus praedictis voce deliberativa gaudet.

Capitula generalia quadriennalia vel octennalia praeter potestatem legislativam sibi private competentem, in qua exercenda omnes quaestiones per secreta suffragia definiri debent, limitant potestatem Protoarchimandritae, qui e. g. extra capitulum generale dubia ulla super legibus et rebus totam Congregationem tangentibus per Procuratorem Romanum resolvenda curare non potest. Item negotia quae tangunt totam Religionem aut respective integras provincias intentare et promovere non potest, nisi capto consilio a suo Consultorio generali et etiam ab ipsis Provincialibus et Consultoriis eorum sive respective ab uno Provinciali et suo Consultorio.

Praeterea capitulum generale, si opus esset, acta visitationum a Provincialibus requirere potest; item calculum excepti et expensi sibi a depositariis massae communis respectivarum provinciarum reddendum postulare potest, quod vero ex officio capitula provincialia videre debent.

Ad capituli generalis iudicium unusquisque monachorum recurrere potest et quidem, si capitulum ingreditur, per se ipsum, si vero non, per specialem in unaquaque provincia ad hoc designatum et iuratum fiscalem capitularem.

Item ad capitulum generale transmittenda est causa alicuius, si de poena gravi cum gravamine notorio imponenda agitur. Qua in causa etiam Protoarchimandrita coram capitulo respondere debet.

Haec secunda regiminis Basilianorum proprietas interna seu eiusdem regiminis centralisatio maxime distinguit organisationem monachatus Rutheni primitivi ab hac in praesenti considerata, ita ut per illam tota definiri possit substantia reorganisationis monachatus Rutheni a Metropolita Rutzkyj peracta. Dum enim antea, uti in introductione vidimus, singula monasteria Ecclesiae Ruthenae propria autonomia gaudebant, eadem in reorganisatione privantur, sed vi centralisationis descriptae coniuncta unum corpus constituunt, quod ab uno capite directum actionem suam in tota Ecclesia Ruthena exercet.

Cum vero regiminis praedicti centralisatio essentiam novae organisationis constituat, hinc in iudicio ferendo super monachus Rutheni reorganisatione in genere, crisis praecipua huiusmodi centralisationem attingit. Ita e. g. Guépin,²⁵ hac centralisatione perspecta, totum opus Metropolitae Rutskyj in ordine ad monachatum praedictum reformandum tamquam defectuosam mutationem disciplinae monasticae antiquae vulgo autem uti eiusdem «denaturationem» considerat. Centralisatione enim illa, assert auctor, principia fundamentalia disciplinae vere monasticae in monachatu Rutheno destructa fuisse. Itaque imprimis destructa est 1) autonomia monasteriorum, quorum unumquodque secundum antiquam institutionem constituebat unum totum, unam societatem completam, unam ecclesiam cum regimine patriarchali, in quo Abbas habebatur uti paterfamilias, ceteri monachi uti filiifamilias. 2) Aliud principium fundamentale Ordinis vere monastici antiquae institutionis destructum est i. e. perpetuitas Superioris. Abbas enim vel Archimandrita remanere debet in capite sui monasterij per totam suam vitam, sicut et paterfamilias, gaudens auctoritate totali et exclusa alia auctoritate superiori. Supervigilantia enim, quae pro bono communi exercetur, summam auctoritatem Superioris destruere non potest. Sed Rutskyj hanc non tantum diminuit, verum etiam annihilavit. 3) Tertium principium fundamentale per praedictam reorganisationem destructum est, scilicet quod directio spiritualis iure exclusivo ad Superiorem pertinere debet. 4) Hinc denique centralisatione et exemptione plures controversiae posteriores Ordinem inter et Hierarchiam causatae sunt.

Haec tamen crisis operis Metropolitae Rutskyj haud completa existimari posset, si causae atque effectus novae disciplinae in monachatum Ruthenum introductae a consideratione eliminantur.

Itaque imprimis notandum est, centralisationem non esse omnino alienam a principiis disciplinae monachatus orientalis, ipsa enim, prout vidimus et prout ipse Guépin agnoscit,²⁶ Regula S. Basilii Magni illi non tantum non est contraria, sed immo consentanea.²⁷

Imperativum vero decentralisationis non nisi in Regula S. Benedicti invenitur, quod una tantum pars monachatus occidentalis subsequitur.

Metropolita autem Rutskyj derogando antiquae disciplinae orientali in Ecclesia Ruthena vigenti novamque disciplinam centralisatione supposita introducendo, non temerarie, sed ipsis Ecclesiae Ruthenae exigentiis ad huiusmodi remedium recurrendum necessitatus, processit. Causa enim Unionis, ideo, quod sancta, difficultates non pares superare debuit, inter quas ex parte schismaticorum eidem sese opponebant etiam confraternitates, praesertim stauropigianae, quae fortem aciem Unioni adversam constituiebant.²⁸ Quarum valorem et momentum secundus iam Metropolita Ruthenus Unitus, Hypatius Potij, aestimavit

²⁵ GUÉPIN ALPHONS, *Un Apôtre de l'Union des Eglises au XVII^e siècle*, Paris 1897, t. I, p. 194-200.

²⁶ *O. c.*, t. I, p. 195.

²⁷ Cfr. supra, p. 10 ss.

²⁸ LIKOWSKI ED., *Unja Brzeska*, p. 227 ss.

et ideo et ipse similes confraternitates condere coepit, quae tamen ultimae illis longe impares se manifestarunt. Illae enim amplis potestatibus gavisae aliquando etiam super Episcopis ipsis supervigilantiam obtinebant in genere vero elitam nationis Ucrainae vel Albo-Russae in earum agmine comprehendebant. Hinc erat, quod iam memoratus Hypatius Potij, Metropolita, ad aliud remedium efficaciusque recurrere coepit seu ad monachatus Rutheni reformationem,²⁹ hanc ab archimandria Vilnensi, ex qua tum S. Josaphat tum ipse J. V. Rutskyj evenerunt, incipiendo. Opus sui praedecessoris ad finem perduxit Metropolita Rutskyj, qui ut aciem contra aciem poneret, monachos unam Congregationem constituentes confraternitatibus opposuit. Sed illi in una Congregatione moderna coadunati vim dynamicam obtinuerunt,³⁰ quam non centralisati vix assecuti essent. Actio eorum in spatio duorum saeculorum in Ecclesia Ruthena perspecta pro Unione eiusdem cum S. Sede haud levi iudicio digne aestimari potest. Quam neve ipsi Unionis adversarii non satis aestimant. Ecce quaedam iudicia quorundam auctorum e castris adversis circa Basilianorum in Ecclesia Ruthena actionem: « Basilianus Ordo in Polonia constituebat ex se ipsam substantialem partem Unionis »;³¹ alius vero ex eadem parte describens fata Unionis ita animadvertit: « Ultra iam medium saeculum existebat Unio et existebat unice studio et opera Basilianorum. Quot tempestates, quot aerumnas et incommoda Unio non semel sustinere debuit, praecipue tempore Vladislai IV et in bellis Cosacorum, quoties enim illa audire debuit ipsam de numero legitime existentium confessionum deleri oportere, quoties, secundum verba unius Poloni historici, potestas civilis largis principiis Poloniae constitutionis arcte limitata « capitalem Unioni sententiam » subscribere debuit? Et totum illud pondus gravium probationum in humeris suis gestavere exclusive Basiliani ».³² Sed omnium dignius actionem Basilianorum in Ecclesia Ruthena aestimavit Leo Papa XIII illud effatum de Ordine Basiliano proferens: « quo vigente, Ruthenorum Ecclesia viguit ».³³

²⁹ BENEDICTUS XIV, *Inter plures*, § 2; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 143.

³⁰ WINTER E., *Byzanz und Rom im Kampf um die Ukraine*, p. 95.

³¹ PETROV, *Ocerk istorii baziljanskavo ordena v byvsej Polse*, in « Trudy Kievskoj duchovnoj akademji », 1870, t. II, p. 428.

³² KRACKOVSKIJ, *Ocer Uniatskoj Cerkwi*, in « Ctenia » 1871, I, p. 142.

³³ « *Singulare praesidium* » in Leonis XIII Pontificis Maximi Acta, v. III, Romae, 1884, p. 62.

CAPUT IV.

De regiminis exemptione

Tertia proprietas regiminis Basilianorum illis supra descriptis duabus periodis est eiusdem exemptio; ideoque hoc capite, generali notione exemptionis explicata et brevissima historia eiusdem indicata, sermo erit de regiminis Basilianorum exemptione in prima et secunda periodo, considerata scil. imprimis relatione Ordinis ad Metropolitam, dein ad Episcopos.

I. *Notio et divisio exemptionis.* Exemptio generice sumpta dicit libertatem a dominatu Superioris immediati, qua fruitur is, qui speciali tantum vel maiori praelato oboedientiam praestare debet.¹ Itaque secundum hunc conceptum exempti iam dici debent e. g. monachi, qui a potestate Episcoporum liberantur et Metropolitae vel Patriarchae subduntur. Communiter vero in iure Ecclesiae catholicae exemptio alicuius religionis est eius libertas a iurisdictione Episcopi seu Ordinarii loci ita, ut religiosi propriorum tantum Praelatorum et Summi Pontificis regimen ferre cogantur.² Si denique sermo fit de exemptione regiminis alicuius religionis, intelligitur eadem ac supra libertas religionis Superiorum in munere eorum obeundo.

II. *Exemptionem religiosorum dividere solent* in a) personalem, localem, et mixtam; b) activam et passivam; c) plenam et partialem vel perfectam et imperfectam.

a) *Personalis* liberat ipsas personas ubicumque versentur, sed nullatenus loca ubi considerint; *localis* directe afficit loca, personas autem quatenus in eo sunt loco, ita, ut simul cum adventu et discessu initium vel finem habeat personarum exemptio; *mixta* simul personas et loca eximit a iurisdictione Ordinarii, qui, exceptis quibusdam casibus, neque in personas neque in locum quicquam possit.

b) *Exemptio localis seu mixta* potest esse mere *passiva*, quo casu loca manent in territorio alieno, sed iurisdictioni Ordinarii subtrahuntur; et *activa*, quo casu, locus iam fit nullius dioecesis et Praelato competit iurisdictio in omnes personas etiam religioni extraneas, quae in isto loco versantur.

c) *Exemptio passiva* potest esse *plena*, quaque principaliter personae et loca exemptione donata sunt ita, ut ea, etiam extranei, in isto loco versantes, fruuntur; vel *semi-plena* seu partialis, si exemptio localis iis tantum personis prodest, propter quas est concessa.³

¹ VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, t. I, p. 569, n. 773 (ed. VI).

² Ibid.

³ VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, t. I, p. 569, n. 773 (ed. VI).

III. *Brevissima historia exemptionis.* Prima vestigia exemptionis in eo sensu, quod potestas Ordinarii loci in monachos coarctatur videri potest iam in canone 24 concilii oecumenici Chalcedonensis (a. 451), quo statuitur, ne monasteria semel erecta et res eis dedicatae ab Episcopo supprimi aut deferri possint:

« Quae semel dedicata sunt monasteria, consilio episcoporum maneant perpetuo monasteria, et res quae ad ea pertinent monasteriis reservari, nec posse ea ultra fieri saecularia habitacula; qui vero hoc fieri permiserint, canonum sententiis subiacebunt ».¹

Prima vero exempla exemptionis religiosorum ex parte Romani Pontificis concessae habentur medio aevo alto (VII-XII s.), quando Romanus Pontifex « sub tutelam S. Petri » sumebat quaedam monasteria (e. g. Bobbiense) monachorum Hibernensium, qui « peregrinantes pro Domino » in Gallia et Hispania occidentali illam independentiam omnimodam, qua in patria « Scotia » gavisii sunt, retinere studebant.² Quaedam exemptio iam eo ipso habebatur cum approbatio Pontificia expresse in concilio Lateranensi IV pro erectione Ordinum praescripta sit. Saeculo XII exemptio conventuum persaepe existebat. Nam Ordines militares et mendicantes amplam exemptionem assecuti sunt. Sixtus IV Minoribus amplissima privilegia in sua constitutione « *Regimini* », 31 Aug. 1477, (Mare magnum) concessit, deinde omnes Mendicantes et aliae religiones suum « *Mare magnum* » obtinuerunt. Concilium Lateranense V (1515), maxime autem concilium Tridentinum exemptionem regularium restrinxerunt. Episcopi adepti sunt facultates tamquam Apostolicae Sedis Delegati.³

Sed neque ab Ecclesia orientali, immo etiam schismatica, aliena est monasteriorum exemptio; ibi tamen Romano Pontifici substituitur Patriarcha. Nam etsi quidem in Ecclesia orientali generatim monasteria subiecta sunt omnimodae potestati Episcopi, attamen sunt quaedam monasteria, quae dicuntur stauropegiana, quaeque nihil aliud sunt, nisi monasteria a potestate Ordinarii loci exempta et immediate potestati Patriarchae subdita.⁷ Quod vero Metropolitanum simile ius spectat, hoc in legislatione orientali illis denegatum est et si aliquando ab ipsis usurpatum sit, tamquam abusus reputabatur.⁸

IV. Gressum nunc facientes ad exemptionem Basilianorum Ruthenorum saeculi XVII et XVIII exponendam imprimis notari debet, diversam fuisse eorundem relationem ad Metropolitanum et diversam ad Episcopos. In genere tamen, praesertim quod primam periodum spectat, etiamsi Basiliani modo peculiari seu non ad normam iuris latini communis ab Hierarchia Ruthena exempti dicendi sint, Ordo tamen Basilianus et Hierarchia illo tempore unitate quadam characteristicam illius periodi coniuncti erant, quae in historia religiosorum omnino singularis dicenda est. Hierarchia enim et Ordo unum quid constituebant, inquantum illa nonnisi ex hoc cooptari potuit, remanendo etiam post sui evectionem tamquam membra Ordinis. Secundum enim constitutio-

¹ Τὰ ἀπὰρ καθιερωθέντα μοναστήρια, κατὰ γνώμην ἐπισκόπου, μένουν εἰς τὸ διηγεῖς μοναστήρια, καὶ τὰ ἀνηκοντα αὐτοῖς πράγματα φυλάττεσθαι τῷ μοναστηρίῳ, καὶ μηκέτι δύνασθαι γίνεσθαι ταῦτα κοσμικὰ καταγώγια· τοῦ δὲ συγκυροῦντος τοῦτο γίνεσθαι ὑποκείσθαι τοῖς ἐκ τῶν κανόνων ἐπιτιμίοις. PITRA, o. c., t. I, p. 531.

² ZEIGER, *Historia iuris canonici*, v. p. 89, n. 58.

³ SCHÄFER, *De religiosis*, p. 789, n. 416 (ed. 3).

⁷ Cfr. supra, p. 36 ss.

⁸ Cfr. supra, p. 38

nes primi capituli ex anno 1617 Metropolita aliquem nonnisi ex Basilianis in Episcopum nominatum in eiusdem consecratione admonere debuit eum semper tamquam Ordinis membrum reputari debere. Mentem autem huiusmodi unitatis Ordinis cum Hierarchia, in hunc modum tunc conceptae, aliquomodo reddit anti-capitulum Minscense, ex anno 1683, a Metropolita Cypriano Zochowskyj convocatum, quod inter argumenta contra exemptionem ad normam religiosorum latinorum a quibusdam Basilianis procurandam etiam sequens adducit: «3-tio. Religio Basiliana sola et unica est, quae constat patriarchis, metropolitanis, archiepiscopis, episcopis, archimandritis, hegumenis, qui hierarchico ordine servato, et primis, secundis instantiis illaesis, subordinantur suis episcopis, metropolitanis et patriarchae, qui est in Russia unita solus sanctissimus d. n. Romanus Pontifex, quomodo ergo tres vel quatuor inquieti monachi possint inturbare hanc hierarchiam orientalem».⁹ Hinc planum est Hierarchiam et Ordinem influxum reciprocum ad invicem exercuisse. In praxi vero occasio praecipua ad huiusmodi influxum exercendum ordinarie erant capitula monachorum generalia singulis quadrienniis vel etiam saepius convocanda, quae non tantum monachi voce activa gaudentes, verum etiam tum Metropolita uti capituli praeses, tum singuli Episcopi cum voce deliberativa ingrediebantur. In capitulis autem non tantum res et causae ad Ordinem spectantes, verum etiam res,¹⁰ ritus¹¹ et fata¹² totius Ecclesiae Ruthenae in communem deliberationem sumebantur et decidebantur.

Praeterea tum Metropolita, tum Episcopi ad latus suum monachos confessarios a Protoarchimandrita designatos habebant, qui in omnibus, quae ad vitam religiosam illorum pertinebant, invigilare debebant.¹³ Item in Curiiis eorundem theologi seu praedicatores habebantur monachi,¹⁴ aliique officiales.¹⁵ Quae vero praxis ne quidem a synodo Zamostiana, immo neque post completam ad normam concilii Tridentini Ordinis ab Hierarchia exemptionem periodo secunda abolita est;¹⁶ qua periodo etiam congressibus s. d. hierarchicis seu Episcoporum Archimandritae quidem adesse, Protoarchimandrita vero vocari debebant.¹⁷

Generali hac nota characteristicam unitatem Hierarchiae cum Ordine Basiliano exprimentem sublineata, qua non obstante monachi iuridice a potestate Hierarchiae modo peculiari sibi specifico et quidem alio prima, alio vero secunda periodo exempti dicendi sunt, ad huiusmodi exemptionem indicandam relatio iuridica accurata 1) Ordinem

⁹ AS, t. XII, p. 190.

¹⁰ Cfr. Cap. Berest, 1667, s. I — AS, t. XII, p. 86.

¹¹ Cfr. Cap. Zyrovic, 1661, s. 7 — *ibid.*, p. 72; cap. Berest, 1667, s. 2 — *ibid.*, p. 88; cap. Vilnen, 1667, s. 4; — *ibid.*, p. 96.

¹² Cap. Vilnen, 1650, s. 2 — *ibid.*, p. 47; cap. Minscen, 1652, *ibid.*, p. 49; cap. Bythen, 1657, s. 3 — *ibid.*, p. 55; cap. Berest, 1667, s. 2 — *ibid.*, p. 87.

¹³ *Ibid.*, p. 13, n. 22.

¹⁴ «*Nexus*» 1686, n. 17 — *ibid.*, p. 124.

¹⁵ *Ibid.*

¹⁶ Synodus Zamostiana, s. 3, tit. 7, p. 101.

¹⁷ Decretum SCPF, 1758, 20, II; *Bullae et brevia*, P. II, p. 122.

inter et Metropolitam; 2) Ordinem inter et Episcopos exponenda est; hinc duo articuli.

ARTICULUS I.

DE RELATIONE IURIDICA METROPOLITAM INTER ET ORDINEM BASILIANUM

In hac relatione duas quaestiones historice arcte secum coniunctas seiungimus scilicet: 1) quaestionem iuris Metropolitae ad vocem passivam in electione Protoarchimandritae; 2) quaestionem aliorum iurium et potestatum Metropolitae super Ordine Basiliano.

Rationem ad huiusmodi quaestionum disiunctam tractationem vidimus non tantum in speciali momento illius quaestionis quod habuit periodo prima, verum etiam in eo, quod illo iure in effectum deducto Metropolita duplicem super Ordine potestatem obtinebat: a) Metropolita, qua Metropolita et b) Metropolita, qua Protoarchimandrita. In secunda quaestione iura et facultates Metropolitae considerantur, quae etiamsi in effectum deductae, novas potestates Metropolitae non tribuebant, sed hic cum potestatibus tantum Metropolitae, qua Metropolitae remanebat.

A. - QUAESTIO I.

Utrum metropolita in Protoarchimandritam eligi potuerit?

Ad quam quaestionem solvendam imprimis historiam eius delineabimus et deinde collectis decretis a S. Sede hac in re editis iudicium ferre studebimus.

1) Metropolita Rutskyj in constitutionibus primi capituli ex anno 1617 ab officio Superioris Generalis seu Protoarchimandritae excludit quemcumque Episcopum: « Providentes, ut tam maiores, quam minores omni fiducia absque obice in suis necessitatibus ad protoarchimandritam recurrere possint, tamquam ad patrem suum, statuimus, ut is, qui protoarchimandrita futurus sit, non sit episcopus non solum ordinarius, qui oves habet proprias, sed neque titularis ».¹⁸

Ex actis tamen trium priorum capitulorum clare non constat, quisnam fuerit in iisdem in Protoarchimandritam electus.

Historicus Stebelski in elencho capitulorum et Protoarchimandritarum tamquam primum Protoarchimandritam indicat Metropolitam Rutskyj, qui in primo capitulo univoce a PP. capitularibus electus est. Ad secundum capitulum ponit Protoarchimandritam Leonem Kreusa-Rzewuski, qui primus Protoarchimandrita simplex monachus electus

¹⁸ AS, t. XII, p. 10, n. 11.

esse debuisset. Ad tertium capitulum eundem ponit Protoarchimandritam.¹⁹

Sed usque ad quartum capitulum anno 1626 celebratum munere Protoarchimandritae functus esse ipse Metropolita Rutskyj dicendus est, qui titulo Instauratoris ad officium illud sese eligere permisit. Quod indicaret iam capitulum secundum, ex quo apparet aliquem Protoarchimandritam electum fuisse, nam sermo ibi habetur de electione Vicarii Generalis, cuiusque causa necessitas monasteriorum visitationis indicatur, quam hucusque Protoarchimandrita peragere non potuit;²⁰ dein idem Vicarius patrimoniam professorum « secundum voluntatem protoarchimandritae monasteriis applicare » iubetur.²¹ Quisnam tamen tam impeditus fuisset, qui visitationem peragere non potuisset, nisi ipse Metropolita? Argumentum vero positivum huius affirmationis invenimus in Archivo SCPF. sub anno 1633, ubi in relatione super modo quo actualiter ad relatores religio Basiliana gubernabatur, inter alia dicitur: « Totum gubernium huius Religionis duodecim aut tredecim annis ab uno solo Metropolita Russiae dependebat, Ill.mo Velamino Rutschii: quod septem ante annos suo coadiutori R.mo Raphaëli E.po Haliciensimoderno Pincensi, omnibus fere tam E.pis, quam Monacis, imo ipsis etiam saecularibus repugnantibus totaliter delegavit ». ²² Secunda data de septem annis Protoarchimandritatus Raphaëlis Korsak omnino concordat cum actis capituli Lavryszivensis, anni 1626, quo patet, illum revera in Protoarchimandritam electum fuisse. Sed ex alia parte ex documento allato patet ante hunc Rutskyj ipsum Protoarchimandritam fuisse.

Hinc statim post decretum SCPF. 1624, quo monachis Protoarchimandrita eligi permittitur, capitulo sequenti 1626 Protoarchimandrita - simplex monachus - Raphaël Korsak electus est,²³ qui postea ad dignitatem episcopalem evectus protoarchimandritatu renuntiare voluit, tamquam cum episcopatu secundum constitutiones primi capituli incompatibili, a capitulo tamen (Vilnensi 1636) rogatus, munus hoc retinuit et quidem non tantum durante episcopatu, sed etiam, mortuo Metropolita Rutskyj, in Metropolitam electus etiam cum hac dignitate.²⁴ Raphaëli, Metropolita et Protoarchimandrita, defuncto in capitulo Vilnen. 1642: « contenderunt monachi ut secundum breve Urbanum (puta ex anno 1631, 20, VIII, quo decretum SCPF. ex anno 1624 confirmatum est) eligatur in protoarchimandritam simplex monachus... Hoc viso, Antonius Sielava, iam metropolitanus in morbum incidit totumque studium suum et modos convertit... ut assequeretur protoarchimandriam et effecit. Ea tamen cautione et scripto suo, religioni cum subscriptionibus praesulum, praelatorum et religiosorum tradito, quod a morte

¹⁹ STEBELSKI, *Przydatek do chronologii*, p. 275 et 288.

²⁰ AS, t. XII, p. 24.

²¹ Ibid., p. 26.

²² APF, *Polonia Russia*, v. 336, f. 403 « Modus quo gubernatur nunc Religio S. Basilij Ritus Graeci in Russia ».

²³ Cap. Lavryszivense 1626. AS, t. XII, p. 30.

²⁴ Ibid., p. 38 (s. 3).

eius non amplius in successorem metropolitam protoarchimandria derivari debeat et extendi. Est authentica cautio ista sub anni 1642 d. 5 Julii ».²⁵

Post mortem Metropolitanae et Protoarchimandritae Antonii Sielava 1655 usque ad annum 1666 metropolia vacabat, quo tempore neque in Protoarchimandritam aliquis eligebatur, sed singulis binis vel tertiis annis Vicarius Generalis eligebatur.²⁶

Anno 1661 in anti-capitulo Suprasliensi metropolitanae administrator Gabriel Kolenda cum fractione quorundam monachorum in Protoarchimandritam advitalem Congregationis SS. Trinitatis eligi procuravit.²⁷ Contra hoc anti-capitulum protestabat capitulum contemporaneum Torakanense cum antiquis Congregationis officialibus, ubi tamen adhuc non Protoarchimandrita advitalis, sed Provincialis temporalis seu Vicarius Generalis ad biennium, Benedictus Terlecki, electus est.²⁸ qui tamen eodem adhuc anno mortuus est. Convocato a reliquis officialibus Congregationis eodem anno tertio iam capitulo Zyrovicensi in alterum Protoarchimandritam ad quadriennium electus est Episcopus Cholmensis Jacobus Susza.²⁹ Causa per eundem Ep. Jacobum Susza de duobus Protoarchimandritis Romam delata, Papa Alexander VII per breve « *Sollicitudo pastoralis* », 30 Mai 1665 editum, utramque electionem annullavit et Nuntio Ap. in Polonia praecepit, ut novum capitulum convocaret eique praesideret et Protoarchimandritam de simplicibus monachis eligendum curaret.³⁰

Nuntius Ap. intimavit quidem novum capitulum in Suprasl in annum 1665, sed, cum eidem adesse non potuerit, litteras capitulum revocatorias Gabrieli Kolenda iam in Metropolitam electo misit. Quas tamen Metropolita nonnisi omnibus iam congregatis promulgavit, qua de causa capitulum celebrandum esse decisum est. In eo Metropolita ab utraque monachorum parte in Protoarchimandritam advitalem electus est.³¹ Causa iterum Romam a Nuntio Ap. delata, idem Pontifex anno 1666, 4 Junii, aliud breve edidit, quo capitulum et electionem annullans eadem praecepta ac antea Nuntio Ap.co mandavit. Convocatum ergo est aliud capitulum Berestense 1667, ubi tamen ob iustam causam adprobante tum ipso Nuntio Ap.co, tum postea etiam SCPF. idem Metropolita in Protoarchimandritam advitalem electus est, cum simili tamen cautione scripta ac illa eius antecessoris.³²

²⁵ Ibid., p. 184; seu Epithome, qualis status religionis Basilianae in Lituania ac Russia, item qualis transactio cum illustrissimis dominis metropolitanis fuerit, breviter describitur.

Cfr. cap. Zyrovic, 1661, s. 2. — ibid., p. 65; authenticum illius cautionis invenitur in APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 248.

²⁶ Cfr. cap. Torokan, 1656 — AS, t. XII, p. 52; cap. Zyrovic, 1658, ibid., p. 57; cap. Torokan, 1661, — ibid., p. 62.

²⁷ « *Sollicitudo Pastoralis* » — *Bullae et brevia*, P. I, p. 57; cap. Torokan, 1661, s. 7. — AS, t. XII, p. 62.

²⁸ Ibid., s. 3, p. 62.

²⁹ Cap. Zyrovic, 1661, s. 4 — ibid., p. 67.

³⁰ *Bullae et brevia*, P. I, p. 58.

³¹ « *Relatio de conaragatione Suprasliensi* » — ibid., p. 188-9.

³² Cap. Beresten, 1667, s. 3, — ibid., p. 91; « *Alias per Nos accepto* » breve

Post obitum Metropolitae Gabrielis Kolenda 1674, eius successor Metropolita Cyprianus Zochowskyj initio quidem nullam praetensionem ad protoarchimandritatum manifestavit, ita, ut duabus vicibus in Protoarchimandritam, cuius officium ex advitali in quadriennale mutatum est,³³ electi sint monachi simplices.³⁴ Finito tamen quadriennio secundi turni, Metropolita Zochowskyj contra initam cum aliis Episcopis et officio generali Congregationis SS. Trinitatis coram Nuntio Apo conventionem capitulum quorundam monachorum Minsci, 25 Julii 1683, convocavit ibique in Protoarchimandritam eligi procuravit;³⁵ quo pacto Metropolitam inter et Ordinem magna et longa controversia incoepa est. Papa Innocentius XI, qui olim Nuntius Apus in Polonia erat, et uno e capitulis Basilianis (Berestensi 1667) in simili controversia cum Metropolita G. Kolenda praesidebat, hinc conditionem Basilianorum optime novit, nunc brevi suo « *Ad Apostolatus* » anno 1683 30 Octobris edito,³⁶ capitulum et electionem omniaque gesta et actus capituli praedicti annullavit. Cum vero Metropolita secunda vice capitulum iterum contra conventionem coram Nuntio Ap.co initam convocaverit Novogrodeci 1684, 19 Martii, et in Protoarchimandritam iterum electus sit,³⁷ SCPF. decreto de die 11, IX, 1685 gesta capituli annullans Nuntio Ap.co commisit, ut noviter convocato capitulo simplicem monachum in Protoarchimandritam eligere curaret.³⁸ Decretum SCPF. in effectum deductum est in capitulo Novogrodensi 1686, opera praesertim P. Vieyski S. J., Superioris domus professorum Vilnae, qui a Nuntio Ap. in capituli praedicti praesidem subdelegatus est. Quo enim in capitulo non tantum simplex monachus in Protoarchimandritam electus est, verum etiam opportuna et desiderata Ordinem inter et Metropolitam concordia assecuta est, quae quoad principalia obiecta usque ad finem primae periodi feliciter perduravit.³⁹ Utique, inita hac concordia, quae nomine « *Nexus* » nuncupata est, postea nunquam iam in Protoarchimandritam Ordinis Metropolita aut Episcopus electus est aut eligi curabat, sed tantum monachi simplices eligebantur.

2) Enarrata historia quaestionis vocis passivae Metropolitae in electione Protoarchimandritae, iam videamus documenta, praesertim a S. Sede hac in re edita, e quibus ipsa quaestio de iure huiusmodi Metropolitae solvi potest.

Tamquam basis circa quam versabatur tota controversia erat decretum SCPF. de anno 1624, quo SC. monachis in congregationem unitis: « facultatem concessit eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem seu Protoarchimandritam ». Quisnam tamen ille po-

Alexandri VII annullans c. Supr. — APF-CP, 1742, v. 91, f. 80; Congreg. gen. SCPF, 1667, 9, V. de cap. Beresten. 1667, — APF, *Acta*, 1667, v. 36, f. 129, n. 24.

³³ Cap. Zyrovic, 1675, s. 3 — AS, t. XII, p. 111.

³⁴ Idem capitulum et cap. Zyrovic, 1679, s. 5 — *ibid.*, p. 117.

³⁵ *Ibid.*, p. 191.

³⁶ *Bullae et brevvia*, P. I, p. 62; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 66.

³⁷ AS, *Ibid.*, p. 198.

³⁸ APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 233.

³⁹ AS, *ibid.*, p. 123-126; APF-CP, 1680-97, v. 29, ff. 296-300.

tuit esse? Verumquidem in capitulo primo novae Congregationis anno 1617 celebrato ab officio Protoarchimandritae quisquam Episcopus exclusus est. Ex historia tamen quaestionis praesentis scimus, S. Congregationem in subsequenti, modo citato, suo decreto, quod post illud capitulum et in relatione ad illud editum est, decidere de subiecto iuris vocis passivae in electione Protoarchimandritae noluisse, hinc in forma generali monachis: « facultatem concessit eligendi sibi... unum Generale ». Quodque fecit de industria in relatione ad praedictam capituli constitutionem. Quod vero ultimum patet e documentis posterioribus SCPF. Cum enim anno 1688 monachi Basiliani decretum a SCPF, quo tum Metropolita, tum Episcopi ab officio Protoarchimandritae excluderentur, peterent, S. Congregatio illud edere noluit rationi praecipue inhaerendo, quam Card. Columna in voto suo retulit, quodque S. C. uti suum recepit: « Quarto fanno istanza che si determini, che nè il Metropolita, nè altro Vescovo possino essere eletti per Protoarchimandrita. - Nel cap. g.le del 1617 i monaci fecero un simil Decreto, ma la Sede A.pa non volse confermarlo, l'onde molto meno deve farsi hora un simil Decreto, ma lasciare a monaci la libertà ». ⁴⁰ Quando autem S. Sedes non voluit confirmare constitutionem capituli de anno 1617? Non nisi in supra dicto decreto, cum concedendo monachis facultatem eligendi sibi Protoarchimandritam non determinaret, quisnam in eum eligi possit. Quo pacto reliquit monachis libertatem. Et hoc sensu intellexit decretum SCPF. capitulum Vlnense 1636, prout ex eius actis enucleatur: « Postea lectum est decretum Congregationis Romanae de Propaganda Fide, quo ad preces Illustrissimi Patris Metropolitae nostri concessa est in perpetuum religiosis nostris libera electio Protoarchimandritae Ordinis nostri ». ⁴¹ De facto vero vi eiusdem decreti PP. Capitulares eodem capitulo Episcopum Raphaëlem Korsak, qui officio protoarchimandritali renuntiare voluit, in eodem confirmarunt. ⁴²

De libera electione Protoarchimandritae sermo est etiam in cautione subscripta a Metropolita Antonio Sielava: « Nos infrascripti... cavemus hoc scripto nostro, quod electio praesens R.mi P.ris Metropolitae... non debet liberae electioni pro futuro Religiosis regulae S. Basilii in ullo praeiudicare ». ⁴³

Huic sensui praedicti decreti non obstant cetera decreta a S. Sede emanata. In Brevi enim Alexandri VII « *Sollicitudo Pastoralis* » nec capitulum, neque electio Metropolitae in Protoarchimandritam nulla declaratur, sed tantum novum capitulum, « minime attentis duobus prioribus », Nuntio Ap. convocandum committitur, in quo hic procuraret, ut « electio Protoarchimandritae de persona alicuius monachi expresse professi dicti Ordinis... fiat ». ⁴⁴

⁴⁰ APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 284-5.

⁴¹ AS, t. XII, p. 44.

⁴² Ibid., p. 39.

⁴³ APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 248.

⁴⁴ *Bullae et brevia*, P. I, p. 58.

In secundo suo Brevi in eadem causa edito, Alexander VII novum capitulum et electionem Protoarchimandritae de persona Metropolitae factam nullam fuisse declaravit quidem, at causam huius nullitatis adducit non inhabilitatem Metropolitae, sed illegitimitatem capituli.⁴⁵

Item Innocentius XI in Brevi suo « *Ad Apostolatus* » « cassat, irritat, invalidat, annullat » non principaliter electionem Metropolitae in Protoarchimandritam, sed capitulum, quod contra conventionem coram Nuntio initam et absentibus officialibus Ordinis atque maiori parte Episcoporum celebratum est. Verum quidem in eodem Brevi adest unus passus, qui inhabilitatem Metropolitae ad officium Protoarchimandritae enuntiare videtur scil.: « quamvis autem dictus Opitius, Archieppus et Nuntius, de his edoctus eundem Archieppum Kioviensem per epistolam exhortatus fuerit, ut serio consideraret electionem de sua Persona in Superiorem Generalem sic factam ex eo praesertim, quod Ipse Archiepiscopali Dignitate insignitus reperiretur, non posse subsistere... », ⁴⁶ attamen hic Pontifex solummodo verba Nuntii refert, quae non facit sua, secus enim eo ipso electionem Metropolitae in Protoarchimandritam nullam declarasset.

In fine eiusdem controversiae SCPF. ad convocandum capitulum Novogrodense 1686 eodem Nuntio Ap. decretum suum mittens, rem clare determinavit, nam decrevit, ut Nuntius « curet, quod non eligatur metropolita, sed potius electio cadat in Personam alicuius monachi », ⁴⁷ Particula « potius » clare indicatur, de cetero tum Metropolita tum simplex monachus eligi potuisse.

Denique finitis controversiis et praxi iam stabilita, secundum quam nonnisi simplex monachus in Protoarchimandritam eligebatur, SCPF. interpellata, ut decreto suo declararet, nec Metropolitam, nec alium Episcopum in Protoarchimandritam eligi posse, facere hoc noluit, sed monachis, prout supra de Card. Columna exposuimus, libertatem reliquit.

Hisce autem omnibus documentis comparatis sequentes conclusiones in quaestione praesenti effluunt:

1° Metropolita ius exclusivum ad vocem passivam in eligendo Protoarchimandrita non habuit. In controversiis quaedam monachorum factiones, Metropolitae adulantes, contrariam opinionem tenebant.⁴⁸

2° Nunquam tamen S. Sedes Metropolitam aut Episcopum ad hoc officium ratione dignitatis episcopalis inhabilem declaravit, usque ad Benedictum XIV.

3° Tendentia tamen S. Sedis semper erat, ut in Protoarchimandritam simplex monachus eligatur.

4° Norma autem vigeat libertatis seu liberae monachorum elec-

⁴⁵ « *Alias per Nos* » — APF-CP, 1742, v. 91, f. 80.

⁴⁶ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 66.

⁴⁷ APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 233.

⁴⁸ Cfr. e. g. cap. Supraslien, 1665 — AS, t. XII, p. 81.

tionis, qui enim quem voluissent sive simplicem monachum, sive Metropolitanam sive quemvis Episcopum Ruthenum in Protoarchimandritam eligere valide potuerunt.

5° Titulus denique, qui pro hac habilitate tum Metropolitanæ, tum Episcopis suffragabat, erat professio religiosa in Ordine Basiliano, quam illi omnes emittere debebant et qua emissa, etiamsi ad dignitatem episcopalem evecti, membra eiusdem Ordinis reputabantur et remanebant.⁴⁹

Huiusmodi rerum status, quo scil., etiamsi post annum 1675 in praxi nonnisi simplices monachi in Protoarchimandritam eligerentur, de iure tamen voce passiva in eadem electione iidem monachi, etiamsi ad dignitatem episcopalem evecti, gaudebant, usque ad finem primæ periodi perduravit. Res tamen mutatur ipsis primordiis secundæ periodi. Nam iam ante duarum Congregationum in unum Ordinem unionem, decreto scilicet SCPF., anno 1742 edito, quo unio illa præcepta est et simul relatio futuri Ordinis ad Metropolitanam et Episcopos ordinata est, etiam quaestio vocis eiusdem passivæ clare determinata et soluta est. Sub numero enim secundo dicti decreti statuitur: « Ideoque suo tempore habeatur Capitulum generale pro eligendo novo Generali seu Protoarchimandrita totius Ordinis, qui sit Monachus expresse professus et non Episcopus ». Sub numero denique quarto idem principium expresse relate ad Metropolitanam repetitum est: « Eidem Capitulo Generali præsideat Metropolitanus Russiae, qui tamen in Generalem seu Proto-Archimandritam Ordinis eligi non possit ».⁵⁰

Quod decretum tamquam norma pro tota secunda periodo erat.

B. - QUAESTIO II.

De Metropolitanæ, qua Metropolitanæ, in Ordinem Basilianum potestate.

Ex hucusque explicatis patet Metropolitanam in Protoarchimandritam electum esse potuisse, quo pacto potestatem officio Protoarchimandritæ adnexam super totam monachorum Congregationem eo ipso obtineret. Nunc autem quaestio movetur, utrum, quaenam et quo iure potestas super eandem Congregationem, præter ius illud vocis passivæ in electione Protoarchimandritæ, Metropolitanæ, qua Metropolitanæ competeret.

Ad quam vero quaestionem solvendam atque clare exponendam imprimis primam periodum a secunda distinguimus et dein in illa triplicem iuridicam phasim, quibus potestas huiusmodi diversimode determinatur, designamus.

⁴⁹ Aliquando hic titulus in electione Episcopi in Protoarchimandritam in capitulis a monachis expresse advocabatur; cfr. e. g. cap. Zyrovic, 1661, s. 4 — AS, t. XII, p. 67.

⁵⁰ *Bullae et brevia*, P. I, p. 73.

PERIODUS PRIMA: 1617-1743

§ 1.

PRIMA PHASIS IURIDICA AB ANNO 1617 AD ANNUM 1624.

Prima phasi iuridica Metropolita super monachorum Congregatione, qua Congregatione, omnem potestatem habuit ita, ut illam etiam supprimere potuerit saltem ad momentum, quo monasteriis propriae dioeceseos in Congregationem unitis monasteria alterius dioeceseos annexa sint. Ab hoc enim momento alter Episcopus cum suis monasteriis opus incoeptum continuare potuisset.

Ex altera parte etiam monachi libere in hanc Congregationem ingressi sunt ita, ut neque ipse Metropolita in illam ingrediendam eos cogere ius habuerit. Nam Metropolita illo momento super monachis tantum potestatis habuit, quantum ei lex seu ius Ecclesiae Ruthenae actuale concedebat, scilicet Metropolita iurisdictionem habuit, ut ceteri Episcopi Rutheni super singula monasteria propriae dioeceseos, secundum disciplinam communem orientalem, vi cuius Superiores, salvo iure tertii, instituere, monasteria visitare, monachorum recursus recipere, observationem constitutionum sive secundum ius religiosorum Ruthenorum commune sive unicuique monasterio proprium urgere potuit. Sed mutare totam disciplinae religiosorum structuram, iurisdictionem Metropolitae excedebat. Secundum vero disciplinam orientalem communem singula monasteria ius habebant ad singularem autonomiam conservandam, quodque ius laedere non solum Metropolita non potuit, sed etiam de facto ipsa SCPF. in decreto suo novam Congregationem confirmante ius praedictum minime non respexit. In decreto enim suo S. Congregatio nullam monachis obligationem in Congregatione uniri imposuit, sed ius tantum concessit. In decreto enim expresse dicitur: «quod si fecerint», ergo de cetero potuerunt etiam non facere. Qua de causa per totam hanc periodum ad latus novae Congregationis vidimus etiam monasteria singularia, quae iure antiquo reguntur.⁵¹

Libere monachi a Metropolita, sine cuius consensu id facere non potuissent, in Congregationem uniti sunt et in quantum uniti omnimoda potestati Metropolitae subiecti erant. Nam Metropolita semper urgere potuit, ut antiqua disciplina religiosa secundum ius Ecclesiae Ruthenae observetur. Unio ergo monachorum in Congregationem sub po-

⁵¹ In diversis capitulis huius periodi vidimus quomodo et quando singula monasteria novae Congregationi incorporantur:

a) Cap. Ruthaensi, 1623, accedunt monasteria dioeceseos Polœcensis S. Josaphat — AS, t. XII, p. 30.

b) Cap. Vilnen, 1636, s. 14: incorporatur m. Dermanense — *ibid.*, p. 43.

c) Cap. Bythenien, 1657: incorporatur m. Lublinense — *ibid.*, p. 53.

d) Cap. Zyrovicen, 1661, s. 7: incorporantur mm. Zydzynense et Cholmense — *ibid.*, p. 71.

testate Metropolitanae libera erat ex utraque parte. Ius autem antiquum per hanc unionem vim suam non amisit.

Haec Metropolitanae ad monachos et viceversa iuridica relatio in hunc modum concepta probatur etiam verbis Benedicti XIV, qui in decretali «*Inter plures*» de nova Congregatione a Metropolita Rutzkyj efformata in eodem sensu loquitur: «cumque bene nosset huiusmodi unionem seu congregationem minime canonicam esse aut haberi posse absque auctoritate et beneplacito Sedis Apostolicae, ad hanc ipsam debitum habuit recursum, atque opportunam ab ea obtinuit approbationem».⁵²

Usque ergo ad decretum SCPF. 1624 unio monachorum non erat canonica, non erat enim in potestate Metropolitanae ius antiquum mutare, quod vim suam non amisit. In praxi vero, cum tum Metropolita, tum monachi ad communem finem sine dubio non sine scitu S. Sedis Ap. conspirarent, ius antiquum a neutra parte urgebatur.

§ 2.

SECUNDA PHASIS IURIDICA AB ANNO 1624 AD ANNUM 1720.

Evenit nunc decretum SCPF. anno 1624, quod vidimus supra.⁵³ Hoc decreto emanato atque monachorum Congregatione per plures dioeceses diffusa duo facta in relatione eiusdem Congregationis ad Hierachiam animadvertuntur, quorum causa iuridica ad huiusmodi relationem recte concipiendam necessarie explicari debet. Quae facta sunt:

1) Episcopi, qui vi iuris orientalis olim iurisdictione super monasteriis propriae dioeceseos gaudebant, post hoc decretum in monasteria Congregationi incorporata illam perdunt seu monachi in Congregatione uniti ab eorum potestate eximuntur.

De hoc facto clare iam ipse Metropolita Rutzkyj attestat, dum in suis «Regulis Episcoporum»⁵⁴ Episcopis commendat «ut in suo quisque epi-

e) Cap. Minscen. 1683, s. 2: testatur de m. Mielecensi e schismate converso, quod sub potestate solius loci Ordinarii remansit, non imposita eidem a Nuntio Ap. obligatione Congregationi SS. Trinit. incorporandi, *ibid.*, p. 190.

f) Cap. Novogrod., 1686, s. 4: confirmatur incorporatio m. Cholmensis; *ibid.*, 125.

g) Cap. Zyrovic. 1694, s. 4: incorporantur mm. Chomscense, Usacense, Pustynense, *ibid.*, p. 134.

h) Cap. Bythenien. 1698, s. 5: incorporantur mm. Markoviense, Kronense, Jewscense; *ibid.*, p. 139.

i) Cap. Novogrod. 1703, s. 2: incorporatur m. Cerpskense; *ibid.*, p. 144.

k) Cap. Bilensi 1709, s. 2: incorporantur mm. Borunense, Rakoviense, Verchoviense, Mirskense, Dobryhorensense, Daroviense, Zahoroviense; alia ob defectum fundi non incorporantur: i. e. Tuminense, Kluksztianense, *ibid.*, p. 137-9.

⁵² DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 143, s. 2.

⁵³ P. 64.

⁵⁴ Cum in primo capitulo constitutum sit (AS, t. XII, p. 17), ut Metropolitanae et Episcopis regulae praescribantur, quodque in ceteris capitulis urgetur (*ibid.*, p. 35, 37), scripsit ipse Metropolita Rutzkyj s. d. «Regulas Episcoporum», quae

scopatu unum saltem bene ordinatum habeat monasterium sub regimine protoarchimandritae, cui omnia monasteria subiacebunt ».⁵⁵

Eadem exemptio monachorum a potestate Episcoporum patet e constitutionibus synodi Cobrynensis a. 1626 celebratae et ab Urbano VIII anno 1629 confirmatae, ubi inter alia statuitur: « Religiosi Congregationis nostrae a nullo Episcoporum suscipiuntur, nisi expressa per litteras superiorum suorum facultate ».⁵⁶ Synodus haec claram facit distinctionem inter Superiores monachorum proprios et Episcopos in genere. Dein si monachi ab Episcoporum potestate exempti non essent, saltem in respectu ad monachos propriae dioeceseos Episcopis haec obligatio non imponeretur. Denique obligatio haec tangit solos Episcopos, non vero Metropolitanam.

Idem deducitur e capitulis monachorum, in quibus Episcopi moneantur ne sine litteris testimonialibus Protoarchimandritae monachos ad ordines promoveant⁵⁷ vel ne professionem eorundem sine licentia Metropolitanae recipiant.⁵⁸

2) Ex altera vero parte manifestum est, quidquid fuerit potestatis Hierarchiae supra monachos reorganisatos, id in potestate Metropolitanae concentratum esse. Unde quaestio oritur, quo iure potestas illa Episcoporum super monachis propriae dioeceseos ab Episcopis amota sit et in Metropolitanam translata?

Ad hanc quaestionem solvendam Petrov refugit ad privilegium regum olim a Sigismundo I Poloniae rege Metropolitanae Josepho Soltan concessum 1511 anno et postea immediate ante monachatus Rutheni reorganisationem a Sigismundo III Metropolitanae Rutskyj anno 1616 renovatum, vi cuius Metropolita omnem potestatem tum super Episcopis, tum super monachis omnibus Ecclesiae Ruthenae catholicae obtinisset.⁵⁹

Blazejowskyj vero asserit, Episcopus sua iurisdictione in Religiosos in favorem Metropolitanae tacite renuntiasset, vi cuius renuntiationis Metropolita iurisdictionem in omnes monachos exercebat.⁶⁰

Jamvero, ut et ipsa exemptio ista certa nobis manifestetur et fons eiusdem indicetur tum circumstantiae, tum praesertim documenta illam spectantia videantur oportet.

Itaque imprimis animadvertimus, Metropolitanam Rutskyj, dum reorganisationem regiminis monachorum inciperet, prouti e primo capitulo

decem capita complectuntur respiciuntque praesertim vitam internam eorundem, relationem ad Ordinem et saeculares. Eaedem scriptae sunt in fine vitae M. Rutskyj, anno 1636 vel initio 1637, nam adhuc mense Augusto 1636 in cap. Vilnen. urgetur, ut scribantur, anno vero 1637 mortuus est M. Rutskyj. Earum tamen exemplar habetur nonnisi ex anno 1713, 23, XI, quo ex originali transcriptae sunt, prout e subscriptione Protoarchimandritae Procewycz constat (ibid., p. 210).

⁵⁵ Reg. Ep., c. IV, n. 1 — ibid., p. 204.

⁵⁶ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 118, n. IX.

⁵⁷ Cap. Bythen, 1657, s. 2 — ibid., p. 55; cap. Novogrod, 1671, s. 7, ibid.,

p. 105.

⁵⁸ Cap. Vilnen, 1667, s. 5 — ibid., p. 99, n. 30.

⁵⁹ PETROV, *Ocerk Istoriji Basilianskavo Ordiena*, in « TKDA » 1870, n. 12, p. 318. Vide illud p. 25.

⁶⁰ O. c., p. 21 et 112.

patet. Superiores e monasteriis ad proprias tantum dioeceses appertinentibus congregasse.⁶¹ Quo pacto Metropolita nullius Episcopi ius laedit, neque ullius eorum renuntiatio tacita requirebatur. Idem erat capitulo sequenti Lavryszivensi.⁶² Capiulo tertio Ruthaensi 1623 vidimus iam Superiores etiam e monasteriis dioeceseos Polocensis i. e., ubi S. Josaphat Archiepiscopus erat, qui huic capitulo personaliter intererat paucis mensibus ante suum gloriosum martyrium.⁶³

Interea Metropolita mandat Romam memoriale, quo « cum suis Episcopis » ad extirpandum schisma exigentiam monachorum OSBM. in Congregationem SS. Trinitatis Unitorum indicat, atque eiusdem Congregationis confirmationem petit.⁶⁴ Ad quod memoriale SCPF. suo decreto de die 4 Octobris 1624 respondit, quo « Convenientissimum esse censuit, ut monachi Rutheni uniti in congregationem redigantur, quod si fecerint eisdem concessit »...⁶⁵

Haec verba S. Congregationis non tantum desiderium eiusdem expriment, ut scilicet monachi in Congregationem uniantur, sed sunt simul collativa iuris seu omnibus monachis Ruthenis cum Sede Ap. unitis in cuiuscumque Episcopi non degerent dioecesi verum et plenum ius concedunt in Congregationem simul cum eorum monasteriis uniri ita, ut post hoc decretum iam nemo Episcoporum in praedicto iure effectuating illos impedire posset. Quo pacto monachi ab illo momento citra omnem Episcoporum consensum in Congregationem uniri potuerunt, sive singuli, sive communitates completae cum eorum monasteriis.

Dato ulterius, quod monachi in Congregatione uniti regimen proprium vi eiusdem decreti accipiunt, ideoque eo ipso ab iurisdictione Episcoporum eximuntur, ea praecipue ratione, quod regimen monachorum proprium, utpote sub uno Superiore generali stricte centralisatum absolute cum illa antiqua, primoeva iurisdictione singulorum Episcoporum componi non potuit.

Emanato ergo praedicto S. Congregationis decreto iam nullius ex parte Episcoporum quoad iurisdictionem in religiosos renuntiationis sive expressae sive tacitae opus fuit. Sed neque renuntiatio praeventiva, si quae esset, momentum aliquod iuridicum hic haberet. Nam decretum illud independens est a quacumque renuntiatione seu non est alicuius renuntiationis confirmatio, sed valet autonomum.

Verum quidem, re historice spectata, adest factum, quod Episcoporum tacitam renuntiationem indicaret i. e. illud memoriale Metropolitanae Rutskyj, ubi mentio fit etiam Episcoporum « cum suis Episcopis ». Sed essent-ne omnes? De uno tantum scimus, quem certe ante decretum huiusmodi tacite monasteriis suis renuntiasset nempe S. Josaphatum. De cetero copia illius memorialis contemporanea nullius

⁶¹ Cfr. acta cap. AS, t. XII, p. 7 et elenchum monasteriorum cum adnotatione dioeceseos in ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, v. 110, f. 13.

⁶² AS, *ibid.*, p. 17-27.

⁶³ *Ibid.*, p. 27 et 30.

⁶⁴ Cfr. supra p. 63.

⁶⁵ Vide supra p. 64.

Episcopi subscriptionem continet.⁶⁶ Ex altera parte documentum habetur e quo patet Episcopus exemptionem monachorum ab eorum potestate aegre tulisse, nam inter puncta ipsius Metropolitanae Rutskyj in cap. Vilnensi 1636 etiam hoc habetur « Episcopi et Archiepiscopi minantur, se post mortem metropolitae monasteria de potestate Congregationis Vilnensis eripere velle ».⁶⁷

Sed quomodo historice res se non haberet, nullo tamen modo tamquam factum iuridicum, quod exemptionis monachorum a potestate Episcoporum fons erat, dici potest tacita Episcoporum renuntiatio, si clarum et positivum huius rei documentum habetur nempe praedictum SCPF. decretum. Nam « non sunt multiplicanda entia sine ratione ».

Vidimus iam per decretum praedictum monachos ius accepisse in Congregationem uniri, cuique iuri nec Metropolita, nec Episcopi in posterum opponi potuerunt. Vidimus etiam per decretum praedictum Episcopos a regimine monachorum exclusos fuisse. Quaestio adhuc remanet, num eodem modo ac Episcopi etiam Metropolita per hoc decretum a regimine monachorum exclusus sit?

Ratio evidens, cur Episcopi decreto illo a regimine monachorum exclusi sint, erat impossibilitas et pristinam Episcoporum in singula monasteria iurisdictionem retinendi et simul regimen monachorum proprium centralisatum, decreto indicatum servandi. Metropolita vero, cui unico tamquam Ecclesiae Ruthenae capiti novae Congregationis constitutionibus, ad quas ferendas decretum praedictum facultatem monachis concessit, potestas super tota Congregatione agnita est, in meliori Episcoporum conditione inveniebatur; potestas enim haec cum regimine Congregationis centralisato componi potuit. Praeterea viginti post annos data est a S. Sede authentica declaratio decreti praedicti, qua potestas illa Metropolitanae super Ordine Basiliano agnita et confirmata est.

Ut autem mens hius declarationis nobis patere atque recte exponi possit, imprimis totus processus ad illam praeparatorius videri debet.

Orto dubio de sensu decreti SCPF. ex anno 1624 eo, quod monachi, insi-
stendo rationi, quod ius ad proprium sub uno Protoarchimandrita regimen habeant, omnimodam exemptionem asserebant, Metropolita secundus post Vela-
minum Rutskyj scil. Antonius Sielava, quem vidimus, monachi initio in Proto-
toarchimandritam eligere noluerunt, tramite Episcopi Cholmensis Methodii Ter-
leckyj anno 1643 S. Sedem rogavit, ut praedicto decreto sequens clausula ad-
detur: « et praedicta omnia intelligantur sine praeiudicio antiquae ac ordina-
riae iurisdictionis Metropolitanae Russiae pro tempore in Monachos praedictos
eorumque Hegumenos, Archimandritas ipsumque Protoarchimandritam, cui S. Cong-
regatio nullo modo per decretum praedictum derogare aut illam deminuire in-
tendit ».⁶⁸

Die 15 Junii 1643 in congregatione generali SCPF decidit: « Congregatio

⁶⁶ Copia haec sola, non originale, extat in APF, *Memoriali 1624*, v. 384, f. 503.

⁶⁷ AS, t. XII, p. 38.

⁶⁸ APF, *Acta*, 1642-43, v. 15, f. 361.

censuit addendam esse praedictam clausulam iuxta petita, cum monachi Basiliiani Ritus Graeci in tota Graecia non sint a iurisdictione Ordinariorum exempti ».

Die 7 Augusti eodem anno eiusdem Congregationis: « Patres primum illud emendarunt deleto verbo antiquae, illudque hoc modo accomodarunt - et praedicta omnia (id est ea, quae continentur in decreto S. Congr. de Propaganda Fide circa electionem et iurisdictionem dicti Generalis) intelligantur sine praeiudicio ordinariae iurisdictionis, quae de iure et consuetudine competebat Metropolitae Russiae pro tempore et postea praefati Patres animadvertentes huiusmodi negotium esse maturius considerandum iusserunt in sequenti Congregatione afferri Breve, vel Decretum praefatae S. Congregationis circa electionem et iurisdictionem praedicti Generalis seu Protoarchimandritae atque etiam capi informationes circa usum ac praxim praedicti Brevis seu Decreti ».⁷⁰

Die 14 Augusti eiusdem anni in congregatione particulari: « Congregatio audito alio decreto, quo Sanctitas Sua denegavit praefatis Monachis communicationem privilegiorum Regularium, censuit in primis posse addi in fine praedicti decreti de Generali alteram ex infrascriptis clausulis videlicet: In cuius quidem decreti editione intentio Sanctitatis Suae fuit et est Monachos Ruthenos unitos redigere in Congregationem sub Generali seu Protoarchimandrita, ut Regularis disciplina eorum melius dirigatur et in ceteris nihil innovare; vel: In cuius quidem decreti editione Sanctitas Sua declaravit et declarat intentionem suam non fuisse nec esse praeiudicare iurisdictioni Metropolitae Russiae pro tempore, sed tantum Monachos praedictos in Congregationem sub Generali seu Protoarchimandrita redigere, ut melius Regularis eorum disciplina dirigatur ».⁷¹

Die 28 Augusti eiusdem anni: « Fuit Congregatio Particularis Ruthenorum...

In ea 1° relatis decreto circa generalem seu Protoarchimandritam monachorum Ruthenorum S. Basilij Unitorum et additione duobus modis concepta, quam Metropolita Russiae pro conservanda sua iurisdictione in praedictos monachos praefato Decreto adiici petebat, Congregatio audito oretenus Rpd. Eppo Chelmsi Rutheno unito censuit additionem, ut infra notatur, decreto praedicto esse subiiciendam scil. In cuius quidem additione Sanctitas Sua sub die... declaravit, intentionem suam fuisse, monachos praedictos in Congregationem sub Generali seu Protoarchimandrita redigere, ut Religio praedictorum monachorum melius gubernetur et Metropolitae pro tempore non praeiudicare in iis, quae illi de iure competunt ».⁷²

Die 28 Septembris eiusdem anni: « Fuit Congregatio in Vaticano coram SS...

Referente eodem E. D. Card. Pamphilio decretum Congregationis Particularis Ruthenorum circa Protoarchimandritam Ruthenorum Unitorum S. Dom. Noster illud probavit additis in fine verbis: « aut in futurum competent ».⁷³

Metropolitae vero communicata est haec ultima Pontificis declaratio et simul aliud decretum S. Congregationis, quod sub die 15 Junii 1643 editum esse inscriptum est, prout e capitulo Novogrodensi 1686 patet, ubi haec duo lecta sunt.⁷⁴ Tenor ultimi decreti secundum acta capituli praedicti sequens esse deberetur:

« et praedicta omnia intelligantur sine praeiudicio ordinariae iurisdictionis, quae de iure et consuetudine Metropolitae Russiae pro tempore competit in monachos et eorum Hegumenos, Archimandritas ipsumque Protoarchiman-

⁶⁹ Ibid.

⁷⁰ Ibid., f. 399.

⁷¹ Ibid., f. 400-1.

⁷² Ibid., f. 416.

⁷³ Ibid., f. 400.

⁷⁴ AS, t. XII, p. 112; APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 297.

dritam, cui S. Congregatio nullo modo per decretum praedictum derogare aut deminuire intendit. - Congregatio censuit addendam esse praedictam clausulam cum monachi Graeci in tota Graecia non sint a iurisdictione Metropolitana exempti.⁷⁵

Evidens est decretum hoc, etiamsi sub data 15 Junii 1643 editum esse inscriptum sit, diversum tamen omnino ab illo de die 15 Junii esse. Nam imprimis omissum est in hoc ultimo verbum: «antiquae» uti in illa prima redactione 15 Junii de facto erat: dein addita sunt verba «de iure et consuetudine» e redactione diei 7 Augusti desumpta; praeterea verbum ultimo citatae redactionis «competebat» correctum est in «competit»; denique verbum «Ordinariorum», quod in redactione diei 15 Junii erat, correctum est in «Metropolitana». Hinc patet decretum illud Metropolitanae transmissum, etiamsi cum data 15 Junii habeatur, in hanc tamen formam modificatum nonnisi post omnes illas diversas ipsius decreti de die 15 Junii subsequentes redactiones editum esse supponi debere. In APF in volumine decretorum illud non invenitur, neque alibi idem invenire potui praeter praedictum capitulum. Mentio tamen huiusmodi decreti secundum formam ultimo receptam fit in posterioribus documentis, ita ut eius existentia sit indubia; salvo tantum ultimo verbo mutato scil. «Metropolitana», eo, quod monachi contendebat debere esse «Ordinariorum» et in «Metropolitana» ab ipso Metropolita adulteratum fuisse.⁷⁶

Perlectis omnibus hisce decreti redactionibus, ipso decreto communicato et declaratione Pontificia iam enucleari nobis potest difficultas argumenti tractati, quae autem in eo consistebat, quod nova monachorum Congregatio, cui disciplina Ecclesiae latinae applicata est, novum ens iuridicum, novum institutum iuridicum in iure Ecclesiae Ruthenae, cuius cetera alia instituta iuridica antiquam disciplinam orientalem retinuerunt, constituit. Qua de causa illico orta est in praxi et in iure quaestio de relatione inter novum ens iuridicum et cetera instituta antiqua, puta praesertim Hierarchiam Ecclesiae Ruthenae. Relatio autem haec explicari non potuit neque principiis iuris Ecclesiae Ruthenae, neque principiis Ecclesiae latinae sine praeiudicio alterutrius partis. Propterea vero quod illud novum institutum iuridicum approbationem a S. Sede accepit, ideoque etiam haec relatio nonnisi ab eadem S. Sede ordinari debuit. Et S. Sedes post tot deliberationes et diversas decreti et declarationis formas illam relationem saltem quoad generales normas determinavit. Ut autem hae recte exponantur, quaedam praenotanda sunt:

1) Clausula a S. Congregatione decreto anni 1624 addita magis explicativa est et mentem ipsius declarationis Pontificiae reddit.

2) Utraque vero (scil. clausula et declaratio) ita cum decreto SCPF anni 1624 coniuncta est, ut tamquam iam anno 1624 simul cum decreto illo edita esse censenda sit seu consideranda sit uti authentica et comprehensiva decreti illius interpretatio.

3) Tum decretum ex anno 1624 tum totus hic actus eiusdem declarativus non sine relatione ad constitutiones Congregationis SS. Tri-

⁷⁵ Ibid.

⁷⁶ APF-CP, 1755, v. 120 f.

nitatis a Metropolita Rutzkyj compositas consideranda sunt, ad quarum enim calcem de facto illa edita sunt.

Consideratis autem hisce omnibus relatio inter Ordinem et Metropolitam a S. Sede in hunc modum ordinata est:

I. Imprimis positum est primum principium de meliori gubernatione monachorum in unam Congregationem unitorum decreto SCPF. ex anno 1624 et ab Urbano VIII approbato 1631.

II. Dein positum est secundum generale principium de subiectione eorundem monachorum non iam respectivis locorum Ordinariis, sed soli Metropolitae.

III. Ambitus huiusmodi iurisdictionis Metropolitanae usu et praxi praesertim determinatur.

Ad I. Ratione primi principii servari debuit ea omnia, quae in decreto ex anno 1624 « ad meliorem monachorum gubernationem » a S. Sede constitutum est. Hinc non erat amplius in potestate Metropolitae:

- 1) nec Congregationem, qua talem suppressere,
- 2) nec in ea formam regiminis centralisati mutare,
- 3) nec munus Generalis abolere aut in se ipsum transferre,
- 4) nec eius potestatem ita diminuire, ut cesset ratio Superioris Generalis,

5) nec capitula generalia singulis quadriennis convocanda prohibere,

6) nec eidem potestatem legislativam privativam adimere,

7) nec denique constitutionibus capitularibus legitime latis vim interea obligandi antequam a Rom. Pontifice approbentur adimere.

Ad II. Ratione secundi principii in actu declarativo ex anno 1643 expressi, iurisdictioni solius Metropolitae subiecti sunt omnes monachi Congregationis noviter constitutae sive in Metropolitana sive in aliorum Episcoporum dioecesibus degentes et quidem non tantum monachi et instituta regiminis antiqua, verum etiam nova a S. Sede adprobata, nam in clausula ad decretum ex anno 1624, non tantum Archimandritae et Hegumeni seu instituta antiqua, verum etiam Protoarchimandrita iurisdictioni Metropolitae subiecti declarantur.

Ratio autem, propter quam S. Congregatio huiusmodi subiectionem decrevit, erat principium generale disciplinae orientalis, vi cuius monachi orientales ab Ordinariorum potestate exempti non sunt. Quod vero principium, spectata illa « meliori monachorum gubernatione » eo salvatur, quod omnes Basiliani Rutheni non iam quidem singulis locorum Ordinariis, sed unice Metropolitae subiiciuntur, quo pacto et principium praedictum orientale de non exemptione monachorum conservatum est et regimen monachorum centralisatum salvatum.

Ad III. Quoad ambitum denique huiusmodi iurisdictionis metropolitanae super monachis reorganisatis item norma generalis posita est. Verumquidem declaratio Pontificia in forma negativa est expressa seu « non praeiudicatur eis, quae Metropolitae actu competunt ». Ex toto tamen processu illo declarativo etiam ad ambitum competentiae metropolitanae determinandum deveniri potest, et quidem:

- 1) sub competentia, de qua supra, imprimis intelligenda non est

iurisdictio sola illa antiqua. Nam antiqua iurisdictio Metropolitae, quae ei vi iuris orientalis competebat super monachis nec sufficiens nunc erat, nec in toto servari potuit.

a) Non erat sufficiens propterea quod, cum prius Metropolita, uti ceteri Episcopi, iurisditione gauderet in singula monasteria propriae tantum dioeceseos, nunc ipsi subduntur etiam monasteria in dioecesis aliorum Episcoporum sita. Dein etiam propterea, quod nova instituta iuridica a S. Sede confirmata, quae antea non existebant, uti Protoarchimandrita et capitulum eidem subiiciuntur.

b) Sed neque in toto conservari potuit. Nam etiamsi vi antiquae iurisditionis Metropolita potestate gauderet super Archimandritis et Hegumenis propriae dioeceseos, nunc illi pristinam relationem cum Metropolita in toto servare non possunt, ingressi enim sunt in Congregationem cum regimine centralisato et subesse debent simul et Protoarchimandritae; quod eo vel magis de ceteris monachis dicendum est.

Hinc est, quod iuste in diversis praedictae declarationis redactionibus tam caute et diligenter eliminatur omne id, quod solam illam antiquam Metropolitae iurisditionem indicaret e. g. in redactione 7 Augusti « Patres primum illud emendarunt deleto verbo « antiquae ». Neque redactio 14 augusti cum passu « in ceteris nihil innovare » recepta est. Idem indicat etiam mutatio verbi « competebat » in « competit » (15 Junii) vel in declaratione Pontificia « competunt aut in futurum competent », non vero « competeabant » (28 Sept.).

2) Illa vero, quae Metropolitae competunt, secundum illum actum declarativum, intelligenda sunt ea omnia, quae tunc actu de iure Metropolitae competeabant. « De iure » autem competeabant non tantum illa, quae vi legis sive positive latae sive consuetudine introductae eidem competeabant, verum etiam vi legitimi usus et praxeos vel contractus, qui nondum vim legis saltem consuetudinariae obtinuerunt. Hinc ad competentiam illam Metropolitae super nova Congregatione Basiliiana determinandam videnda est tota praxis inde a Metropolita Rutskyj in relatione ad Basilianos recepta.

Ad hanc conclusionem devenimus non tantum consideratis simul tum decreto ex anno 1624 (1631) et ultimo actu declarativo ex anno 1643, eo praecipue, quod illa ad calcem constitutionum novae Congregationis sunt lata, verum etiam nec desunt hac in re argumenta ex ipsius S. Sedis agendi ratione in toto illo processu declarativo servata desumpta.

In secunda enim decreti declarativi SCPF. redactione (7 Augusti) finalis decisio erat: « et postea praefati Patres animadvertentes huiusmodi negotium esse maturius considerandum iusserunt in sequenti Congregatione afferri Breve vel Decretum praefatae S. Congregationis circa electionem et iurisditionem praedicti Generalis seu Protoarchimandritae atque etiam capi informationes circa usum et praxim praedicti Brevis seu Decreti ».

Dein eadem S. Congregatio antequam ultimam et de facto receptam formam declarationis Pontificiae edat, clare et expresse indicat, se hanc declarationis formam composuisse: « audito oretenus Rdp. Ep-
po Chelmsensi Rutheno unito » circa usum scil. et praxim receptam.

In hac vero praxi, qua nova relatio Metropolitanae ad novam Congregationem Basilianam determinabatur, erant quaedam ex antiquis iuribus Metropolitanae ad monachatum Ruthenorum conservata, uti praesentatio Archimandritarum et Hegumenorum advitalium propriae dioeceseos, quaedam novis privilegiis regiis concessa, uti praesentatio candidatorum ad omnes dignitates Ecclesiae Ruthenae regii patronatus, inter quas etiam archimandritatus et hegumenatus intelligebantur, a Vladislao IV concessa. In ceteris autem novo usu et praxi in capitulis novae Congregationis relatio illa determinata est.

Decretum SCPF. 1624 editum est, cum iam usu et praxi relatio Metropolitanam inter et novam Congregationem Basilianam tam in primo, quam sequentibus capitulis introducta sit, cui illud secundum nuper expositam declarationem Romani Pontificis minime praeiudicavit.

Ex altera tamen parte nova haec relatio Metropolitanam inter et Congregationem SS. Trinitatis usu et praxi introducta per illam declarationem Pontificiam « non praeiudicandi » vim legis minime obtinuit, sed in suo robore pristino usus scil. et praxeos remansit. Hinc erat, quod usus ille et praxis sicut consensu utriusque partis introducta sunt, ita simili consensu mutari potuerunt, et quae de facto mutabantur. Hinc ergo est, quod in huiusmodi praxi, qua relatio Metropolitanam inter et Congregationem SS. Trinitatis per totam primam periodum determinabatur, duo eiusdem stadia distinguimus relate praecise ad eiusdem mutationes. Haec autem duo stadia inter terminos sequentes includimus:

a) ab anno 1617 - ad annum 1686,

b) ab anno 1686 - ad annum 1743,

scilicet dependenter a duobus capitulis, quae basim huiusmodi praxeos constituunt i. e. capitulum primum Novogrodovicense 1617 et Novogrodense 1686.

a) *Primum stadium praxeos.*

Basin, super qua relatio Metropolitanam inter et Congregationem SS. Trinitatis hoc stadio praxeos fundabatur, constituit quidem capitulum primum Novogrodovicense 1617, sed plura usu et praxi posteriori etiam diversa a constitutionibus paulatim determinata sunt.⁹⁷ Sine dubio hac in re ratio agendi Metropolitanae Rutskyj magnum momentum habet, eius tamen exemplum ad normam comprobendam non semper recte advocari potest. Ipse enim diu totam Congregationem rexit uti eiusdem Protoarchimandrita, hinc in quibusdam actibus determinandis difficultas oritur ex eo, quod non semper patet, quam potestate illos ponebat uti Metropolita scil. vel Protoarchimandrita. Ita e. g. anno 1684, 16 IX, Metropolita Zochowskyj coram Nuntio revocabat ad exemplum M. Rutskyj, qui « ipse in persona visitavit omnia coenobia

⁹⁷ In hac quaestione publicata est dissert.: « Dr. DMYTRO BLAZEJOWSKYJ, *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in clerum regularem*, Romae 1943 », - qua optime documenta historica circa questionem sunt collecta.

Volinensia et M. D. Litt. ac Russiae »; ⁷⁸ sine tamen determinatione temporis eiusdem visitationis. Eadem difficultas valet etiam quoad ceteros Metropolitas et simul Protoarchimandritas. Hinc uti criterium ad determinandam huiusmodi relationem adducitur hic tum capitulum primum, tum usus receptus sub Metropolita Rutskyj, sed ex tempore, quo in Protoarchimandritam iam simplex monachus electus est (1626), tum sub Metropolita Zochowskyj, sub quo Protoarchimandritae simplices monachi eligi incipiunt, tum denique alia documenta in quibus potestas Metropolitanae, qua Metropolitanae clare manifestatur.

Casus vero, qui secundum praxim huius stadii criterio praedicto ponderatam iurisdictionem Metropolitanae in monachos determinabant, quod singula interni monachorum regiminis instituta spectat, erant sequentes: ⁷⁹

I. Quoad capitulum generale.

1) Metropolita qua Metropolita capitulum generale convocabat. Verum quidem in constitutionibus primi capituli Metropolitanae reservata est convocatio capituli generalis electivi tantum seu quo Protoarchimandrita advitalis eligendus erat, ⁸⁰ capitula vero ordinaria, quae singulis quadrienniis celebrari debebant, a Protoarchimandrita convocanda erant, ⁸¹ de facto tamen, prout ex actis capitulorum patet, ipse Metropolita Rutskyj, constituto etiam alio Protoarchimandrita, ergo Metropolita qua Metropolita, omnia capitula convocabat. ⁸² In capitulo Zyrovicensi-Familicensis 1629 id quidem expresse non notatur, dum in genere exigua tantum detur eiusdem reassumptio, supponitur tamen, in quantum notatur Metropolitam Rutskyj fuisse eidem praesentem; ⁸³ sed clare notatur capitulo sequenti Vilenensi 1636: « Convocati sumus ex omnibus monasteriis superiores congregationis nostrae et aliqui e ceteris patribus ab Ill.mo patre pastore nostro domino Josepho Metropolita Kioviensi et totius Russiae, atque etiam et ab Excl.mo patre Raphaelae episcopo Pinscensi, protoarchimandrita ordinis sancti Basilii magni. ⁸⁴

2) Eisdem capitulis locum et tempus designat. ⁸⁵

3) Capitulis praesidet. ⁸⁶

De hisce duobus ultimis idem valet, quod de primo dictum est.

II. Quoad Protoarchimandritam.

1) In electione Protoarchimandritae, praeter ius ad vocem passi-

⁷⁸ Hoc argumentum etiam BLAZEJOWSKYJ facit suum, o. c., p. 133.

⁷⁹ Qua in re multum nos adiuverent illae secunda constitutione primi capituli conscribi decretae Metropolitanae erga Ordinem obligationes et regulae, quae tamen, etiamsi, ut conscribantur, urgebantur (AS, p. 37) nunquam de facto conscriptae sunt. Nota vero in AS, p. 46 de huiusmodi regularum conscriptione in capitulis 1642 et 1646 in documentis posterioribus confirmationem non habet.

⁸⁰ Cap. 1617 — AS, t. XII, p. 10, n. 12.

⁸¹ Ibid., p. 12, n. 19.

⁸² Ibid., p. 33.

⁸³ Ibid., p. 33.

⁸⁴ Ibid., p. 34.

⁸⁵ Ibid.

⁸⁶ Ibid.

vam, quod supra exposuimus, gaudet voce activa,⁸⁷ quae immo vim duorum votorum habet et in casu votorum aequalitatis decidit.⁸⁸

2) A Protoarchimandrita iuramentum oboedientiae recipit.⁸⁹

3) Ad normam synodi Cobrynensis 1626 anno celebratae et 1629 anno ab Urbano VIII confirmatae Protoarchimandrita rationem Metropolitanae de statu rerum suae religionis reddere debuit: « Dent operam Episcopi et Protoarchimandritae, ut quotannis per litteras cum Metropolitana conferant, significando de rebus ecclesiasticis et Metropolitana cum Sede Apostolica ».⁹⁰

4) Saltem quater in anno consultorium generale in praesentia Metropolitanae teneri debuit.⁹¹

5) Confessarios Episcopis et Metropolitanae designat quidem vel substituit Protoarchimandrita, conscio tamen et annuente Metropolitana.⁹²

6) Protoarchimandritam iudicare et graves ob causas, convocato capitulo, etiam deponere potest.⁹³

7) Denique de morte Protoarchimandritae ab huius confessario et simul Vicario Generali Metropolitana certior reddendus est.⁹⁴

III. Quoad archimandrias et Archimandritas.

A. 1) Erectio vel suppressio archimandriarum, quae in tituli archimandritalis cum iuribus eidem adnexis Superiori monasterii alicuius concessione vel denegatione consistebat, erat hoc stadio in potestate Metropolitanae. Regimini tamen centralisato praelaturae archimandritales tamquam inamovibiles et advitales erant contrariae. Ideoque mens⁹⁴ et tendentia⁹⁶ Metropolitanae Rutskyj erat archimandrias supprimere. Successores tamen Metropolitanae Sielava praesertim et Kolenda archimandrias non solum non supprimebant, verum etiam novas erigebant,⁹⁷ eo praecipue fine, ut postea in capitulis generalibus imprimis durantibus controversiis Metropolitanam inter et Ordinem Archimandritae, qui a Metropolitana immediate dependebant, hunc adiuvent et in genere Metropolitanam in eius propositis effectuantis sustineant. Sed quartus post Rutskyj Metropolitanus Zochowskyj statim primo capitulo sub suo pontificatu tres archimandrias a suo praedecessore noviter erectas suppressere constituit.⁹⁸ Notandum tantum est, hoc ius archimandrias erigendi vel supprimendi post privilegium Vladislai IV regis Poloniae, quod statim infra explicabitur, soli Metropolitanano Rutheno competebat non tantum respectu monasteriorum Congregationi SS. Trinitatis incorporatorum, verum etiam non incorporatorum.

⁸⁷ Cap. 1617, *ibid.*, p. 10, n. 12.

⁸⁸ *Ibid.*, n. 13.

⁸⁹ Cap. Zyrovic, 1675, s. 3 — *ibid.*, p. 111.

⁹⁰ DE MARTINIS, *o. c.*, P. I, v. I, p. 117, n. 8.

⁹¹ Cap. Novog. 1684, s. 2 — AS, t. XII, p. 196.

⁹² Cap. Novog. 1684, s. 4 — *ibid.*, p. 13, n. 22; Reg. Ep. c. IV, n. 2.

⁹³ Cap. 1617, s. 3 — *ibid.*, p. 11, n. 14.

⁹⁴ *Ibid.*, p. 12, n. 20.

⁹⁵ Cap. Lavrys. 1621 — *ibid.*, p. 23.

⁹⁶ Cap. Zyrov. 1675, s. 3 — *ibid.*, p. 110.

⁹⁷ Cap. Zyrov. 1661, s. 6 — *ibid.*, p. 69.

⁹⁸ Cap. Zyrov. 1575, s. 3 — *ibid.*, p. 111.

2) Inde vero ab anno 1668, 29, VIII per privilegium Joannis III Casimiri Poloniae regis Metropolita Ruthenus aliud etiam ius respectu archimandritarum obtinuit, nempe, hisce vacantibus, easdem administrandi.⁹⁹

B. 1) Praeterea quod ipsas personas Archimandritarum spectat, soli Metropolitae ius competebat candidatos ad archimandrias regi proponere. Nam in promotione Archimandritarum magnum momentum tunc habuit ius tertii seu patronatus. Fere omnes archimandriae erant iurispatronatus regii, quaedam vero quorundam magnatorum, vi cuius iurispatronatus tum regi tum magnatis ius erat candidatos ad archimandrias nominandi. Illis autem ex consuetudine candidati huiusmodi nominandi imprimis proponebantur. Ius vero ad hanc propositionem seu praesentationem, quae ante decretum SCPF. de anno 1624 etiam Episcopis quoad archimandrias in eorum dioecesibus sitis competebat, immo in praxi etiam privata auctoritate huiusmodi praesentatio fiebat, post praedictum decretum in monasteriis Congregationi SS. Trinitatis incorporatis consequenter in Metropolitam transiit. Praeterea post privilegium Vladislai IV regis Poloniae anno 1635 Metropolitae Rutskyj concessum Metropolita ad omnes archimandrias, sive Congregationi incorporatas, sive non, candidatos regi proponere debuit et quidem solos monachos Basilianos, in quibus — aequo iure — etiam Episcopi intelligebantur.¹⁰⁰

2) Idem Metropolita Archimandritas a rege vel magnatis nominatos canonicè instituebat, et ab instituendis iuramentum oboedientiae recipiebat.¹⁰¹

3) Idem Archimandritarum visitationem peragebat.

Hic tamen clare distingui debet visitatio Archimandritarum a visitatione archimandriarum, quarum prima respiciebat Archimandritarum personas, altera vero ipsum monasterium cum eius monachis et bonis. Item alia distinctio fieri debet, nempe inter Archimandritas-Episcopos et simplices. Prima distinctio in praxi applicationem habuit saltem ab anno 1658, nempe a capitulo Zyrovicensi dicti anni, quo clare iurisdictio super archimandriis agnita est Provinciali quadriennali, qui tunc vices gerebat Protoarchimandritae advitalis; hinc etiam visitatio earundem ad eundem pertinebat.¹⁰² Quod confirmatur etiam eo, quod, cum Metropolita simul Protoarchimandrita erat, archimandriae a Vicario Generali visitabantur.¹⁰³

Personae autem Archimandritarum ab ipso Metropolita visitabantur et quidem non solum Archimandritarum-Episcoporum verum etiam simplicium. Quod confertur iam ex actis capituli supra citati, quo in genere immunitas Archimandritarum a iurisditione Superioris Generalis Ordinis salvatur: « Quod vero spectat individua archimandrita-

⁹⁹ APF-CP, 1755, v. 120, f. 122.

¹⁰⁰ *Bullae et brevia*, P. III, B4-C; APF-CP, 1755, v. 120, f. 125, Sum., 100 E.

¹⁰¹ APF-CP, 1755, v. 120, Summ. n. 11, 14, 46. (Supplicatio F. I.).

¹⁰² AS, t. XII, p. 58.

¹⁰³ Cap. Vilnen. 1667, s. 5, n. 29 — *ibid.*, p. 99.

rum, hi suis gaudere debent immunitatibus et privilegiis, salva tantum autoritate reveren. patris provincialis ».¹⁰⁴

4) Denique Metropolitae ius erat Archimandritas iudicare et deponere. Hic iterum distinguendum est inter Archimandritas-Episcopos et Archimandritas-monachos. Quod hos ultimos spectat clarum est eos a Metropolita et quidem citra Protoarchimandritam et capitulum generale iudicari et deponi potuisse.¹⁰⁵ Difficultas tamen est quoad Archimandritas-Episcopos. Verumquidem in capitulo Novogrodensi 1671 Metropolita Gabriel Kolenda duos Archimandritas-Episcopos archimandritis privavit,¹⁰⁶ sed Nuntius Ap. apud SCPF. exceptionem proposuit,¹⁰⁷ ex eo quod concilium Tridentinum sententiam definitivam in causis Episcoporum criminalibus Romano Pontifici reservat¹⁰⁸ et Episcopi in possessionem archimandriarum reintegrati sunt.¹⁰⁹

IV. Quoad Hegumenos advitales.

Secundum constitutiones primi capituli Superiores locales seu Hegumeni nonnisi quadriennales a Protoarchimandrita designari debebant. In praxi vero sicut Archimandritas, ita etiam Hegumenos advitales Metropolitae Rutskyj suppressere non contigit. Sed secundum eius mentem illi « eidem Protoarchimandritae et eodem iure ac temporales subiecti debeant ».¹¹⁰ Nominatio tamen eorum et depositio in praxi posteriori Metropolitae reservata est, prout confertur e Nexu anni 1686, quo revera utraque Metropolitae agnita haud facile esset, si praecedentem praxim non supponeret.¹¹¹

V. Quoad ceteros monachos.

1) Ut supra vidimus tum Metropolita, tum Episcopi ius habebant ad confessarium ex Ordine assumendum.¹¹²

2) Sed praeterea ius Metropolitae, quod Ordini maxime onerosum videbatur, erat assumptio personarum ex Ordine ad officia Curiae metropolitanae. Quod ius quidem, spectata praxi introducta, in dubium non vocabatur, Ordo tamen insistebat in aliam praxim introductam, nempe ne Metropolita personas ad huiusmodi officia inconsulto Protoarchimandrita et Consultoribus eius assumat.¹¹³

3) Vi generalis principij tam primo capitulo positi, quam a S. Sede confirmati de subiectione monachorum in Congregationem unitorum

¹⁰⁴ Cum enim Provincialis sessione praecedenti iurisdictione super Archimandritis sibi agnoscendam peteret et capitulum illam super archimandritas tantum agnosceret, servata immunitate Archimandritarum, hinc passu citato « autoritas » iurisdictionem non significat, sed respectum tantum probabiliter (AS, t. XII, p. 57-8).

¹⁰⁵ Arch. JZR., P. I, t. VI, p. 569.

¹⁰⁶ APF, *Moscovia, Polonia, Rut.*, v. I, f. 595-6.

¹⁰⁷ S. 9 — AS, t. XII, p. 106-7.

¹⁰⁸ Sess. 24, c. 5 de ref.

¹⁰⁹ APF, *Moscov. Pol. Rut.*, v. I, p. 673.

¹¹⁰ Cap. Vilnen. 1636, — AS, t. XII, p. 45.

¹¹¹ Vide infra « Nexus », n. 9, 13.

¹¹² P. 62.

¹¹³ Cap. Zyrov. 1675, s. III, n. 3 — AS, t. XII, p. 110.

iurisdictioni Metropolitanae singulis monachis ius erat ad Metropolitanam recursus facere, quod vero ius Metropolitanae urgebant.¹¹⁴

4) In foro vero interno: « si quis patrum vel fratrum nostrorum scripto aut verbis detrahentibus Religionem (scil. propriam) totam infamare et post hoc scriptum vel verba non solum se ipsum in aliam Religionem transferre, sed etiam alios ad illam relinquendam excitare ausus sit, constituimus, ut imprimis eo ipso excommunicationem incurrat huiusmodi, ut a memine et ab ullo peccato absolvi possit, priusquam Metropolitanae praesentetur ab eoque a casu reservato absolvatur ».¹¹⁵

5) Denique quoad curam animarum, dispensationem sacramentorum, ordines recipiendos, iurisdictionem ad audiendas confessiones, librorum approbationem, quae Tridentinum potestati Ordinariorum reservavit, praescripta eiusdem concilii in praxi applicabantur, prout supra indicavimus.¹¹⁶ Ad cuiusmodi potestatem Metropolitanae iam secunda primi capituli constitutio sub Metropolita Rutskyj formata alludit: « Scientes, metropolitanae Kioviensi a Deo Eiusque in terris Vicario datam esse inspectionem super omnibus degentibus non tantum in eius dioecesi, verum etiam in dioecesibus omnium episcoporum terrae Russiae, super ipsis episcopis, super omni clero regulari et saeculari, ea de causa etiam nos iurisdictioni eius subesse volumus (et) non tantum sub respectu benedictionis et ordinis ecclesiastici; id tantum necessarium esse censemus, ut certas suas obligationes et regulas a religione porrectas et ab eo iuratas habeat, ne huiusmodi superintendentia in posterum religioni noceat; quae vero regulae in futuro dabit Deus capitulo nostro generali in scripto porrigentur ».¹¹⁷ Potestas « benedictionis et ordinis ecclesiastici », quae « iurisdictioni » opponitur, intelligenda est de illis omnibus, quae tempore illo Ordinariorum potestati tum iure orientali, tum latino, praesertim a concilio Tridentino in cura animarum, sacramentorum dispensatione reservatum est.

b) Secundum stadium praxeos.

Hoc stadium incipit cum capitulo Novogrodensi 1686, cuius in regiminis Basilianorum evolutione in genere momentum iam vidimus.¹¹⁸ Motivum tamen ad hoc capitulum convocandum et actionem eius peragendam vidimus fuisse proprie relationis Metropolitanam inter et Ordinem, datis quibusdam hac in re disordinibus, meliorem determinationem. Capitulo illo revera post longas Metropolitanas inter et religionem Basilianam praesertim sub respectu muneris Protoarchimandritalis obtinendi controversias, in quibus pluries ipsi Romani Pontifices interve-

¹¹⁴ Cap. Novog. 1684, s. 2 — *ibid.* p. 196.

¹¹⁵ Cap. Ruthaense 1623, s. 3 — *ibid.*, p. 28.

¹¹⁶ P. 126.

¹¹⁷ AS, t. XII, p. 10, n. 9.

¹¹⁸ Cfr. pag. 69.

nire debuerunt, ad mutuam concordiam, quae conscripta « *Nexus* » nuncupata est, deventum est. Puncta huius concordiae ad normam trium praesertim decretorum S. Sedis scilicet: decreti SCPF. ex anno 1624, cum eiusdem approbatione ab Urbano VIII accepta 1631, decreti-clausulae eiusdem SCPF. ad decretum illud editae anno 1643 et declarationis Pontificiae eiusdem decreti eodem anno editae composita, erant sequentia:

1. « Quae decreta nunc pro praesenti actu Capituli reassumimus.
2. Protoarchimandrita post suam Electionem praestabit in manibus Metropolitae Iuramentum praescriptum a Josepho Velamin Rutski, Metropolita, cum explicatione clausulae in eodem Iuramento positae quae sonat oboedientiam Metropolitae in omnibus, ut sic intelligi debeat in omnibus iuxta nexum praesenti Capitulo descriptum.
3. Illustrissimus Metropolitanus reliquit Religioni eiusque Capiti Protoarchimandritae plene Ordinem internum Religiosum, reservatis sibi, quae sunt ordinariae Iurisdictionis infra attingendae.
4. Ex Regulis Protoarchimandritae cap. 6. nu. 2.do, haec lex reassumitur. Quotannis rationem reddat Protoarchimandrita Hierarchiae, eorum omnium, quae fiunt in Religione, et si qua augendae Religionis ei ope opus sit, a suo Hierarcha exposcet. Patres quoque Consultores eius, semel saltem in anno, scribent, si qua in re eius auxilium necessarium sit. Item alijs quoque licebit recurrere in suis necessitatibus. Cui legi addendum censuimus, ut si quis forte gravetur a Protoarchimandrita et Consultoribus in re gravi, recursus ei pateat ad Metropolitam: quodsi inique appellet, graviter castigabitur.
5. Capitula intimabit Protoarchimandrita, consulto Metropolitano de tempore et loco: ad Episcopos tamen Intimatoriae dabuntur Metropolitae simul et Protoarchimandritae manibus, sigillisque munitae.
6. Protoarchimandrita visitabit sive per se, sive per alium omnia Monasteria incorporata Nostrae Congregationi: pro qua Visitatione accipiet a Metropolitano expeditionem ad Dominos Episcopos titulo Archimandritarum gaudentes: tum cum ei reddet rationem de Rebus Religionis.
7. Suppeditabit Metropolitae Operarios dignos pro Synodis Dioecesanis, iuvandae curae pastorali, et sublevandis laboribus eius.
8. Ad Protoarchimandritam spectabit Visitatio Ecclesiarum Parochialium, curae Regularium subiectarum, eique dispensanda tradentur Olea Sacra, et reddet eidem rationem Parochialium quolibet anno, circa casus Matrimoniales, aliosque in Iure praescriptos.
9. Protoarchimandrita conferet, iuxta Leges suas, omnes Superioratus exceptis Polocensi Cathedralis Ecclesiae, et Cassutensi; item Archimandriis, et alijs Hegumenatibus advitalibus, quos conferet Metropolita, consulto Protoarchimandrita et Consultoribus, Monasteria autem a Protoarchimandrita conferenda haec sunt: Zyroviciense, Bythenense, Novogrodense, Berezwecense, Vitebscense, Vilmense, Czerlonense, Chelmense, Brestense, Rozanense, Lyskoviense, et si quae per novas Foundationes Congregationi nostrae accesserint.
10. Monasterium Berezwecense cum Wierzbilow et alijs attinentijs, ac redditibus omnibus, ex nunc applicantur Novitiatui erigendo in hoc ipso Monasterio, traditurque Protoarchimandritae, qui ei Superiorem praeficiet, et postquam obtenta fuerit licentia a Reverendissimo Patre Generali Societatis Jesu, introducuntur duo Patres ex eadem Societate Novitios instructuri.
11. Metropolita promovendos ad Episcopatus, et alias dignitates advitales praesentaturus Sacrae Regiae Maiestati vel Collatoribus, super qualitatibus promovendorum conferet cum Protoarchimandrita, et Consultoribus.

12. Emptiones, Venditiones, Arendae, Oppignorationes alique sive acquisitivi, sive alienativi contractus, praevio Metropolitae consensu fient.

13. Depositiones Superiorum temporalium penes Protoarchimandritam erunt: advitalium autem penes Metropolitam et Protoarchimandritam.

14. Civibus, et alijs subditis Monasteriorum, in gravibus praetensis iniurijs patebit Appellatio ad Metropolitam et si inique suum Iudicem immediatum deferent, punientur.

15. In casu obitus Protoarchimandritae, primus Consultor, cum scitu Metropolitae, reget Religionem. Pro Capitulo autem futuro, congregabit Metropolita.

16. Ecclesiarchae seu Sacristae, Zyroviciensis, Vilmensis, Polocensis et Minscensis, sint iurati.

17. Confessarium, Theologum, et alios lateri suo assistentes necessarios, quos requiret Metropolita, providere obligabitur Protoarchimandrita, debitis qualitibus, pro eiusmodi muneribus, praeditos.

Quae omnia et singula mutuae connexionis Puncta ab utrinque a Partibus conventa, Pars utraque, firma, rata, inviolabiliterque ab invicem observanda, volens ea ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, Sanctamque Sedem Apostolicam, confirmanda refert, ac eius robur Apostolicae Auctoritatis addi humillime supplicat; sese tamen arbitrio parentissime in omnibus his conformando ».¹¹⁹

Secundum hunc « *Nexum* » et Constitutiones ab hoc capitulo latus atque constitutiones omnium capitulorum praecedentium, quae speciali commissione hoc capitulo deputata,¹²⁰ ut constitutiones huiusmodi recognitae S. Sedi ad approbationem mittentur, nomine et auctoritate praedicti capituli recognitas atque emendatas,¹²¹ potestas Metropolitae super Congregationem SS. Trinitatis in toto haec erat:

I. Quoad capitulum generale.

Capitula tum electivum, tum ordinarium convocat antiquus, relative actualis Protoarchimandrita, consulto Metropolitano de loco et tempore capituli.¹²²

In casu obitus Protoarchimandritae convocat Metropolita.¹²³

Denique in casu scandali Protoarchimandritae primus Consultor, consulto Metropolita.¹²⁴

2. Omnibus capitulis praesidere ius habet Metropolita.¹²⁵

3. Eidem tamquam capituli praesidi reservatur absolutio ab excommunicatione eorum, qui scientes aliquem quomodolibet durante triduo praeparationis ad electionem Protoarchimandritae hoc munus sibi procurasse eundem duobus principalioribus patribus capitularibus non denuntiassent.¹²⁶

¹¹⁹ APF-CP, 1680-97, v. 29, ff. 297-8; AS, t. XII, p. 122-3.

¹²⁰ AS, t. XII, p. 126.

¹²¹ Ibid., p. 171-182.

¹²² *Nexus*, n. 5; *Observanda*, c. 2, n. I — *ibid.*, p. 177; CR, n. IX, — *ibid.* p. 172.

¹²³ *Nexus*, n. 15; CR, n. X, — *ibid.*, p. 172.

¹²⁴ CR, n. V — *ibid.*, p. 171.

¹²⁵ CR, n. IV — *ibid.*, p. 171; *Observanda*, c. 2, nn. IV, VII, c. 6, n. 11.

¹²⁶ *Observanda*, c. 2, n. VII — *ibid.*, p. 177.

II. Quoad Protoarchimandritam.

1) In electione Protoarchimandritae Metropolita iure vocis activae et passivae gaudet et quod illam spectat, nunc iam eodem modo ac quisque capituli praeses facultatem duorum votorum habet.¹²⁷ Hac vero Metropolita in Nexu renuntiavit.

2) A Protoarchimandrita iuramentum oboedientiae ad normam Nexus recipit.¹²⁸ Formula autem eiusdem composita est a commissione ad constitutiones recognoscendas deputata eratque sequens: « Ego NN. ordinis S. Basilii Magni hieromonachus, iuro Domino Deo Uni et Trino me religioni s. patris nostri Basilii Magni, praesertim vero Congregationi eiusdem religionis Vilnensis Sanctae ac Vivificae Trinitatis me deditum fidelemque fore, bonumque ac incrementum eius pro viribus meis curaturum, cum perseverantia in unione cum sancta Romana ecclesia obedientiamque in omnibus iuxta nexum praescriptum domino et patri meo illustrissimo ac reverendissimo metropolitae Kijoviensi Haliciensis totiusque Russiae domino NN successoribusque eius. Munus vero protoarchimandritae, ad quod capitulariter sum electus, peracturum iuxta leges, mihi nunc a domino meo et patre metropolita, itemque a religione congregationis nostrae traditas, atque ad praescriptum eorum in omnibus gesturum. Ita me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».¹²⁹

3) Protoarchimandrita quotannis rationem reddere debet Metropolitae de iis, quae in Religione fiunt,¹³⁰ item circa casus matrimoniales, et de aliis iure praescriptis i. e. de sacramentorum administratione secundum praescripta iuris Tridentini¹³¹ peracta in ecclesiis parochialibus curae monachorum subiectis.¹³²

4) Idem Protoarchimandrita suppeditare debet Metropolitae operarios dignos pro synodis dioecesanis, iuvandae curae pastoralis et sublevandis laboribus eius¹³³ atque confessarium, theologum aliosque lateri eius assistentes necessarios, quos Metropolita requirit, debitis qualitatibus pro eiusmodi muneribus praeditos providere debet.¹³⁴

5) Metropolita tamen in promovendis monachis ad Episcopatus dignitatem conferri debet super candidatorum qualitatibus cum Protoarchimandrita eiusque consultoribus;¹³⁵ immo post Breve Benedicti XIII « Cum sicut » 1728, 16, XII, consensus Protoarchimandritae et Ordinis in promotione Basilianorum ad quamcumque dignitatem sub poena inhabilitatis eo ipso incurrendae requirebatur.¹³⁶

6) In casu scandali Protoarchimandritae primus Consultor gene-

¹²⁷ CR, N. IV — *ibid.*, p. 171.

¹²⁸ *Nexus*, n. 2.

¹²⁹ *Observanda*, c. 2, n. XVII — *ibid.*, p. 179.

¹³⁰ *Nexus*, n. 7.

¹³¹ Sessio XXV, c. XI, de regul.

¹³² *Nexus*, n. 8.

¹³³ *Nexus*, n. 7.

¹³⁴ *Nexus*, n. 17.

¹³⁵ *Nexus*, n. 11.

¹³⁶ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411.

ralis consulere debet Metropolitam de convocando capitulo ad illum iudicandum et, si opus esset, deponendum.¹³⁷

III. Quoad Consultores generales.

Hi quotannis semel saltem Metropolitanae scribere debent de necessitatibus religionis, scil. in quantum haec opere et auxilio Metropolitanae indigeat.¹³⁸

IV. Quoad Archimandritas.

1) Praesentatio et institutio canonica Archimandritarum pertinet ad Metropolitam, consulto tamen Protoarchimandrita eiusque Consultoribus super qualitatibus candidatorum;¹³⁹ post annum vero 1728, ut supra, Protoarchimandritae et Ordinis etiam consensus ad huiusmodi Archimandritarum promotionem requirebatur.¹⁴⁰ Item depositio eorundem apud eosdem scil. Metropolitam et Protoarchimandritam cum Consultoribus erat.¹⁴¹

2) Visitationem Archimandritarum peragit quidem Metropolitae,¹⁴² archimandriarum vero, Episcopalibus non exceptis, peragere debet Protoarchimandrita, sed, quod has ultimas spectat, Protoarchimandrita expeditionem seu auctorisationem recipere debet a Metropolitae.¹⁴³

V. Quoad Hegumenos advitales.

Sive libera collatio sive praesentatio atque depositio Hegumenorum advitalium erat penes Metropolitam consulto tamen Protoarchimandrita et Consultoribus.¹⁴⁴ In ceteris tamen illi a Protoarchimandrita dependent.

VI. Quoad ceteros monachos.

1) Cuique in re gravi a Protoarchimandrita eiusque consultoribus gravato recursus et appellatio ad Metropolitam patebat.¹⁴⁵

2) In emptionibus, venditionibus, arendis, oppignorationibus aliisque sive acquisitivis sive alienativis contractibus praevius Metropolitanae consensus requirebatur.¹⁴⁶

VII. Quoad monasteriorum subditos laicos.

Hi ius habebant in gravibus iniuriis a Protoarchimandrita ad Metropolitam appellandi.¹⁴⁷

¹³⁷ CR, n. V — AS, t. XII, p. 171.

¹³⁸ *Nexus*, n. 4.

¹³⁹ *Nexus*, n. 9.

¹⁴⁰ DE MARTINIS, *o.c.*, P. I, v. II, p. 411.

¹⁴¹ *Nexus*, n. 13.

¹⁴² Cfr. e. g. Instrumentum subdelegationis in ordine ad visitandos Abbates: anno 1730, 13, IX, Zydzyszyn. — APF-CP, 1755, v. 120, f. 236 et alia huiusmodi ibidem f. 57 atque CP, 1752, v. 91, Summ. n. 9.

¹⁴³ *Nexus*, n. 6.

¹⁴⁴ *Nexus*, nn. 9, 13.

¹⁴⁵ *Nexus*, n. 4.

¹⁴⁶ *Nexus*, n. 12.

¹⁴⁷ *Nexus*, n. 1.

Praxi hac relationis Metropolitanam inter et novam Congregationem SS. Trinitatis in eius forma concreta exposita, iam quaeritur, quatenus natura iuridica et consequenter vis iuridica eiusdem sit.

Triplex hypothesis circa naturam et consequenter vim iuridicam huius praxeos inductae strui potest:

- 1) hypothesis concessionis metropolitanae,
- 2) hypothesis concessionis Ordinis,
- 3) hypothesis contractus bilateralis.

1) Nonne vi decretorum S. Sedis Metropolitana omnem potestatem super nova Congregatione SS. Trinitatis obtinuerit, ita, ut libertas a potestate Metropolitana seu exemptio, praeter casus supra enumeratos potestati metropolitanae expresse reservatos, libere a Metropolitana novae Congregationi concessa sit?

Etiam si S. Sedes monachorum in novam Congregationem unitorum subiectionem potestati Metropolitanae voluit, tamen Metropolitae omnem potestatem super illam non tribuit. Quod patet iam ex ipso processu declarativo, in quo tota difficultas versatur circa determinationem huiusmodi potestatis relative subiectionis, quae vero difficultas nullam rationem habuisset, si tota potestas Metropolitae competere reputata esset; quamque difficultatem S. Sedes eo solvit, quod determinationem potestatis huiusmodi ad usum et praxim remittit. Usus autem et praxis consensu utriusque partis introducta sunt et ita mutabantur. Ergo libertas illa novae Congregationis a potestate metropolitana non erat liberae concessionis Metropolitae. Quod autem in concreto iam eo evidens fit, quod potestas legislativa in nova Congregatione vi legis pontificiae non apud Metropolitanam, sed privative apud capitulum generale Congregationis erat.

2) Ex quo etiam patet casus potestati metropolitanae reservati non erant liberae concessionis novae Congregationis, nam subiectio Congregationis iurisdictioni metropolitanae a S. Sede constituta est. Ergo non erat in Congregationis libertate illos concedere, sed cum obligatione quosdam recipere.

3) Eo vero, quod vi decretorum S. Sedis principium generale de subiectione monachorum potestati Metropolitae positum est, ambitus autem huiusmodi subiectionis determinatus non erat, ideoque determinatio huiusmodi concreta in potestate utriusque partis remansit Metropolitae scilicet et Ordinis (concrete capituli generalis). Hinc natura huiusmodi subiectionis relative potestatis in concreto determinatae non nisi conceptu contractus bilateralis explicari potest. Et revera hoc conceptu applicato omnes eventus facile explicari possunt. Ita e. g. tota illa phasis prima relationis Metropolitanam inter et novam Congregationem ante decretum SCPF. 1624 non nisi contractu optime explicatur, ita etiam relatio Metropolitae Retskyj ad novam Congregationem in constitutionibus primi capituli composita, sicut et posteriores eiusdem mutationes eodem contractu bilaterali extitisse dicendae sunt. In hoc enim contractu personae morales agunt, quae obligationes respectivas contrahere potuerunt, scilicet ex una parte Metropolitana, uti caput Eccle-

siae Ruthenae,¹⁴⁸ ex altera vero capitulum generale, quod item potestate legislativa respectu totius Congregationis privative gaudebat.

Haec relatio Metropolitanam inter et novam Congregationem SS. Trinitatis ultimo capitulo Novogrodensi 1686 composita, quae ut facile animadverti potest, in pluribus nihil aliud erat, nisi praxeos iam prius inde a Metropolitana Rutskyj introductae receptio, perduravit usque ad reformationes Benedicti XIV et quidem in eadem vi iuridica. Nam etiamsi haec indicatae relationis ordinatio facta sit ad instantias S. Sedis et quidem eo fine, ut capitulo composita pro approbatione ad S. Sedem mittatur, huiusmodi tamen approbationem nunquam accepit prout statim videhimus, ideoque eandem vim praxeos retinuit usque ad dictum momentum.

Ratio autem, cur S. Sedes ab huiusmodi approbatione abstinerit, erat novae quaerelae et instantiae Basilianorum, quarum 1) quaerela praecipua erat contra «*Nexum*» praedictum cum Metropolitana conclusum, quem «*volentes, nolentes*» tantum se subscripsisse ostendebant propter 9 et 17 punctum ipsis nimis onerosa et 2) instantia, ut decreto SCPF. Episcopi ad officium Protorchimandritae inhabiles declarentur. Quae autem clare in litteris curiae generalis OSBM ad Nuntium Ap. in Polonia Card. Pallavicini expositae sunt.¹⁴⁹

¹⁴⁸ Quod huiusmodi «*Nexus*» Metropolitana contrahebat tamquam Caput Ecclesiae Ruthenae eiusque Hierarchiae maxime patet ex ipso obiecto eorundem nexuum, qui omnes sub respectu aliquo particulari etiam ad ceteros Episcopos referebantur, certam partem relationis inter Episcopos et Ordinem determinabant, etiamsi formaliter nexus huiusmodi cum solo Metropolitana concludebantur, hic solus ex parte Hierarchiae eosdem obsignabat.

Ita e. g. in «*Nexu*» ex anno 1686 n. 7 et 8 punctum respiciebat etiam Episcopos. Primum in ordine ad operarios ex parte Ordinis pro dioecesisibus et synodis dioecesanis suppeditandis; alterum vero in ordine ad omnes ecclesias parochiales curae Basilianorum commissas visitandas per Protoarchimandritam.

Eodem modo dicendum est de «*Nexu*» ex anno 1739 inter Metropolitanam et novam Congregationem Ruthenam, qui nonnisi repetitio praecedentis erat.

Sed nec alio res se habet in «*Nexu*» ex anno 1743, quo n. 11 expresse nominantur et Episcopi, quibus Ordo personas assistentes suppeditare obligabatur.

Si ergo «*Nexus*» huiusmodi formaliter cum solo Metropolitana contrahebantur, obiecto autem suo etiam Episcopos respiciebant, planum est Metropolitanam eosdem contraxisse tamquam Caput totius Hierarchiae Ecclesiae Ruthenae.

¹⁴⁹ «*Eminentissime Princeps D. ne Patrone noster clementissime!* — Praeclarae virtuti et insignibus in Ecclesia Dei meritis E. V. ae, dudum debitam nunc collatam Cardinalitiam Purpuram humillime ac devotissime gratulamur E. V. ae bono omine nostro siquidem excelsiorem E. V. ae gradum magis pusillo Ordini nostro profuturum utilemque fore haud dibutamus. Agnita enim priora beneficia et favores E. V. ae in Religionem nostram, quae aeternum debet pietissimis gratiis E. V. ae ad statum praesentem relata maiora sperare firmant animos nostros supplicareque perenne patrocinium et praesidium E. V. ae ditissime urgent. — Aditio terminorum «*volentes nolentes*» inde processit, quia Ill. mus D. Metropolitanus tenacissime principaliora Monasteria cum Polocensi ad Arcem et Casutensi, cumque advitalibus Archimandriis ac Hegumenatibus collationi suae subiecit, relictis pauperibus collationi Protoarchimandritae secundum 9 punctum in nexu descriptum ubi incipit — Protoarchimandrita conferet — Grave enim est Religioni non subesse totaliter et in omnibus Moderatori eius Religio-

Duabus vicibus de «*Nexu*» et Constitutionibus illis Basilianorum Ruthenorum approbandis in SCPF. mota est quaestio, sed utraque sine effectu. Prima vice S. Congregatio hanc rem considerabat statim duobus annis post capitulum illud scil. anno 1688 in congregatione particulari die 19 Februarii. Finalis eius considerationum decisio erat receptio a tota Cardinalium congregatione voti et resolutionum Cardinalis Columna Relatoris, quae ad rei claritatem ex toto referuntur:

« La prima doglianza de' Monaci consiste nel capitolo 9 delle Costituzioni. In questo il Metropolita cede al Protoarchimandrita la collazione di minori benefitii, che il Metropolita conferiva. Si duole il Protoarchimandrita che al Metropolita si sia riservata la Collatione de migliori benefitii, che chiamano Archimandrie, Hegumenati vitalitii, pretendendo, che la collatione di questi dovesse spettare a lui.

Per potere sopra questo punto dare una adeguata risoluzione è necessario havere informazione.

1. Se secondo i Canonici che osservano i Greci spetti a Vescovi o a Superiori Regolari il conferire detti Benefitii.

2. Se avanti L'Unione il Metropolita conferiva simili Benefitii, poi che se li conferiva non puole in cos'alcuna alterarsi, mentre nell'Unione Clemente B. gli lascia intatte tutte quelle cose che praticavano prima, con rimuovere solo tutto ciò che sapeva di schisma o d'eresia.

sos et a potiori pendere a gratis Metrorum ex quo manifeste deducitur, ex respectu, non ex vi meritorum conferendas istas nocivas Religioni Archimandrias, quas olim Josephus Rutski extinxerat. Igitur et si cum gravamine Religionis, studio solius pacis «*volentes nolentes*» acquievimus. — Et 17 punctum, quod incipit «*Confessarium... quos requiret Metra*». Grave et hoc, quia non ex electione Protoarchimandritae cum Consultoribus, sed ex requisitione Metrani, quas voluerit Personae, illas obligabitur dare D. Metrano Protoarchimandrita. Aequius est, ut requirat a Protoarchimandrita et hic consultis aliis, quos idoneos videbit subministrabit D. Metrano. — Et hoc necessario pro meliori notitia E. V. ae deferre visum est, quod D. Metrano firmiter stetit et asserit, ut idem Josephus de Camillis Graecus Romae apud S. Sergium (Bacchum) denuo Procuratorem Religionis ageret, quamvis mens Religionis fuit alium ex his partibus Religiosum nostrum Ruthenum mittere. — Supplex noster libellus ad EE. Cardinales P. F. pro confirmatione Capituli nostri et litterae ad Ill. mum Secretarium eiusdem C. pateant E. V. ae. Cuius humillime imploramus opem et instantiam ad eosdem EE. Cardinales tam pro confirmatione dicti Capituli quam, ut Decreto EE. Dominorum roboretur futuros Protoarchimandritas in perpetuum pariter puros Monachos eligendos, ut cessent tandem lites tollanturque occasiones ad iurgia inter DD. Metrano et Religionem. Item et nexus cum D. Metrano, si conformis est ad S. Canones et iura Ecclesiastica et hic, an solum cum praesenti D. Metrano, an etiam cum successoribus Eius tenendus ac observandus a Religione declarationem et approbationem habere ab EE. Cardinalibus humiliter supplicat Religio per specialem et hanc beneficam et clementem E. V. ae intercessionem, quam repetitis vicibus cum illa ab E. V. ae exposcimus atque haec omnia subscripta soli E. V. ae, uti beneficantissimo Patrono nostro deferimus nolentes amplius in his molestiam ex nobis EE. Cardinalibus de P. F. afferre. Et E. V. ae Sacram Purpuram fimbriam pronissimi devotissime exosculamur. E. V. ae D. ni nostri clementissimi humillimi servi atque apud Deum Exoratores.

Josephus Pietkiewicz OSBM. Protoarchimandrita mp.

Symeon Cyprianowicz Cons. S. Zyrovicz, mp.

Stephanus Martiszkiewicz-Businski Cons. Abbas Polocensis.

Georgius Maleiewki Cons. Abbas Czereiensis.

Symeon Ohurcewicz Secret. Sup. Vilnensis».*

* APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 318.

3. Se doppo l'Unione sempre l'abbia conferito.

Quanto alla 2-a querela fondata nel capitolo 17. Il P. Camillis interrogato del numero di questi Assistenti dice di non havere il Metropolita più di due ò tre, ma dato e non concesso, che oltre il Confessario e Teologo ne tenesse egli tre ò quattro per Assistenti pare grand'indiscretezza il pretendere ch'al Capo della Religione e dell'Unione s'habbia a difficoltare per il servitio suo e della Religione quei soggetti, ch'egli richiede.

Sopra questo punto però richiedersi l'informazione di quanti soggetti hà appro di se il Metropolita e pregarci il S. Cardi Nuntio ad informarsi dall'istesso Metropolita di quanti soggetti oltre il Confessore e Teologo ha di bisogno per potergli descrivere il numero.

Quanto alla 3-a del P. Camillis non credo si debba ne meno discorrere. La sua deputazione presente è fatta dal Capitolo g.le, che vuol dire per lo spatio di quattr'anni, onde per nessun conto deve ammettersi l'istanza per la rimotione.

Quanto poi al supposto Decreto per la carica ottenuta dal Camillis nello Vaticano, questo nihil habet commune con l'istanza de Monaci.

4. Quarto fanno istanza che si determini, che il Metropolita ne altro Vescovo possino essere eletti per Protoarchimandrita. — Nel Capitolo g.le del 1617 fecero i monaci un simil Decreto, ma la Sede Ap.a non volse confermarlo l'onde molto meno deve farsi hora un simil Decreto ma lasciare ai monaci la libertà.

5. Ultimo che si dichiarì, che se l'unione e dipendenza dal Metropolita sia uniforme ai Sacri Canonì.

Per potere sopra di ciò prendere resolutione è necessario ch'individuino qualche cosa di particolare, già che a un quesito così universale non si puole, ne si deve rispondere e così concludo:

Quoad primum habeatur informatio ab E.mo Protectore et ab E.mo Nuntio de iis quae adnotata fuere in responsione ad I-um capitulum.

Quoad 2-um pariter ab iisdem EE.mis habeatur informatio de iis, quae adnotata fuere in responsione ad capitulum 2-um.

Quoad 3-um Nihil rescribendum, cum P. Camillis fuerit electus Procurator g.lis in Capitulo generali ad quadriennium et non constat de violentiis allatis vocalibus pro illis inducendis ad talem electionem faciendam.

Ad 4-um Nihil respondendum, ut alias censuit S. Congreg.

Ad ultimum exprimat casus particulares et providebitur.

Quod vero ad confirmationem electionis Protoarchimandritae proponatur E.mis PP. in prima Congregatione, at in hoc ego nullam difficultatem habeo assentiendi.

Quo vero ad confirmationem Constitutionum vel nihil faciendum quod optimum mihi videtur vel pro examine et approbatione remittendum arbitrio E.mi Protectoris (Nerli).

Die 19 Februarii 1688 relatis supradictis omnibus resolutionibus secundum votum E.mi Columnae EE.mi PP. annuerunt ».¹⁵⁰

Altera vice propter instantiam Protoarchimandritae ad Summum Pontificem et ad SCPF. factam ¹⁵¹ de Constitutionibus iisdem approbandis etiam de hac relatione Metropolitanam inter et Ordinem res acta est in congregatione particulari SCPF. die 12 Januarii 1693, in qua tamen « fuitque resolutum prout sequitur:

« Scribendum per Em.um Nerlium Protectorem OSBM Metropolitanæ totius Russiae non posse confirmari Constitutiones antequam ipse et

¹⁵⁰ APF-CP, 1680-97, v. 29, ff. 284-5.

alii Eppi Rutheni mittant huc Personam bene instructam, quae assistere possit et concordare, quidquid sit admittendum vel reiciendum ad hoc ut confirmatio sequatur de communi partium consensu et satisfactione.

Similiter per Procuratorem Generalem scribatur Protoarchimandritae, quod pariter mittat aliquem bene edoctum, qui iura et partes monachorum tueri possit». ¹⁵²

Personae a SCPF. requisitae nunquam Romam a neutra parte sunt missae, ideoque neque praedictae Constitutiones cum adnexo illo «*Nexu*» approbatae sunt. In praxi tamen Constitutiones illae, consequenter etiam relatio Metropolitanam inter et Congregationem illis determinata usque ad reformationem Benedicti XIV observabatur, exceptis paucis, quae per synodum Zamostianam mutata sunt.

Immo idem «*Nexus*» etiam Metropolitanam inter et novam Congregationem post et vi constitutionis synodi praedictae anno 1739 erectam et Ruthenam nuncupatam in primo eiusdem capitulo receptus est. ¹⁵³ «*Licet* quidem Sancta Zamosciana Synodus Titulo undecimo caverit expresse, novo eligendum Congregationis nostrae Protoarchimandritam illi Subiiciendum esse, cui Sancta Sedes expedire iudicaverit, nihilominus nos aeternam Ill.mo et Excellentissimo Athanasio Szeptycki Archiepiscopo Metropolitanam Totius Russiae, praesentis Capituli Praesidi, tamquam primo Congregationis nostrae Instauratori bonique ordinis promotori debentes gratitudinem, more in Congregatione SS. Trinitatis praedicato, non alteri quam eidem Ill.mo et Excellentissimo Metropolitanam et Successoribus eius juxta nexum inter Ill.mum Ciprianum Zochowski olim Metropolitanam Totius Russiae, et immediate dictam Congregationem initum (quem in omnibus clausulis et Punctis acceptamus) una cum novo eligendo Protoarchimandrita nostro subesse volumus, utque haec vota nostra approbentur Sanctae Sedi Apostolicae humillime supplicamus».

Utique hic «*Nexus*» propterea, quod recipitur a nova Congregatione iam in tertia phasi iuridica relationis Metropolitanam ad Congregationem antiquam Lithuanam SS. Trinitatis seu iam post synodum Zamostianam anno 1720 celebratam alio modo accipi non potuit, nisi suppositis mutationibus in praedicto «*Nexu*» a synodo memorata in quibusdam introductis, quae autem statim sequenti paragrapho videbimus, cum statuta dictae synodi in ordine ad relationem Metropolitanam inter et monachos in genere determinantia consideremus.

¹⁵¹ APF, *Lettere di Mons. Segretario nell'anno 1693*, v. 82, f. 74.

¹⁵² APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 862.

¹⁵³ Cap. Leopoliens. 1739, s. 3, n. 2, — APF, *Scritt. rif. nelle CP*, 1742, v. 91, f. 284.

§ 3.

TERTIA PHASIS IURIDICA AB ANNO 1720 AD ANNUM 1743.

Haec phasis durat a synodo Zamostiana Ruthenorum provinciali anno 1720 celebrata et anno 1724 speciali modo¹ a Benedicto XIII confirmata - usque ad reformationes Benedicti XIV in Ordine Basiliano, quae novam periodum in praedicti Ordinis evolutione praesertim iuridica initiant.

Synodus praedicta in ordine disciplinae pro Ecclesia Ruthena simile momentum habet ac pro Ecclesia latina concilium Tridentinum et quidem ea praecipue ratione, quod huius concilii principia et canones synodus illa Ecclesiae Ruthenae applicavit. In hac autem concilii Tridentini canonum disciplinae Ecclesiae Ruthenae adplicatione synodus praedicta etiam relationem Hierarchiae Ruthenae ad monachos eiusdem Ecclesiae sive reorganisatos sive nondum magna ex parte ad normam praedicti concilii oecumenici in hunc modum ordinavit:

1) ex parte sua eandem potestatem super monachos in materia a se ordinata tribuit Metropolitanae et Episcopis suffraganeis in propria cuiusque dioecesi, quosque omnes eodem modo sub hoc respectu tractat et eadem pro omnibus communi terminologia utitur scilicet «Episcopi» aut «locorum Ordinarii» aut simpliciter «Ordinarii». Nisi quod Metropolitanus defectus Episcopi suffraganei supplere potest Eumque monere et ad officium recte obeundum aliquando cogere aut ad S. Sedem deferre.²

2) Monachis in Congregationem nondum redactis, prout iam supra vidimus,³ obligationem imposuit e monasteriis in dioecesibus Uladimiriensi, Luceoriensi, Cholmensi, Leopoliensi et Praemisiensi sitis similem constituendi novam Congregationem ac illa iam existens SS. Trinitatis seu Lithuana.⁴

3) Omnes monachos sive in Congregationem unitos sive non synodus a loci Ordinarii potestate ex parte sua seu in materia a se ordinata, diverso tamen modo, exemit et tamquam exemptos considerat eo, quod illos omnes in certis solum casibus a se determinatis et a concilio Tridentino desumptis potestati Episcoporum subiecit. Gradus tamen huius exemptionis alius est pro monachis in Congregationem unitis, alius vero pro monachis in Congregationem non unitis. Cuius vero exemptionis expressa mentio atque eiusdem quoad diversos monachos diversus gradus fit et patet e sequenti constitutione: «Monasteria etiam virorum quamquam alias exempta plene ab Episcopo visitentur, si non

¹ DE MARTINIS, *o. c.*, P. I, v. II, p. 365.

² S. 3, tit. V, p. 92. (*Synodus provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae anno MDCCXX Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIII dicta*), ed. tertia, Romae 1883.

³ P. 75.

⁴ S. 3, tit. XI, p. 107.

sunt in Congregationem redacta, nec suos habent Regulares Visitatores, quae autem in Congregationem redacta sunt, Episcopus ne visitet, nisi Regulares Visitatores, et Ordinum Capita, quibus id incumbit, post sex menses a monitione Episcopi, visitare, corrigere, et Regularem observantiam reformare neglexerint ».⁵

Secundum hanc constitutionem omnia monasteria virorum a synodo considerantur exempta « quamquam alias exempta ». Differentia vero et quidem unica in huiusmodi exemptione inter monachos reorganisatos et non reorganisatos consistit in eo, quod illi etiam visitationi Episcopi ordinarie omnino subtrahuntur, minime vero ultimi.

Non exemptae autem a synodo considerantur tantum moniales earumque monasteria eo quod plene potestati Episcoporum subduntur: « Monialium vero monasteria cum nulla in nostra Ecclesia a Regularibus regantur ab Episcopis visitari, eique plene subesse debeant ».⁶

Data huiusmodi monasteriorum exemptorum et non exemptorum distinctione iam planum est in passu sequenti: « quilibet Episcopus examinabit diligenter fundationes ac dotationes cuiuscumque Parochiae, Ecclesiae et Monasterii non exempti »⁷ monasteria non exempta intelligenda esse tantum monasteria monialium. Inde consequenter in quaestionibus in visitatione canonica ab Episcopo indagandis ad calcem huius synodi exaratis de huiusmodi fundationibus et dotationibus tamquam monasteriorum non exemptorum quaeruntur tantum moniales non vero regulares visitationi Episcopi obnoxii.⁸

4) Denique animadvertendum est synodum Zamostianam ex parte sua seu in suis constitutionibus potestatem Metropolitanam et Episcoporum super monachis ad casus fere Tridentinos quidem limitasse, attamen ex altera parte praxes et consuetudines antesynodales non abolivisse, ita, ut praeter casus in synodo designatos Metropolita et Episcopi iuribus et potestatibus antea praxi vel consuetudine introductis quoad Congregationem praesertim SS. Trinitatis gaudere non cessaverint. Utique differentia inter iura et potestates illas praxi introductas atque alias a synodo concessas evidens est. Illae enim mutari potuerunt utriusque partis consensu, sicut et revera olim vidimus mutatas fuisse, constitutiones vero synodales eo, quod propter confirmationem modo speciali a Romano Pontifice eis adnexam vim legis pontificiae acceperunt, amplius sine interventu eiusdem Pontificis mutari non potuerunt.

5) Cum ex supra dictis pateat, monachos a synodo tamquam exemptos considerari, ideoque in eadem synodo interpretanda servandum esse principium hanc considerationem consequens nempe « exempti semper sunt exempti nisi contrarium probetur » et aliud « subiectio monachorum stricte subest interpretationi », agitur enim de odiosis. Quod vero poenas ab Episcopis monachis applicandas spectat, hae non solum strictissimae subsunt interpretationi, sed omnino monachis

⁵ S. 3, tit. VI, p. 97; Trident. s. 21, c. 8, de ref.

⁶ S. 3, tit. VI, p. 97.

⁷ Ibid.

⁸ P. 94 ss.

applicari non possunt, nisi expresse ad hos illas referri constet; analogia enim iuris in iure poenali applicationem non habet.

Hac in re difficultas oriri potest e clausula finali seu sanctione in fine synodi apposita, quae sonat: « Statutum est praeterea, ut Libellus Constitutionum in linguam etiam Vernaculam, pro maiori totius Cleri commoditate, vertatur, imprimatur, ac cuilibet Parocho, et Monasterio, iusto, ac moderato pretio distribuatur per Reverendissimos Episcopos, ut quisque non solum in posterum scire, verum etiam, quae ad suum officium spectant, diligenter exequi possit: alioquin puniendus arbitrio Ordinariorum, ac pro ratione culpae, si neglexerit ».⁹

Haec clausula finalis videtur potestatem tribuere Episcopo ad puniendos omnes, qui officiis suis hac synodo determinatis non satis fecerint. Quae hinc potest num etiam monachi in casibus hac synodo quidem determinatis, sed potestati Episcopi expresse non reservatis ab hoc puniri possint? E. g. synodus sub poena depositionis ab officio prohibet violationem clausurae virorum per admissionem foeminae, sine ulla tamen mentione Episcopi deponentis.¹⁰ Possitne Episcopus vi illius sanctionis finalis generalis huiusmodi poenam superiori delinquenti infligere? Respondendum est negative, eo, quod haec monitio finalis intelligenda est in contextu totius legis seu synodi, quae monachos exemptos considerat, hinc etiam haec monitio finalis casus supponit, in quibus monachi expresse vel aequivalenter Episcopo subduntur.

Sed prout patet terminum *Ordinarius* huius passus in hac explicatione sumi exclusive pro Episcopo. Cuius vero rei ratio, quae pro interpretatione totius synodi hic explicari debet, est, quod sub termino *Ordinarius* ubique in synodo *loci tantum Ordinarius* intelligi debet. A synodo enim nondum introducta est distinctio, quae hodierno iure viget, scilicet inter *Ordinarium loci* et *Ordinarium regularem*, sed hic vocatur simpliciter Superior,¹¹ ille vero promiscue *Ordinarius, loci Ordinarius, Episcopus*, qui eodem modo tum Episcopum suffraganeum tum Metropolitam designat. Quod patebit facta diversorum locorum comparatione concludendo scil. e locis claris ad minus claros vel obscuros. Tamquam locum hac in re omnino clarum sumo imprimis materiam matrimonialem,¹² qua *Ordinarius* nonnisi *loci Ordinarius* designare potest, eo, quod hic solus in materia praedicta erat competens, nam non solum a synodo, verum etiam iam ab Urbano VIII decretum « *Tametsi* », ubi etiam sermo est simpliciter de *Ordinario* tamquam *loci Ordinario*, Ecclesiae Ruthenae unitae applicatum est.¹³ Sed in praedicta materia eodem ac in aliis locis synodus promiscue utitur eadem terminologia. Ergo etiam in locis, ubi sermo est de monachis, *Ordinarius* nonnisi *loci Ordinarius* designare debet.

Praeterea idem patet ex aliis locis e. g. « Confessarii Monialium sive ordinarii sive extraordinarii ab Episcopo approbantur et eliguntur. Si quis autem absque approbatione *Ordinarii Monialium* confessiones excipere ausus fuerit, ab Altaris ministerio interdicatur, aliisque poenis eiusdem *Ordinarii* arbitrio coercetur ».¹⁴ Hic evidenter *Ordinarius* designat *loci Ordinarius*.

Hac terminologia admissa etiam in passu supra citato, sicut etiam sequenti *Ordinarius* nonnisi *loci Ordinarius* designare dicendus est! « Praeterea statuit, ut omnes utriusque sexus *Regulares* eandem *Professionem* emittere debeant in

⁹ P. 83.

¹⁰ S. 3, tit. XI, p. 108.

¹¹ E. g. s. 3, tit. XI, p. 108, 109.

¹² S. 3, tit. III, VIII, p. 87-91.

¹³ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 119, s. 1.

¹⁴ S. 3, tit. XII, p. 112.

manibus Ordinarii vel alterius personae ab ipso designandae intra tres menses a die promulgationis praesentis synodi ».¹⁵

Hisce omnibus praemissis iam ad singulos casus enumerandos, in quibus monachi secundum synodum praedictam loci Ordinariis subiecti esse debent, accedimus. Casus hi in quadruplici serie comprehendendi possunt:

1^o Monachi, uti ceteri fideles, (eo, quod in generali terminologia « quivis », « quicumque » comprehenduntur).

2^o Monachi, qua monachi.

3^o Monachi-sacerdotes, qua sacerdotes.

4^o Monachi-parochi, aliique officiales in Curiis episcopalibus, qua tales.

I. Monachi ut ceteri fideles subduntur Episcopis.

1) In causis cognoscendis tamquam de schismate suspectorum:

a) in casu malitiosae omissionis particulae « *Filioque* » in symbolo fidei imprimendo aut tam publice quam privatim recitando.¹⁶

b) in casu accessus ad pastores acatholicos sive suscipiendorum sacramentorum sive devotionis gratia.¹⁷

2) In libris imprimendis, edendis, vendendis, inferendis, retinendis et legendis.¹⁸

3) In novis miraculis admittendis.¹⁹

4) In reliquiarum identitate examinanda.²⁰

5) In ecclesiis consecrandis.²¹

II. Monachi, qua monachi, locorum Ordinariis subduntur.

1) quoad domum religiosam erigendam, ad quam requirebatur consensus loci Ordinarii non tamen ab hoc praestandus, nisi praevia reali traditione dotis et possessione bonorum futuro monasterio, quae duodecim alendis religiosis sufficerent.²² A Tridentino requirebatur tantummodo loci Ordinarii licentia, synodus vero consensum requirit.²³

Item monasteria iam existentia, quae huiusmodi dotem non habebant, synodus eadem locorum Ordinariis non subdidit, prout ab Urbano VIII pro Ecclesia latina statutum est,²⁴ sed solum nova huiusmodi condere non permisit.²⁵

2) quoad monasteriorum visitationem.

Hic duplex conditio distinguenda est:

a) monasteriorum in Congregationem unitorum, quae non nisi

¹⁵ S. 3, tit. I, p. 54.

¹⁶ S. 3, tit. I, p. 55.

¹⁷ Ibid.

¹⁸ Ibid., p. 57.

¹⁹ S. 3, t. XVII, p. 123.

²⁰ Ibid.

²¹ S. 3, t. VI, p. 99.

²² S. 3, t. XI, p. 108.

²³ Trid. s. 25, c. 3, de reg.

²⁴ Const. *Cum saepe contingat*, § 14.

²⁵ S. 3, t. XI, p. 108.

in casu extraordinario, si scil. « Regulares Visitatores, et Ordinum Capita, quibus id incumbit, post sex menses a monitione Episcopi, visitare, corrigere, et Regularem observantiam reformare neglexerint » ab Episcopo visitari possunt;²⁶

b) monasteriorum in Congregationem nondum unitorum, quae ordinariae visitationi Episcopi subduntur.²⁷

3) quoad visitationem perendam:

a) ecclesiae curatae, etsi monachorum propriae et exemptae,²⁸

b) oratorii publici a claustris separati,²⁹

c) confraternitatis.³⁰

4) quoad professionem fidei emittendam.

a) imprimis synodus statuit, ut omnes utriusque sexus regulares professionem fidei ab Urbano VIII catholicis ritus Graeci praescriptam emiserint in manus Ordinarii (scilicet loci) vel alterius personae ab ipso designandae intra tres menses a die promulgationis synodi.³¹

b) dein disposuit, ut ii, qui deinceps sive virorum sive mulierum in monasteriis professionem religiosam in Ordine emissuri sunt, non expectato trium mensium spatio eandem fidei professionem statim ac in Ordinem cooptabuntur, emittant; « atque ita servetur in perpetuum ».³²

c) monachi, non exceptis Archimandritis, post huiusmodi fidei confessionem periuri ad Episcopum deferri et ab eodem graviter puniri debebant.³³

5) quoad honorum renuntiationem a novitiis faciendam. Verumquidem constitutione synodali nulla mentio fit licentiae ad huiusmodi renuntiationis validitatem ab Episcopo necessarie obtinendae; statutum enim est tantum: « ad Professionem non admittantur, nisi praevia dispositione honorum facienda post decimum mensem novitiatus ».³⁴ Attamen propterea, quod statim Tridentinum advocatur « iuxta praescriptum Sacri Concilii Tridentini de Regularibus sess. 25, c. 16 », ideoque etiam monachis Ruthenis synodus observandum praecepisse censenda est, quidquid hac in re a Tridentino loco citato constitutum sit. Sed a Tridentino ad renuntiationis praedictae validitatem licentia Episcopi requirebatur, ergo etiam pro monachis Ruthenis huiusmodi licentia ad validitatem requisita esse dicenda est.

6) quoad studia theologica instituenda.

Tum respectivis locorum Ordinariis in propriis dioecesibus, tum Metropolitanis in tota Ecclesia Ruthena unita a synodo agnita est potestas cogere, si opus fuerit, monasteriorum Superiores, ut:

²⁶ S. 3, t. VI, p. 97.

²⁷ Ibid.

²⁸ Ibid.

²⁹ Ibid.

³⁰ Ibid.

³¹ S. 3, t. I, p. 54.

³² Ibid.

³³ Ibid.

³⁴ S. 3, t. XI, p. 109.

1. « In suis monasteriis, ubi plures quam duodecim Religiosi aluntur, tum pro Regularibus, tum pro Saecularibus, qui accedent, erudiendis Studia Theologica instituantur ».

2. « Qua vero minus opulenta sunt, et pauciores habent Monachos, aliquos Iuvenes felicioris ingenii vel ad alia monasteria mittant, studiorum causa vel penes se aliquid de Morali Theologia, lingua saltem vernacula continuo doceri curent a lectoris aliunde, si fuerit opus, adscitis ».³⁵

7) quoad ordines sacros recipiendos.

Hac in re synodus « servari iussit Decretum Clementis PP. VIII, quo constitutum est:

1. « Superiores posse suis subditis, qui praediti qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerint, Dimissorias concedere ad Episcopum Dioecesanum illius Monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinent Regulares ipsi ad Ordines promovendi, positi fuerint ».

2. « Quodsi Dioecesanus abfuerit, Dimissorias dirigere possint ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen et causam expriment, ex qua Dioecesanus ordinationem habere non potest, et ab Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur circa doctrinam, et ipsi Superiores non distulerint de industria concessionem Dimissorialium in tempus, quo Dioecesanus abfuturus esset, vel Ordinationes habere non possent ».³⁶

8) quoad usum pontificalium.

« Praeterea ii, quibus ius est utendi Pontificalibus, ne audeant illa exercere³⁷ sine loci Ordinarii licentia, extra propriam Ecclesiam: alioquin interdicanur ab ingressu Ecclesiae per tres menses ».³⁸ Iure pontificalibus uti de iure inter monachos guabebant Archimandritae, qui a solo Metropolita dependebant; hic vero subduntur etiam locorum Ordinariis. Vi vero privilegii tempore posteriori, secunda scilicet periodo, gaudebunt etiam Protoarchimandritae etiamsi in Archimandritas benedicti non essent, durante tamen tempore officii. Hinc iis eadem norma synodi applicanda erit.

9) quoad monachos extra claustra vagantes sine licentia Superiorum.

« Monachos, qui aliquanto sine licentia Claustralium Superiorum vagantur, ac de uno in aliud Monasterium migrant locorum Ordinarii in quorum Dioecesi reperti fuerint in vincula coniiciant et ad suos Superiores puniendos mittant. Neque iisdem monachis liceat a suis Monasteriis recedere etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento deprehensus fuerit ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur ».³⁹

³⁵ S. 3, t. XV, p. 117.

³⁶ S. 3, t. III, c. VII, p. 82.

³⁷ Secundum hodiernam terminologiam dicendum esset « illis uti », nam « Exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere, quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram »; CIC, c. 337, § 2.

³⁸ S. 3, t. XI, p. 109.

³⁹ S. 3, t. XI, p. 109.

III. Monachi-sacerdotes, qua sacerdotes locorum Ordinariis subduntur.

1) In administratione sacramentorum, e quibus statuta expresse quo ad confessionem feruntur:

a) in iurisdictione ad confessiones audiendas petenda: « Qui Parochialem Ecclesiam non obtinent, etiamsi Regulares fuerint, Confessiones ne audiant sine Episcopi approbatione. Qui contra fecerint eos ipso facto Sancta Synodus excommunicationis poenam subire decernit ».⁴⁰

b) in poenis arbitrio Ordinarii infligendis, si confessiones plurimum simul, non vero uniuscuiusque separatim audiant;⁴¹

c) speciatim quoad iurisdictionem ad confessiones monialium audiendas petendas;⁴²

d) in casibus Ordinario loci reservatis.⁴³

2) In S. Missae celebratione:

a) quoad licentiam petendam ad S. Missam sub dio celebrandam.⁴⁴

b) quoad poenas infligendas in casu admissi ad Missam celebrandam vel sacramenta administranda sacerdotis alienae dioeceseos sive regularis sive dioecesani sive latini ritus sive orientalis sine litteris commendatitiis aut testimonialibus proprii Episcopi eodem saltem anno concessis;⁴⁵

c) consequenter in huiusmodi litteris petendis.

3) In poenis subeundis ob non commemorationem Romani Pontificis: « Eadem de causa, et ad demonstrandam sinceram membrorum cum Capite coniunctionem, censuit etiam ac praecepit, sub poenis arbitrio Ordinarii infligendis, ut ubicumque in sacris Dypticis commemoratio Romani Pontificis facienda erit, praesertim vero tempore Sacrificii Missae in translatione Oblatorum, fiat claris, et expressis verbis, quibus alter, quam Romanus universalis Episcopus designari non possit.⁴⁶

4) « Monasteria omnia, in quibus exercetur cura animarum, Sacrum Chrisma recipiant a loci Ordinario; alioquin ipsorum Ecclesiae Interdicto subiaceant ».⁴⁷

5) Et in genere in oleis sacris et antimensiis ab Episcopo recipiendis.⁴⁸

6) In solvendo cathedratico.⁴⁹

⁴⁰ S. 3, t. III, § V, p. 77.

⁴¹ Ibid.

⁴² S. 3, t. XII, p.

⁴³ S. 3, t. III, § V, p. 77.

⁴⁴ S. 3, t. III, § IV, p. 71.

⁴⁵ Ibid., p. 73.

⁴⁶ S. 3, t. I, p. 55.

⁴⁷ S. 3, t. XI, p. 108.

⁴⁸ S. 3, t. XIV, p. 114.

⁴⁹ Ibid., p. 115.

IV. *Monachi- parochi aliique officiales in Curiis episcopalibus.*

1) In munere parochiali obeundo monachi omnino ab Ordinario loci dependent, eadem enim statuta pro omnibus parochis a synodo lata sunt, nec distinctio fit inter parochos saeculares et regulares. Monet tantum synodus ut: « Ecclesiae Parochiales, quae Regularibus ex sui fundatione vel iusta praescriptione attributae sunt, per Regulares regantur, reliquae omnes per Saeculares, neque amplius ipsarum natura mutetur ». ⁵⁰ Quas tamen ecclesias parochiales sive saecularibus sive regularibus attributas Episcopus aequo iure visitat. ⁵¹

2) Item monachi Proto-Presbyteri seu Decani rurales, quod munus ab illis fungendum a synodo expresse admittitur, ⁵² sicut et in curiis episcopalibus munus Officialis, ⁵³ in huiusmodi muneribus obeundis plene ab Episcopo dependent.

Praeter tamen casus ex sua parte a synodo potestati Ordinariorum super monachis reservatos Metropolita et Episcopi iuribus suis praxi et consuetudine antesynodali introductis gaudere non cessarunt. Hinc « *Nexus* » ille ex anno 1686 Metropolitam inter et Religionem Basilianam initus a synodo non est revocatus, nisi in casibus, in quibus relatio huiusmodi ab ipsa synodo ordinata est uti e. g. quod spectat parochialium ecclesiarum visitationem. In « *Nexu* » enim illo numero 8 visitatio ecclesiarum parochialium curae Regularium subiectarum Protoarchimandritae commissa est; synodus vero respectivis locorum Ordinariis eam reservat. ⁵⁴

Hinc erat, quod nova Congregatio Ruthena nuncupata post et vi huius synodi erecta, etiamsi in relatione sua ad Metropolitam « *Nexum* » illum ex anno 1686 recepit, quod tamen visitationem illam spectat, sine dubio ad calcem constitutionis synodalis, propriam constitutionem composuit, ut sequitur: « 6-to: Ubicumque Monasteria curam Parochialem habentia reperiuntur in his quo ad visitationem dispositiones sacrorum Canonum et aliarum ritus Latini Religionum Praxes inviolabiliter observandae erunt ». ⁵⁵

PERIODUS SECUNDA: 1743-1795

Secundum intenta Benedicti XIV in unione duarum Congregationum in unum Ordinem Basilianorum Ruthenorum relatio eiusdem ad Hierarchiam Ruthenam ordinari debuisset unice iure communi religiosorum exemptorum Ecclesiae latinae. In decreto enim unionem illam praecipiente ex anno 1742 inter alia statutum est: « 6-to. Quo ad iurisdictionem Metropolitanae, Ei competat tantum jus illud, quod a

⁵⁰ S. 3, t. X, p. 106.

⁵¹ S. 3, t. VI, p. 97.

⁵² S. 3, t. IX, p. 103.

⁵³ S. 3, t. VII, p. 101.

⁵⁴ S. 3, t. VI, p. 97.

⁵⁵ APF-CP, 1742, v. 91, f. 285v.

Constitutionibus Apostolicis, et a S. Concilio Tridentino tribuitur caeteris Metropolitanis et Episcopis super Monachos exemptos ».⁵⁶

Huiusmodi vero exemptionem Benedictus XIV non tamquam quid novum in Ecclesiam Ruthenam introducere sua sponte voluit, sed tantum in praxim deducere, quod iam synodus Zamostiana constituit, conatus est. Nam, prout vidimus, casus, in quibus monachi in congregationem uniti secundum dictam synodum locorum Ordinariis subesse debebant, fere cum casibus concordant iuris communis latini exemptorum. Quod quidem ipse Benedictus XIV in Brevis *Etsi dubitare*, diei 27 Novembris 1742, quo ad litteras Metropolitanae et Episcoporum Ruthenorum contra huiusmodi exemptionem protestantium respondebat, expresse manifestavit eundem sensum fuisse constitutionis synodi Zamostianae: « qua in hunc sensum accepta, Synodum confirmavit Apostolica Sedes, cuius est de vero synodali sensu iudicare ».⁵⁷ Item in secundo suo Brevis « *Opinionem* », diei 27 Maii eiusdem anni, postquam Metropolita post primum Breve omnimodam oboedientiam decreto illo praestandam patefecerit atque omni iure, quo in monasteria propriae dioeceseos utebatur, cesserit illudque in Protoarchimandritam transtulerit atque hoc modo ceteris Episcopis exemplo suo praeierit quam ob causam Benedictus XIV illum laudans iterum atque iterum de exemptione illa loquitur tamquam a synodo Zamostiana volita: « reservato tamen tibi ac reliquis tibi coniunctis Episcopis iure, quod apostolicae constitutiones ac Tridentina Synodus, cui pariter *maiores vestri* fidem suam astrinxerunt, Ordinariis permittunt in suae dioecesis regulares, scilicet exemptos ».⁵⁸

His tamen instantiis ad huiusmodi exemptionem ad normam iuris communis latinorum Ordini Basiliano plene applicandam non obstantibus, Benedictus XIV iam in fine primi sui memorati Brevis « *Etsi dubitare* » normam concessae exemptionis in concreto stabiliendam commisit Nuntio Apostolico: « Quod ut commodius fieri queat, permisimus Nuntio isthic nostro, tempus idoneum designare ad cogendum monachorum conventum ut ibi, maturo consilio, norma constituatur, qua negotium istud ad exitum perducatur ».⁵⁹ Norma autem, de qua istud Breve, stabilita est in futuro Capitulo anno 1743 Dubnensi in forma tamen mitiori, quam quae a decreto illo requirebatur, nam Ordinem inter et Metropolitanam novus « *Nexus* » conclusus est, quo iura antiqua Metropolitana super Ordine Basiliano ex parte salvata sunt. Benedictus XIV « *Nexum* » illum in quibusdam mutatum approbavit litteris decretalibus « *Inter plures* » tum eo quod in genere capitulum illud approbavit,⁶⁰ tum eo, quod singula quaedam puncta eiusdem « *Nexus* » modificavit vel approbavit.⁶¹

⁵⁶ *Bullae et brevia*, P. I, p. 74.

⁵⁷ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 86, § 1.

⁵⁸ DE MARTINIS, *ibid.*, p. 512.

⁵⁹ *Ibid.*, p. 86, § 3.

⁶⁰ *Ibid.*, p. 145, § 7.

⁶¹ *Ibid.*, e. g. § 23 confirmavit constitutionem, quae in *Nexu* sub n. 10; § 27 constitutionem *Nexus* n. 5.

Posterius idem Pontifex litteris decretalibus « *Super familiam* »⁶² relationem Metropolitae ad Archimandritas ordinavit. Praeterea SCPF. quaedam dubia hac in re orta resolvit uti e. g. anno 1752.⁶³

Haec omnia sunt fontes, quibus potestas Metropolitae super Ordine Basiliano secunda periodo fundabatur, qua reassumpta, quaedam eidem vi iuris communis latini, quaedam vero vi iuris particularis competisse dicenda sunt.

I. Vi iuris communis latini, secundum decretum SCPF. coram SS. anno 1742, die 1 Maii editum,⁶⁴ Metropolitae et Episcopis Ruthenis eadem potestates super Ordine Basiliano competebant, quibus tunc Ordinarii latini in religiosos exemptos gaudebant.

Casus concreti huiusmodi competentiae in eorum argumento tantum, citatis fontibus, hic indicantur, eo, quod aliunde facile constare possunt;⁶⁵ sunt autem sequentes:

- 1) Monasteria, in quibus deest sufficiens religiosorum numerus « Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur » (Urbanus VIII Const. *Cum saepe*, 1625, § 14).
- 2) In iis, quae animarum curam personarum saecularium spectant (Trid. s. 25, c. 11; Greg. XV, *Inscrutabili*, § 4).
- 3) In sacramentis administrandis personis saecularibus (Greg. XV *Inscrutabili*, § 4; Bened. XIV, *Firmandis*, § 3).
- 4) In iis, quae ad Missarum celebrationem pertinent (Trid. s. 22, Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missae).
- 5) Quoad publicam SS. Sacramenti expositionem (Bened. XIV, *Accepimus*).
- 6) Quoad confessiones personarum saecularium excipiendas (BONIFACIUS VIII, *Extrvag. comm. Super cathedram*, 2, De Sepulturis; JOANNES XXII, *Extrvag. comm. Frequentes un.* De iudiciis; CLEMENS V, *Clem. Dudum*, 2, De sepulturis; PRUS V, *Romani Pont.* § 2; Trid. s. 23, c. 15 de ref.).
- 7) Quoad praedicationes (Trid. s. 5, c. 2 de ref.; s. 24, c. 4, de ref.).
- 8) Quoad indulgentias publicandas (Trid. s. 21, c. 9 de ref.; s. 25 Decret. De Indulgentiis).
- 9) Quoad reliquiarum expositionem (Trid. s. 25, Decret. De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus).
- 10) Quoad libros edendos (Later. V, *Inter sollicitudines*, § 2; Trid. s. 4, Decretum de editione et usu sacrorum librorum).
- 11) Quoad quaestuationem (Trid. s. 21, c. 9 de ref.; Alexander VIII « *Altas emanavit* » § 1; Clemens XII, *Dudum emanavit*, § 3; S. C. Ep. Reg. 20, I, 1769).
- 12) Quoad processiones (Trid. s. 25, c. 13 de Reg.).
- 13) Quoad confraternitates erigendas et aggregandas (Clemens VIII, *Quaecumque*).
- 14) Quoad earundem visitationem (Trid. s. 22, c. 8 de ref.).
- 15) Quoad pontificalium exercitium et usum;
 - a) Episcopus honoris causa pontificalibus uti (non exercere) etiam in ecclesiis exemptorum potest (De mandato Clementis VIII — SC, Ep. Reg. Decretum 10, VI, 1605);
 - b) Regulares iisdem extra proprias ecclesias uti sine licentia Episcopi non possunt (c. 3, de Privat. in VI).

⁶² DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 658.

⁶³ *Bullae et brevia*, P. II, p. 80.

⁶⁴ *Ibid.*, P. I, p. 74, ad 6-tum.

⁶⁵ Cfr. F. PIATO-MONTESI, *Praelectiones iuris regularis*, t. II, p. 13-94.

- 16) In causis fidei seu quae ad S. Officium spectant (Trid. s. 5, c. 2 de ref.; Paulus V, *Romanus Pontifex*, § 2).
- 17) Quoad bonorum renuntiationem (Trid. s. 25, c. 16, de Reg.).
- 18) Quoad dies festos ab Episcopo praescriptos observandos (Trid. s. 25, c. 12, de Reg.; Urbanus VIII, *Universa* 13, IX, 1642).
- 19) Quoad campanarum pulsationem (Leo X, *Dum intra* § 14).
- 20) Quoad ordinum susceptionem (Trid. s. 23, c. 8 de ref.; Gregor. XIII, approbavit decretum SC. Concilii 1573; De mandato Clementis VIII, SC. Concilii 1596, 15, III).
- 21) In regulares delinquentes:
 - a) qui extra claustra degunt ibique delinquent (Trid. s. 1, c. 3 de ref.).
 - b) qui intra claustra degunt, sed extra delinquent (Trid. s. 25, c. 14 Reg.).
- 22) Quoad censuras ab Episcopo promulgatas (Clemens V, Clem. Ex frequentibus 1, de sententia excomm.; Trid. s. 25, c. 12, de Reg.).
- 23) Si delinquant circa monialium clausuram (Trid. s. 25, c. 5 de Reg.; Greg. XV, *Inscrutabili*, § 4).
- 24) Quoad domus erectionem (Trid. s. 25, c. 3, de Reg.; Clemens VIII, *Quoniam iustitiam*, § 1; Greg. XV, « *Cum alias* » § 3; Urbanus VIII, *Rom. Pont.*).
- 25) Quoad S. Scripturae lectionem (Trid. s. 5, c. 1, de ref.).
- 26) Quoad rationem reddendam piarum voluntatum (c. 17; De testamentis et ultimis voluntatibus; Clem. Religiosis, un. De testamentis et ultimis voluntatibus; Trid. s. 22, c. 8 de ref.).
- 27) Quoad ecclesias a laicis recipiendas (Alexander IV C. Cum et platea 3, De orivilegiis et excessibus privilegiatorum).
- 28) Quoad visitationem ecclesiarum saecularium ad regulares pertinentium (Triden. s. 7, c. 8 de ref.).
- 29) Quoad totum regimen, si regulares non habent ordinarios regulares visitatores (Trid. s. 25, c. 8, de Reg.).
- 30) Quoad monasterii visitationem, si visitator regularis admonitus intra sex menses eam non peregerit (Trid. s. 21, c. 8 de ref.).
- 31) In causis deficientium a religione (Trid. s. 25, c. 19 de Reg.; Benedictus XIV, *Si datam*).
- 32) Si conservatorem privilegiorum regulares non elegerunt, interim ad annum illorum causae ab Ordinario cognosci ac definiiri debent (Greg. XV, *Sanc-tissimus*, § 8).
- 33) Quoad examen ad audiendas subiiciendum (Trid. s. 23, c. 15 de ref.; Pius V, *Romani Pontificis*, § 2; Greg. XIII C., *In tanta* § 5).
- 34) Quoad causuum reservationem (Trid. s. 14, c. 7 De Poenitentia; Alexander VII « *In Congregatione* » s. 1, n. 12; Clemens X, *Superna*, § 7).

II. Vi autem iuris particularis, *Nexu* illo in capitulo Dubnensi anno 1743 Metropolitanam inter et Ordinem concluso, cum posterioribus eiusdem modificationibus a S. Sede factis, Metropolitanae sequentes potestates in Ordinem Basilianum competebant:

A. In capitulum generale:

1) Capitulum generale convocat quidem Protoarchimandrita, sed consulto Metropolitano de tempore celebrationis eiusdem, locus enim constitutionibus erat determinatus.⁶⁶

2) Eidem capitulo Metropolita praesidet,⁶⁷ tamquam S. Sedis

⁶⁶ *Nexus*, n. 4

⁶⁷ *Ibid.*, n. 5 et *Inter plures*, § 27.

Delegatus et quidem sive per se sive per Subdelegatum Episcopum Ruthenum⁶⁸ (scil. Professum OSBM. et monastica disciplina excultum).⁶⁹

3) Vocem activam habet in electione: a) Protoarchimandritae, Consultorum et Secretariorum generalium,⁷⁰ b) Inde a capitulo Berestensi 1759 etiam Procuratoris generalis;⁷¹ quae autem vox vim duorum votorum habere debuisset secundum cap. Dubnen. 1743, sed tamen «*Inter plures*» § 27, et cetera capitula nihil de duobus votis.

4) Vocem decisivam in electionibus praedictis in casu votorum paritatis post quartum scrutinium habet.⁷²

5) Est primus votorum scrutator in electione Protoarchimandritae, de quo expresse loquuntur constitutiones capitulares;⁷³ sed eodem modo in ceteris electionibus officialium generalium, quibus participat capituli preses, nam decretum SCPF. ex anno 1757 ad 14) simpliciter de electionibus loquitur.⁷⁴ Uti scrutator ad iuramentum praestandum uti ceteri scrutatores tenetur.⁷⁵

B. In Protoarchimandritam.

1) Vocem activam in eius electione, uti supra, habet, exclusam tamen voce passiva.⁷⁶

2) Cum vero hac periodo electio Protoarchimandritae fieri debet alternative ex alia provincia, Metropolitae est inspicere, ut haec alternativa actate observetur.⁷⁷

3) Iuramentum a Protoarchimandrita recipit; in quo inter alia hic Metropolitae oboedientiam iurare debuit secundum cap. Dubnen. 1743 hac forma: «in iis, quae Nexum in hoc Praesenti Capitulo statutum concernunt».⁷⁸ Sed Benedictus XIV in litteris decretalibus «*Inter plures*» pro forma iuramenti huiusmodi sumpsit potius primum punctum ipsius Nexus addita mentione ultimarum litterarum decretalium.⁷⁹ Hinc constitutiones sequentium capitulorum iuramentum huiusmodi oboedientiae ita formant: «secundum omnia iura, consuetudines et decreta a S. Sede Apostolica lata et iuxta praescripta in Litteris SS.mi Domini Nostri Benedicti XIV Decretalibus die 11, Maii anni 1744 emanatis».⁸⁰ In capitulo denique Berestensi 1772 addita est mentio etiam decretalis «*Super familiam*».⁸¹

⁶⁸ Decretum SCPF, 1752, 26, XI ad 3) et 4) — *Bullae...* P. II, p. 81.

⁶⁹ *Codex* p. 190, 3^o; hoc tamen non ad validitatem, spectato valore Codicis.

⁷⁰ A. cap. Dubnen. 1745 ad cap. Berest. 1759 - Const. 2; cap. Berest. 1772 — Const. 4.

⁷¹ Const. 2; cap. Berest. 1772 — Const. 4.

⁷² Decretum SCPF, 1759 ad 6) — *Bullae et brevia*, P. II, p. 125.

⁷³ Berest. 1747 et 1751 — Const. 23; Berest. 1759 — Const. 27; Berest. 1772; c. 48.

⁷⁴ *Bullae et brevia*, P. II, p. 121.

⁷⁵ A. cap. Berest. 1759 — Const. 27.

⁷⁶ Decretum SCPF, 1742 ad 4) — *Bullae et brevia*, P. I, p. 73.

⁷⁷ *Nexus*, n. 9.

⁷⁸ Cap. Dubnen. 1743, s. 11, 4^o.

⁷⁹ C. 22.

⁸⁰ Cap. Berest. 1747; c. 5.

⁸¹ C. 8.

4) In casu scandali Protoarchimandritae, hunc Metropolita admonet, iudicat et, si opus est, deponit, in capitulo generali: « Quotiescumque compertum erit Protoarchimandritam muneri suo abuti, vel, quod Deus avertat non exemplariter vivere talem ad delationem Consultorii Generalis utriusque provinciae Ill.mus Metropolitanus ad rectius vivendum, et muneri suo satisfaciendum Paternae monebit. Si vero is Monitioni non paruerit, et prorsus sit incorregibilis, hac necessitate, inito Consilio cum Consultoribus utriusque Provinciae convocabit Metropolitanus Capitulum Generale, et Capitulariter descendit ad iudicandum servato tempore et loco pro Capitulis designatis, non tamen observato Quadriennio ».⁸²

5) « In casu obitus Protoarchimandritae — determinabat Nexus n. 10 — Ill.mus Consultor Generalis ex ea Provincia electus, ex qua et ipse defunctus erat Protoarchimandrita, reget cum scitu Metropolitanus Religionem, pro Capitulo autem futuro in tempore praescripto convocabit idem Consultor praevia conventionem tam cum ill.mo Metropolitanus, quam Venerabili Consultorio utriusque Provinciae ». Sed Benedictus XIV hanc constitutionem mutavit in hunc modum, quod loco: « reget cum scitu Metropolitanus Religionem » substituitur: « reget Religionem certiorato prius de obitu Protoarchimandritae Metropolitanus, eique servato debito honore et reverentia ».⁸³

6) Quod vero attinet 3tium punctum *Nexus*, quod sonat: « Rev.mus Protoarchimandrita in principalioribus Religionis negotiis, si iudicaverit opus esse consilio, auxilio Ill.mi Metropolitanus, recursum faciet, et a suo Hierarcha exposcet media, Ill.mus vero Metropolitanus omne juvamen et protectionem ordini appromittit », id omnino non potest explicari in sensu obligationis Protoarchimandritae respectu Metropolitanus. Hic habetur tantum promissio ex parte Metropolitanus adiutorii Ordini praestaturi, nulla autem obligatio Protoarchimandritae respectu Metropolitanus, quam hic urgere potuisset.⁸⁴

C. In Archimandritas.

Imprimis notandum est hac periodo quaestionem de erectione archimandriarum nullum momentum habere, nam tunc de conservatione potius archimandriarum iam existentium, quam erectione novarum actum est, quas ipsi patroni conservandas urgent,⁸⁵ contra tendentias contrarias. Hinc, considerato, quod secundum decretum SCPF., 24 Maii 1757, Metropolita in illis solis monasteriis instituire potuit Abbates, in quibus tempore promulgatae constitutionis « *Inter plures* » extabant in pacifica possessione Abbates,⁸⁶ iura metropolitana respiciebant promo-

⁸² *Nexus*, n. 12.

⁸³ *Inter plures*, § 23.

⁸⁴ De obligatione Protoarchimandritae recurrenti ad Metropolitanam vi huius puncti *Nexus* loquitur BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 94. Sed hic auctor videtur sibi contradicere admittendo in eadem relatione simul favorem et obligationem ex eadem parte.

⁸⁵ Cfr. e. g. cap. Dubnen. 1743, s. 8 et *Super familiam*, § 9.

⁸⁶ *Bullae et brevvia*, P. II, p. 119 ad 7^{mum}.

tionem tantum Archimandritarum, non vero amplius archimandriarum erectionem.

At sicut periodo praecedenti ita etiam hac quaestio dependentiae Archimandritarum in relatione Ordinis ad Metropolitanum primum habet momentum. Secundum *Nexum* conclusum anno 1743 promotio Archimandritarum dependebat etiam a Protoarchimandrita eiusque Consultoribus, qui ad omnes dignitates ecclesiasticas praesentare debuit monachos-candidatos, dato, quod vi legis Pontificiae a Benedicto XIII latae monachi ad huiusmodi dignitates promovendi consensum Protoarchimandritae et Ordinis necessario obtinere debuerunt, secus enim inhabiles ad easdem eo ipso efficiebantur.⁸⁷ Metropolitano vero candidato a Protoarchimandrita et Consultoribus eius praesentatos canonico impedimento non adinvento praesentabat regi aliisque patronis, quibus solus Metropolitano vi privilegii ex anno 1635⁸⁸ illos praesentare potuit. Idem Metropolitano personas Archimandritarum exclusive visitare debuisset, dum archimandrias et monachos in iisdem degentes visitare debuisset Protoarchimandrita.⁸⁹ Ita ordinata remanere debuisset disciplina Archimandritarum secundum *Nexum* ex anno 1743. At Benedictus XIV quaestionem dependentiae Archimandritarum in decretali « *Inter plures* » ad tempus posterius indagandam et resolvendam distulit, confirmando ad interim constituta in *Nexu* praedicto.⁹⁰

Interim anno 1753 in bulla, quae incipit « *Inclytum* », quod promotionem monachorum ad omnes dignitates ecclesiasticas spectat, legem illam de consensu Protoarchimandritae ad easdem requisito a Benedicto XIII latam revocavit omniaque hac in re ad ius commune reduxit.⁹¹

Dein anno 1755, 23, XI, in congregatione particulari SCPF. coram se habita quaestionem dependentiae Archimandritarum, utrum scilicet hi a Metropolitano vel potius a Protoarchimandrita dependere debeant, indagavit,⁹² cuius decreta in sua decretali anno sequenti 1756 edita, quae incipit « *Super familiam* » publicavit.⁹³ Secundum hanc decretalem iura Metropolitanae super Archimandritis, quae postea quibusdam decretis SCPF. magis explicata sunt, haec erant:

1) Ad archimandrias, quae tempore editionis decretalis « *Inter plures* » in pacifica possessione extabant Abbates,⁹⁴ candidatos regi praesentat Metropolitano⁹⁵ idemque a rege nominatis institutionem, quae in collatione beneficii et benedictione archimandritali consistebat, tribuit, reservata eorundem installatione Protoarchimandritae.⁹⁶

2) Metropolitano iuramentum oboedientiae ab instituendis recipit,

⁸⁷ *Nexus*, n. 8, et Breve *Cum sicut* — DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411.

⁸⁸ Privilegium Vladislai IV — *Bullae et brevia*, P. III, B 4-C.

⁸⁹ *Nexus*, n. 7.

⁹⁰ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 146, § 14-21.

⁹¹ *Ibid.*, p. 526.

⁹² APF-CP, 1755, v. 120, ff. 1-297.

⁹³ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 658.

⁹⁴ Decretum SCPF, 1757 — *Bullae brevia*, P. II, p. 119 ad 7^{mm}.

⁹⁵ Ex privilegio Vladislai IV ex anno 1635.

⁹⁶ *Super familiam*, § 1; et decretum SCPF, 1757 ad 8^{um}.

« cuius quidem iuramenti formula ita concepta sit, ut relationem habeat ad omnia iura, constitutiones et decreta ab Apostolica Sede emanata, et signanter ad ea, quae in praecitatis, quarum initium est *Inter plures* et in praesentibus nostris litteris continentur ».⁹⁷

3) Eodem modo, scil. Metropolita instituente et Protoarchimandrita installante ad aliam archimandriam Archimandritae transferuntur.⁹⁸

4) Protoarchimandrita acta installationis ad curiam Metropolitanam transmittere debet.⁹⁹

5) Etiam si iurisdictio super Archimandritis agnita sit Protoarchimandritae, integrum tamen erat illis ad Metropolitanam tamquam S. Sedis Delegatum appellandi in devolutivo in poena suspensionis ab officio ipsis a Protoarchimandrita in actu visitationis inflictam.¹⁰⁰

6) Item ad eundem etiam in suspensivo appellandi, si in actu eiusdem visitationis poena corporis afflictiva aut infamiam irrogante a Protoarchimandrita affecti sint.¹⁰¹

7) Item ad eundem uti S. Sedis Delegatum iidem etiam in suspensivo appellare potuerunt, si processu instituto a Protoarchimandrita etiam citra actum visitationis poena depositionis vel corporis afflictiva aut infamante afflicti essent.¹⁰²

8) Metropolitanae Archimandritas ad synodos convocanti, hi obedire debent,¹⁰³ seu in synodo praesentari.

9) Metropolita Archimandritas ad conventus hierarchicos convocare potest et debet certiorato prius Protoarchimandrita.¹⁰⁴

10) Archimandrias vacantes propriae dioeceseos administrat Metropolita.¹⁰⁵

D. In ceteros monachos.

1) Antiquam praxim de suppeditandis ad Curias Metropolitanae et Episcoporum necessariis personis ex Ordine novus *Nexus* ex anno 1743 retinuit et ita formavit: « Confessarium, Theologum, et alios si quos lateri suo assistentes, et ad Cathedras residentes necessarios requiret, et habere voluerit tam Ill. mus Metropolitanus, quam Episcopi, suppeditare obligabitur Revd. mus Protoarchimandrita, sive respective Vicarius Generalis (puta provincialis)¹⁰⁶ debitum qualitatibus pro eiusdem muneribus obeundis praeditos et idoneos ».¹⁰⁷

2) Item quoad recursum monachorum omnium a Protoarchimandrita ad Metropolitanam antiqua praxis etiam secunda periodo retenta

⁹⁷ *Super familiam*, § 1.

⁹⁸ Decretum SCPF, 1757 ad 10^{um}.

⁹⁹ Cfr. *Codicem*, qui expresse ad ordinationem S. Sedis revocat, p. 86, n. XX.

¹⁰⁰ *Super familiam*, § 3.

¹⁰¹ *Ibid.*

¹⁰² *Ibid.*, § 4.

¹⁰³ Cfr. formulam iuramenti in decreto SCPF, 1759 — *Bullae...* P. II, p. 132.

¹⁰⁴ Decretum SCPF, 1758 ad 2^{um} — *Bullae...* *ibid.*, p. 122.

¹⁰⁵ *Super familiam*, § 9.

¹⁰⁶ In cap. Dubnen. 1743, dum *Nexus* componebatur, forma regiminis novi Ordinis nondum determinata est.

¹⁰⁷ *Nexus*, n. 11.

est vimque legis pontificiae obtinuit. De hoc recursum iam in Nexu illo ex anno 1743 sequentia habentur: « 13tio. Si aliquis Religiosorum censuerit se esse gravatum a Provinciali, sive Vicario Generali (puta altero Provinciali) suae Provinciae ad quem immediare recurrere debet, recurrat ad Generalem. Quod si ab ipso Proto-Archimandrita, seu Generali gravetur, recurrat ad Ill.mum Metropolitanum, qui Ill.mus Metropolitanus praemonebit Proto-Archimandritam, ut absteineat a gravamine usque ad Capitulum Generale redditurus in eo rationem ». ¹⁰⁸

Postea Benedictus XIV hoc punctum *Nexus* in decretali « *Super familiam* » confirmavit et determinavit in hunc modum: « Quinto permissum fuit monachi quibuscumque, si forte gravamen sibi aliquod a Proto-Archimandrita illatum fuisse contendat, recursum habere ad Metropolitanum tamquam praedictae Sedis Delegatum, salva tamen semper Apostolicae Nuntiarum eiusdem Sedis auctoritate »; ¹⁰⁹ quae autem pontificia constitutio in constitutiones Ordinis capitulares postea recepta est. ¹¹⁰

3) Praeter has potestates Metropolitanae super Ordine Basiliano secunda periodo illi agnitas, quae stabilem ipsarum usum et vigorem supponebant, idem Metropolita a Romano Pontifice in decretali *Inter plures* particulare quidem commissum, quod tamen diu periodo illa applicationem habuit, accepit i. e. monasteriorum, quae praescriptum numerum monachorum alere non potuerunt, reductionem: « Hinc est, ut nulli melius, quam ipsi, demandari posse iudicemus, gravioris momenti negotium, quod hic subiungimus. Plura nempe monasteria in provincia Poloniae esse novimus ad eam paupertatem redacta, ut vix duos vel tres monachos alere possunt; in huiusmodi rerum statu, canonicae leges praecipunt, plurium monasteriorum unionem faciendam esse, donec in singulis monasteriis decem vel saltem octo monachi commode congregari valeant. Ad multa hucusque laudabiliter peracta hoc etiam addat Metropolitanus (cui nos idipsum demandamus, omnesque facultates ad hoc necessarias et opportunas impertimur), ut simul cum Proto-Archimandrita et consultoribus generalibus necnon Provinciali Poloniae, eiusdemque provinciae consultorio, ad huiusmodi tenuiorum monasteriorum unionem peragendam incumbat. Quod sane proficuum opus ipsius cura, ut confidimus, recte perficiendum, ubi ad Apostolicam Sedem ipsius relatio deferetur, auctoritate nostra comprobare et confirmare non dubitabimus ». ¹¹¹

¹⁰⁸ *Nexus*, n. 13.

¹⁰⁹ *Super familiam*, § 6.

¹¹⁰ Cap. Berest. 1759 — Const. 9; cap. Berest. 1772 — Const. 20.

¹¹¹ *Inter plures*, § 29.

ARTICULUS II.

DE RELATIONE IURIDICA EPISCOPOS INTER
ET ORDINEM BASILIANUM.

De relatione Episcoporum Ruthenorum ad Ordinem Basilianum iam plura diversis partibus hucusque dicta sunt. Nunc restat systematice eadem colligere et in quibusdam complere.

Itaque sicut in relatione ad Ordinem Metropolitae, ita ietiam Episcoporum diversae periodi et phases distingui debent, quarum prima pediodus tres phases continet:

I. Prima periodus: 1) ab Ordinis transformatione (1617) - usque ad eiusdem a S. Sede confirmatione (1624).

2) ab hac confirmatione - usque ad synodum Zamostianam.

3) a synodo Zamostiana - ad finem periodi.

II. Secunda periodus - ab anno 1743 - ad annum 1795.

I. 1) Quod spectat *primam phasim primae periodi*, iura Episcoporum antiqua, etiamsi hi propria monasteria novae Congregationi incorporassent, vi disciplinae orientalis intantum conservata essent, in quantum illorum renuntiatio revocari potuisset. De facto tamen huiusmodi renuntiatio nonnisi unius tantum Episcopi historice certa est i. e. S. Josaphat.

2) *Secunda phasi* iuridica Episcopi, prout supra exposuimus,¹ necessarie decreto illo SCPF ab Urbano VIII speciali modo confirmato, potestatem suam antiquam super monasteriis in Congregationem unitis amittere debuerunt.

Attamen Episcopis in nova Congregatione iam vi eorum dignitatis integrum erat: « tamquam membris principalioribus huius corporis » (puta Congregationis SS. Trinitatis) capitulis religionis generalibus adesse.² Praeterea unusquisque eorum aliquam³ vel plures⁴ in possessione archimandriam habebat, quodque factum alterum constituit titulum iisdem capitulis interesse. In praxi vero, perspectis omnibus capitulis, ultimo memoratus titulus solus in capitulis sub considerationem veniebat sive in capituli convocazione,⁵ sive in praecedentia in eodem inter Episcopos servanda, quae antiquitate archimandriae (seu eiusdem erectionis), non autem ad Episcopatum promotionis antiquitate, determinabatur,⁶ sive in excusatione in casu a capitulo absentiae pe-

¹ Cfr. p. 156 ss.

² *Reg. Ep.*, c. IV, n. III — AS, t. XII, p. 204.

³ Prima mentio Episcopi-Archimandritae fit in cap. Vilnen. 1650 — ib. p. 46 postea unoquoque capitulo aderat aliquis Episcopus-Archimandrita.

⁴ Cfr. cap. Novogrod. 1684, s. 1 — ib. p. 194; cap. Bythen. 1698, s. 9 — ib. p. 143; cap. Berest. 1667, s. 2 — ib. p. 89.

⁵ Cap. Zyrov. 1679, introd. — ib. p. 113.

⁶ Cap. Novogrod. 1671, s. 1 — ib. p. 103.

tenda⁷ sive in ceteris aliis obligationibus Episcopis imponendis e. g. tributis.⁸

In capitulis generalibus Episcopi vocem deliberativam habebant,⁹ in electionibus vero activam¹⁰ et in electione Protoarchimandritae etiam passivam.¹¹

Praeterea sicut Metropolitae ita etiam Episcopis Protoarchimandrita addere debuit confessarium religiosum, quod iam primo capitulo constitutum est¹² quodque etiam « *Regulae Episcoporum* » expresse requirunt. In capite enim IV « Qualem eum oportet habere nexum cum religione » sub n. II dicitur: « Nexus eorum cum religione quo sit arctior, unum saltem sacerdotem religiosum ordinis nostri, quem Protoarchimandrita assignaverit, cui confiteri possit alique opi spirituali semper ad latus habebunt, quem licebit Protoarchimandritae, si necessitatem magnam perspiciat, revocare aliumque substituere, conscio tamen anuenteque Metropolita ».¹³

Post annum vero 1686 vi « *Nexus* » conclusi inter Metropolitam Zochowskyj et Ordinem Basilianum Protoarchimandrita suppeditare debuit « operarios dignos pro synodis dioecesanis, iuvandae curae pastoralis et sublevandis laboribus eius », quod etiam ad Episcopos referebatur, nam Metropolita tamquam caput Ecclesiae Ruthenae (eius Hierarchiae) praedictum nexum cum Ordine concludebat.¹⁴

Quod vero curam animarum et sacramentorum disciplinam spectat, communiter normae concilii Tridentini applicabantur. Attamen hac in re, materia matrimoniali excepta,¹⁵ norma aliqua praecisa usque ad synodum Zamostianam non erat stabilita. Quam vero relationem nonnisi synodus Zamostiana, prout vidimus, applicatis magna ex parte praescriptis concilii Tridentini, ordinavit. Attamen disciplina a synodo introducta in Ecclesia Ruthena non erat nova, sed iam diu antea in usu et praxi erat et tamquam lex suppletoria applicabatur.

3) *Tertia phasis primae periodi.* Cum synodo Zamostiana haec altera, ultimo memorata provincia potestatis Episcoporum relate ad monachos Ruthenos ordinata est quamque supra vidimus.¹⁶ In ceteris autem disciplina secunda phasi huius periodi recepta, ut supra, intacta conservata est usque ad reformationes Benedicti XIV.

II. Secunda periodus. Hac periodo Episcopi a regendo Ordine Ba-

⁷ Cap. Bythen. 1698, s. 1 — ib. p. 136; Zyr. 1679, s. 5 — ib. p. 117; minsc. 1690, s. 17 ib. p. 128.

⁸ C. Vilnen. 1667, s. 1 — ib. p. 94.

⁹ *Reg. E.*, c. IV, n. III — ib. p. 204.

¹⁰ C. Zyr. 1675, s. 3, n. 4, ib. p. 111; c. Zyr. 1679, s. 5 — ib. p. 117.

¹¹ Supra p: 153.

¹² Cap. Novograd. 1617, s. 4 — ib. p. 13, n. 22.

¹³ AS, t. XII, p. 204.

¹⁴ *Nexus*, ex anno 1686, n. 7.

¹⁵ Brevj enim Urbani VIII, *Licet universorum*, 1629, 14, XII, decretum *Tametsi* Ecclesiae Ruthenae applicatum est — DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 11.

¹⁶ Supra, p. 94 sq.

siliano omnino amoti sunt, immo iuribus, quibus periodo praecedenti pacifice usi sunt, hac periodo privantur.

Iam enim in decreto SCPF. 1742 sicut Metropolita, ita etiam Episcopi iure vocis passivae in electione Protoarchimandritae privantur. Sub n. enim 2 dicitur: « Ideoque suo tempore habeatur Capitulum Generale pro eligendo novo Generali, seu Proto-Archimandrita totius Ordinis, qui sit Monachus expresse professus, et non Episcopus ».¹⁷

Immo sicut Metropolitae, ita etiam Episcopis potestas super Ordine Basiliano ea tantum agnita est, quae secundum ius commune latinum competeat Episcopis in religiosos exemptos, ea tantum differentia, quod postea de facto nexu Ordinis cum Metropolita concluso et a S. Sede approbato Metropolita praeter potestates supra indicatas etiam iura quaedam e nexu obtinuit, non vero amplius Episcopi.

Huiusmodi Episcoporum super Ordine Basiliano potestatis limitatio et determinatio facta est iam in decreto SCPF. 1742, etiamsi expresse ibi mentio fit solius Metropolitae, nempe sub n. 6°: « Quoad iurisdictionem Metropolitae. Ei competat tantum ius illud, quod a Constitutionibus Apostolicis, et a S. Concilio Trid. tribuit caeteris Metropolitis et Episcopis super Monachos exemptos ».¹⁸ Quod vero hoc punctum decreti etiam ad Episcopos refertur, cognoscimus ex aliis litteris ipsius Benedicti XIV, nempe e Brevi « *Opinionem* », ubi de huiusmodi tantum potestate Episcoporum respectu Ordinis expressus habetur sermo: « Reservato tamen tibi ac reliquis tibi coniunctis Episcopis iure, quod apostolicae constitutiones ac Tridentina Synodus, cui pariter maiores vestri fidem suam astrinxerunt, Ordinariis permittunt in suae dioecesis regulares, scilicet exemptos ».¹⁹

Verumquidem in capitulo decretum praedictum consequenti, scilicet Dubnensi 1743, in « *Nexu* » Ordinis cum Metropolita concluso antiquam consuetudinem de participatione Episcoporum capitulis Basilianorum generalibus conservare conatum est sub hac forma: « quibus Capitulis Generalibus, si aliquis ex Episcopis adesse velit, ob aliquas rationes, poterit, non tamen obligabitur ».²⁰ Sed Benedictus XIV in decretali « *Inter plures* » etiam hoc iure Episcopos privavit determinando accurate, quisnam capitulum Protoarchimandritae electivum ingredi debeat, omittendo tamen Episcopos.²¹ Hinc erat, quod capitulo sequenti Brestae anno 1747 celebrato, dum etiam duo Episcopi idem ingressi sint, patres capitulares, ad praedictam decretalem revocando, ante praesidem capituli Metropolitanum manifestarunt, se non posse huiusmodi actum (scil. electionem Protoarchimandritae) legitime aggredi, donec praedicti duo Episcopi « uti Personae supra statum simplicis Religiosi in Dignitate Ecclesiastica constitutae, proinde per decretalem ultimam

¹⁷ *Bullae...* P. I, p. 73, 2°.

¹⁸ *Ibid.*, n. 6°.

¹⁹ DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 512; quaenam vero hae potestates erant vide supra p. 99.

²⁰ *Nexus*, n. 4.

²¹ § 3 — APF-CP, 1750-2, v. 114, f. 399.

SS.mi Domini Nostri expresse et explicitè exclusae, Capitulo abesse dignarentur». ²² Quam post manifestationem Episcopi praedicti revocabant quidem ad antiquam huiusmodi consuetudinem, sed tamen « promptam Decreto Sedis Apostolicae oboedientiam et insignem suam in Religionem pietatem et amorem » contestati a capitulo recesserunt. ²³

Tamquam consequentia huiusmodi Episcoporum a capitulis Basilianorum exclusionis erat, quod, cum post alteram decretalem « *Super familiam* » Abbatibus seu Archimandritis ius aequale ac ceteris religiosis agnatum sit, (quo pacto etiam participatio capitulis, qua hucusque sicut et Episcopi, eo quod in dignitate ecclesiastica constituti sint per primam decretalem privati sint) SCPF interpellata: « An cum a Monacho aliqua possideatur Abbatia, ipse Abbas tantum, non autem Vicarius Monasterii Abbatialis et viceversa, an cum aliqua Abbatia ab Episcopo possideatur, Vicarius tantum illius Monasterii Abbatialis non autem Abbas Episcopus pro vocali habendus sit » respondit « Affirmative quo ad utramque partem ». ²⁴

Tria tantum iura Episcopis ex antiqua praxi remanserunt:

1) Optio eorundem ad archimandrias Ordinis, sive obtinendas sive permutandas.

2) Vi decretalis *Super familiam* ipsis aequali iure ac Metropolitanatae ius erat archimandrias in sua cuiusque dioecesi vacantes administrandi. ²⁵

3) Vi « *Nexus* » ex anno 1743 Protoarchimandrita suppeditare iisdem debuit personas lateri eorum assistentes: « Confessarium, Theologum et alios, si quos lateri suo assistentes, et ad Cathedras residentes necessarios requireret, et habere voluerit tam Ill.mus Metropolitanus quam Episcopi, suppeditare obligabitur Revd.mus Proto-Archimandrita, sive respective Vicarius Generalis debitis qualitatibus pro eiusdem muneribus obeundis praeditos et idoneos ». ²⁶

CONCLUSIO DE EXEMPTIONE

Perspecta relatione Ordinis Basiliani ad Hierarchiam Ruthenam per temporis spatium duorum saeculorum (17,18), planum est, illum ab ipso momento suae instaurationis aliqua exemptione semper gavisum esse, etiamsi exemptio huiusmodi statis temporibus diversam formam assumebat, semper tamen cum maiori suo progressu.

1) Imprimis enim vi decreti SCPF, ex anno 1624 exempta est nova Basilianorum Congregatio SS. Trinitatis a pristina Episcoporum, immo ipsius Metropolitanatae pristina potestate.

2) Sed neque postea in nova relatione ad Hierarchiam Ruthenam nova Congregatio Metropolitanatae omnino subiecta est; gaudebat enim iu-

²² § 27.

²³ Omnino diversam huius facti illustrationem, omittendo scil. mentionem decretalis Benedicti XIV, dat BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 39.

²⁴ Decretum SCPF, 1759, 30, IV ad 3 — *Bullae et brevia*, P. II, p. 123, 125.

²⁵ *Super familiam*, § 9.

²⁶ *Nexus*, n. 11

ribus a S. Sede confirmatis, quae a Metropolita minime laedi potuerunt, etiamsi in nova relatione principium generale de subiectione monachorum iurisdictioni Metropolitae, quod in concreto contractu sinallagmatico verificatum est, a S. Sede latum sit.

3) Data interim continua Ordinis ad omnimodam ad instar religiosorum latinorum exemptionem obtinendam tendentia in fine controversiarum Metropolitas inter et Ordinem in novo contractu sinallagmatico (1686) servato semper principio generali de subiectione monachorum iurisdictioni solius Metropolitae, deventum est ad compromissum, in quo totum regimen internum Ordinis ad Protoarchimandritam eiusdem transiit, exceptis quibusdam casibus iurisdictioni Metropolitanae reservatis.

4) Mens synodi Zamostianae (1720) erat, monachos in Congregationem unitos omnino ad normam iuris communis latini eximendos esse, quem ad finem ipsa illos in casibus tantum determinatis praesertim a Tridentino desumptis expresse Ordinariis locorum subiecit, etiamsi praxim antierius receptam non abolevit.

5) Benedictus XIV in uniendis duabus Congregationibus in unam seu « *Ordinem Basilianum* » (1742), hunc omnino exemptum secundum ius commune latinum declaravit, etiamsi postea, uti residua anterioris praxeos quaedam iura honorifica potius, quam vere potestativa Metropolitae reservavit, omnino tamen a regimine monachorum interno ceteros Episcopos amovendo.

APPENDIX

I.

Epistola Metrop. Rutskyj ad Card. Borghese de reformatione Basilianorum

ASV, Arch. Congr. Concilii: Relationi-Visite, Kiovien, ann. 1617-1628, fol. 520r-521r.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Cum muneris sit mei, quolibet triennio coram Vicario Christi comparere, ipsique rationem reddere de ecclesiastica mea administratione, et cura animarum mihi commissa, hoc ante triennium feci ipse in persona mea. Nunc non potuit aliter quam per personas substitutas, Fratres meos Religiosos, Anastasium Praesbyterum et Hieronymum Diaconum.

Primum igitur Suae Sanctitati Domino Nostro Clementissimo maximas ago gratias pro omnibus gratiis et favoribus, quibus me indignum satis abunde cumulavit dum essem in Urbe, et cum feбри quartana tempore hyberno lutarer, quae me etiam usque in Patriam comitata est. Postea ubi ab illa convalui, totum me ad id contuli ut Religio Sancti Basilii, a qua gloria Dei et omne bonum in ritu Graeco dependet, in eam formam quae esset optima, et ab Instituto Sancti Patris non aliena, redigatur.

Prima ergo cura fuit, ut pro institutione religiosa admittendorum ad Religionem Novitiatu erigeretur; iste enim hucusque in illa forma in qua est apud Religiones Ritus Latini bene ordinatas, in nostra non fuit, sed modus quidam antiquus permanebat, quod Novitij certis Patribus antiquioribus instruendi dabantur. Pro hoc Novitiatu elegimus locum, procuravimus pro tenuitate nostra reditus, qui viginti Novitiis utcumque sufficerent. Magistri Novitiorum tantum requirebantur, in nostra autem Congregatione tales non reperiebantur, qui bene scirent modum, quo in aliis Religionibus, bene ordinatis, exercebantur Novitii; non erat aliud medium, nisi ut ipsi prius in se ipsis discerent hunc modum. Magnam ergo partem antiquiorum ex quibus spes erat maior futuri boni conclusimus in hoc claustrum, advocavimus magnis precibus Patres Jesuitas, ut duo ex illis qui huic muneri idonei iudicabantur, nostris in tali claustrum praessent, illosque formarent, qui aliorum deinceps Magistri esse possent. Anno expleto aliam partem Fratrum nostrorum in illum locum sub eandem disciplinam adducimus, antiquioribus deductis et per monasteria distributis (Interim Novitios nullos ad Religionem admisimus). Ista alia pars quae nunc exercetur, ubi annum suum expleverit, tunc ex toto illo numero deligemus Magistros Novitiatu, qui aptiores esse

iudicabuntur; et tum, Domino adiuvante, Religio melius et solidius procedet, consequenter S. Unio.

Dum ista peragebantur ego totum me ad id applicavi, ut regulas S. Patris Nostri Basilii per omnia ipsius opera sparsas in unam certam formam redigerem, quod licet antea a me ceptum erat, tamen nunc utcumque perfectum est. Regulas item Officialium Religionis scripsi, aliquas nunc scribo, in quibus maiorem adhuc quam in Regulis communibus habeo difficultatem, ex eo quod ab Instituto Sancti Patris recedere nolo, ex altera parte in operibus ipsius de aliquibus in particulari pro nunc necessariis determinatum nihil invenio.

Haec omnia suo tempore censurae Suae Sanctitatis subiciam. Hoc eodem triennio indixeram Synodum Episcoporum Provinciae meae, in qua aderant tres; caeteri per literas absentiae suae rationem dederunt. In aliud ergo tempus, quod omnibus commodum esset, omnia distulimus. Postea visitavi Episcopatum Polocensem, satis late patentem, et ad confinia Moscoviae se extendentem, ibique quia multa in ipso Episcopo inventa sunt, quae licet excusabat aetas decrepita (est enim centenarius), tamen ipsi Coadiutor in Episcopatu per me additus est, quem paulo post in Episcopum ordinatum Domino bene propitio, eo (invocato brachio saeculari Ser.mi Regis nostri propter furorem Schismaticorum comprimentum) deducemus. Sunt et alia minutiora quae hoc triennio partim facta sunt, partim fieri debent, quae puto taediosum esset Ill.mae ac Rev.mae D. V. legere, vel lecta audire, omitto.

In summa coram Ill.ma et Rev.ma D. V. tamquam coram eo, qui semper assistit Vicario Christi, Patri ac Pastori Nostro Universali in hoc me declaro, quod pro gloria Dei, pro honore Sedis Apostolicae sanguinem fundere paratus sum, quod forte et fiet, quandoquidem et nunc in una civitate regia Episcopatus Polocensis, dicta Mohilovia, conspiraverunt quadraginta in caput meum, quod mihi retulit Palatinus Vilmensis et Supremus Magni Ducatus Lithuania exercituum Dux.

Interim me meaque promptissima obsequia Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillime offero. Novogrodeco ex Lithuania 28 septembris Anno 1617.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. addictissimus Servitor et apud Deum exorator.

Josephus Velamin Rutski Archiepiscopus Chioviensis totiusque Russiae (mp).

P. S. — In quo gratiam Suae Sanctitatis indigemus latores praesentium, Frates mei, Ill.mae ac Rev.mae D. V. proponent.

Retro: Ill.mo ac Rev.mo Domino Domino Scipioni S.R.E. Cardinali. Domino meo Colendissimo.

II.

Regulae Monasticae Ordinis Sancti Basilii M.

ARCH. DELLA S. C. DI PROP. FIDE, *Scritt. rif. nelle Congr. Particolari*,
vol. 29, ff. 302-306.

REGULAE COMMUNES

S. Patris nostri Basilij Magni Caesareae Cappadociae Archiepiscopi.

FINIS VITAE RELIGIOSAE

Est esse hominem perfectum in Charitate Dei, seu similem effici Deo in charitate ad eam per contemplationem, et opera activa, non se ipsum duntaxat, sed et proximum, magis magisque verbo, et exemplo pertrahendo. [Sermo ascet. 5us T. II. p. 452]*).

MEDIA CONSEQUENDO HUIC FINI SUNT.

I.

Renuntiare Sathanae, omnibusque operibus eius, per generalem exomologesim male factorum tota vita, cum recta praeparatione factam; mori peccato, et reviviscere Deo ad vitam aeternam.

[Req. fus. n. 8 T. II p. 485-6].

Renuntiare mundo, iisque quae in mundo sunt; hoc est nuntium remittere cunctis negotijs mundi, cognationi Carnis, et familiaritati hominum, si impedimento sint ad vitam piam, iuxta monitum Christi (MAT. X, 37) « Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est me dignus ».

[Ibid. T. II p. 486].

III.

Renuntiare sibi quoque ipsi, crucemque suam tollere per mortificationem pravaram cupiditatum, passionumque: Item per mortificationem intellectus, seu rationis, voluntatisque propriae Dei causa.

[Ibid. ut supra].

IV.

Denique sequi Christum, per continuum scilicet, diligensque sanctorum Virtutum exercitium, praesertim harum trium Paupertatis Castitatis et Obedientiae, citra quas, ne dicam omnes, sed vel unam earum, Religiosus dici Religiosus nequit.

[Ibid. ut supra].

*) Ad clarius dependentiam Reg. Comm. ab operibus S. Basilii demonstrandam, ad singulas regulas respectivos textus S. Basilii secundum ed. J. GARNIER, S. Basilii M. Opera Omnia, ed. 2-a, Parisiis, 1839, notavimus.

PAUPERTAS.

I.

Nemo Fratrum nostrorum quidquam proprij habere, suumve dicere debet. Cunctis communia sunt cuncta, inque communi repositoerio servantur, tam ea quae victum, quam quae vestitum concernunt. Ex his vero meno arbitrio quid suo accipiet, sed Praeses ipse, pro eo ac par esse existimaverit, pro necessitate cuiusque Fratrum distribuet. De eius autem commisso minores Officiales, non pro arbitrato suo, sed ex sententia Praesidis id praestabunt.

[Constit. mon. cap. XXXIV T. II p. 828; Sermo ascet. 5, n. 5 T. II p. 450; Reg. brev. 149-150 T. II p. 658-659].

II.

Quidquid Fratrum cuiquam a Praeside usui concessum fuerit, id ipse custodiet, eiusque rationem habebit tamquam rei Divinae, plusquam homo civilis, sui et propriae rei navus. Quodsi incurius in hoc fuerit, eo ipso perfectionem huiusce paupertatis laedit, et non sine crimine erit. Si quid vero perdidit destruxeritve, Praesidi incontinenti supplex fiat, atque culpa poenam poscat. Idem intelligendum de libris, quorum rationem habebit is, qui eis utetur, nempe ne frangat, laceret, passim quovis loco relinquat, ne vel literulam adscribat, qua in re, si quis negligens fuerit, Praeses talem monebit punietque.

[Reg. brev. 143-144 T. II p. 656; Poenae n. 35 T. II p. 757].

III.

Cum, quid datur Fratri de communi, cogitabit se indignum ea re esse, tanquam qui sit malus operarius, quare si obtingerit ipsi vetus vestis, aliundve quid ex rebus Monasterij vilius, non tristabitur.

[Reg. brev. 168 T. II p. 668].

IV.

Eiusmodi Paupertatem Fratres Nostri prosequantur amore vero, ut gaudeant, cum effectus eius aliquos experti fuerint, in cibo potu, vestitu, strato, et alijs, quo se certos reddere possint, quod veri pauperes sint. Quare novam vestem, aut pretiosam, sapidumve epulum non quaerent; imo si eis duo aliqua eligendum fuerit, amplectentur quod vilius est, relinquent vero, quod est pretiosius. Unde etiam consequetur, ut quando ex necessitate aut de obedientia acciderit eis ostiatim per civitates et vicos mendicare, paratos se exhibebunt, et ex animo praestabunt.

[Reg. fusior. 22 T. II p. 512; Const. mon. cap. 30 ibid. p. 825].

V.

Id quod datum fuerit Fratri ad usum, integrum Praesidi erit repetere ab eo, cum ipsi collibitum fuerit: is vero non reluctabitur; ipsi autem haud erit liberum, aliquid concessorum sibi, non tantum externo cuiquam sed ne alteri quidem Fratri donare, commodare, aut cum alia re permutare, etsi meliore, aut quocumque alio modo in alium conferre, absque venia Praesidis, quamvis id, quod tribuere velit, esset quid vetus,

de vestimento, calceamento, aut de quacunque alia re; et etiamsi is, qui peteret, esset valde egens, et nudus. Ad extremum, nec de pane, et si quid super esset, licebit dare petenti mendico, proprio arbitratu, nisi obtento prius Praesidis nutu, vel eius, cui id demandatum fuerit.

[Reg. brev. 87-91 T. II p. 629-634; Poenae n. 25, 49 ibid. p. 756-758].

VI.

Vestitus Monasticus diversus erit a saeculari, ut primo quisque aspectu cognoscat statum nostrum; praeterea erit uniformis omnibus, talisque ut in eo eluceat humilitas, et Paupertas, amplius in eo nihil spectandum, quam ut operiat foveatque corpus. Quare nec texta serica, nec vestimenta pretiosa in vestitu monastico reperientur, nec pelles, quae caro constent; item nec erit distinctio vestitus, ut alius sit à diebus festis, alius à profestis.

[Reg. fus. 22 T. II p. 512].

VII.

Cibus talis comparandus erit, qui vilioris sit pretij in ea Regione, in qua degebimus: advectilij negligendi, praeter eos, quorum urgens est necessitas; praeterque infirmos, quibus omne id, quod medici imperaverint, praesto esse debet, praeter etiam hospites, vel Fratres, qui ex itinere adfuerint, quorum causa poterit aliquid superaddi.

[Reg. fus. 19-20 T. II. p. 506-508].

VIII.

Ne reperiatur apud Fratres Nostros aurum aut argentum aut pecunia: nec alibi usquam suum habebunt conditorium, praeter commune repositorium Monasterij, et is, cui distribuendae causa inter egenos eleemosynae, aut restituendae alteri rei ablatae, lucrive inique usurpati, à propiam tribuatur; ij quoque qui missu Praesidum mendicatum vadent, Praesidi reddent ita, ut nil apud eos pernoret. Item quando venia Praesidis Fratres pro re quapiam Ecclesiae aut Domus colligunt eleemosynam, reponent in cubiculum in scrinio separato ita, ut ne permisceatur cum pecunia Monasterij; Scrinium tamen istud in Cella erit Praesidis. Quodsi quid proprij clam, inscio Superiore, ausus fuerit retinere, is coram omnibus Fratribus tanquam transgressor Voti propalabitur, confundeturque, ac pro ratione culpae, punietur.

[Epist. ad Chilonem T. III n. 3 p. 182; Poenae n. 13 T. II p. 755].

CASTITAS.

I.

Status Monasticus est forma innocentiae ab Angelis tracta; quo circa eorum Nobis puritas sectanda est, quae non in eo duntaxat consistit, ut celebs quis sit, atque ab omni procul prava carnis cupiditate, opere, verbo, et cogitatu absit, sed ut ab omni quoque inordinata proclinatione, ex carne orta, aut ei adnexa, quae animam maculet, aut caligine quopiam obtenebret, uti ira, invidia, avaritia, superbia, sermone intempe-

stivo, oratione deside, cura venustatis, vultus, ornatus, aut vestimentorum, congressibus, confubulationibusque, postposita ratione boni Ordinis, aut necessitatis, quae omnia Religiosam castitatem laedunt, sese abstinerant. Quodsi quis Monachorum in aliquid contrarium ex his inciderit, noverit, se contra perfectionem huius virtutis deliquisse.

[Sermo ascet 4 n. 2 T. II 446-447].

II.

Ad conservandum sese in huiusmodi Castitate, oportet sensus externos, visum, auditum, gustum, odoratum, tactumque bene custodi, ut ne quid eos intret, quod adversetur Castitati. Lingua item servandae tuendaeque Castitati plurimum confert si recto rationis imperio stet. Studium quoque humilitatis mansuetudinisque utile est. Hic etiam spectat compositio externa, hoc est moderatio vocis, incessus, aliarumque actionum humanarum externarum, in id incumbendo, ut in omnibus sit modestia, reverentia, observantiaque aliorum omnium, eos tanquam Superiores in animo reputando, honoremque externum cum demissione, benevolentiamque Religiosam exhibendo.

[Ibid. ut supra; Cf. Reg. fus. 33 T. II p. 325-326].

III.

Abstinentum non solum a pravis, legisque adversantibus voluptatibus, cuius rei una erit omnibus mensura, longeqe ab eis fugiendum, sed et ab ijs, ex quibus eae ortum habent, in quod intentissime incumbendum est. Verum in esu, potu, sommo, alijsque commodis respicientibus corpus, diversis mensura diversa erit, iuxta dispositionem Superioris. Superior autem dispescet, ex qualitate, munijsque uniuscuiusque, singillatim, ad id solum una cum Officialibus, a se praestitis attendet, ut unicuique Fratrum dentur ea, quae retinendae vitae, reficiendisque viribus, quo aptior exequendo iniuncto sibi labori unusquisque sit, necessaria sunt.

[Reg. fus. 19 T. II p. 506-507].

IV.

Gestus in esculentis, et poculentis, non est vestigandus indulgendo illecebrae, neque ad saturitatem expletionemque vescendum; id enim hominem desidem, ineptumque occupationibus Religiosis reddit. Varietas quoque epularum non accuranda quemadmodum edocet nos suo exemplo Servator noster, qui cum plura posset turbae hominum exhibere fercula in eremo, non dedit illis, nisi tres tantum panes, eosque hordaceos, et paucium piscium;** de potu autem non fit mentio, quod forte aquam biberint.

[Ibid. n. 2].

V.

Curandum ut quivis Fratrum cellam habeat separatam sin minus studijs saltem diurnis, sed vel maxime, quieti nocturnae. Sicubi vero tot cellae non extent, duobus quivis alias comitatus habitet et in una, idque ita, ut inter duos iuniores, siq maturior tertius. In cella autem sedebunt,

***) Mat. XV, 32.

suasque occupationes peragent Fratres, tanquam coram Divina Maiestate intuente omnes actiones, cogitatusque nostros.

[Serm. asc. 2 n. 10 T. II p. 294-5].

VI.

Praeses, vel is, cui ipse id muneris committet, subinde visitabit cellas Fratrum, cum cubitum ituri sunt, cubituque surgunt; quare non sese claudent in cellis, ut ingredi possit absque ullo sui dato signo. Caeteris autem Fratribus haud erit licitum, ut alter alterius cellam ingrediatur, antequam consuetam praemittat orationem, veniamque a Praeside prius obtineat; Cum vero Frater Fratrem adierit, mox absque eo, quod vel cuseat, peraget negotium, cuius causa venit, discedetque. Dum vero aget cum Fratre, non occludendum ex toto est ostium ut transeuntes alij videre eos possint, nisi cella siq̄ illa calefacta, secus in cella clausa, a potiori vero sera, aut pessulo occlusa, etsi pientissima subsit causa, non agent, exceptis ijs, qui singularem ad id habent facultatemque tamen ij quoque non occludent sera, aut pessulo.

VII.

Quamvis ea causa in unum convenimus alter alterum aedificet, sitque adiutorio consequendae salutis, tamen quia multis callidis artibus capitalis hostis noster Diabolus, desponsatarum Deo animarum curat interitum, adeoque et hoc ipso salutari Fraternali adunationis medio; ideo diligenter nobis studendum est, ut mutua nostra consuetudo sit pia, circumspectaque ut ne alter alteri, aeterni interitus causa existant.

[Serm. asc. 4 n. 5 T. II p. 450; Serm. asc. 5 n. 2 T. II p. 453].

VIII.

Propensis amoris in Fratrem, affectuque consuescendi cum uno magis, quam cum alio, etsi causa spiritus, suspecta erit; Nam incipiet à Spiritu, et desinet in carne, id quod compertum est multorum ruina. Alter alterum, etsi ioco, manu ne contingat. Si per iter, aut domi, accidat plures in eodem dormire cubiculo, longe alter decumbat ab altero, ut neque lecti eorum sese contingant.

[Serm. asc. 2 n. 5 T. II p. 288-9].

IX.

Quando Frater Fratrem alloquitur, oculus eius ne sit intentus in vultum alterius, sed sit demissus terram versus. Quod ipsum observandum est in conversabdo cum saecularibus, potissimum vero cum faeminis alijsque dignitate aliqua conspicuis.

[Ibid. ut supra].

X.

Nec frequenter, nec citra ingentem necessitatem, exhibunt è Monasterio, nec unquam licebit unum exire, sed comitante altero Fratre Socio, designato a Praeside, cumque eius venia. Cella egressurus armabit se timore Domini, assumpto in manus scuto amoris Dei; statuet firmiter apud se evitare omne id, quod adversetur statui Religioso. Domino Deo,

Angeloque suo Custodi committet sese, atque ita exhibit, volvens ore, piam aliquam precatiunculam. Egressus id tantum peraget, cuius gratia exivit, idque quam citissime confecto negotio, nullibi morabitur, sed mox domum repetet tanquam columba Noë ramum ore ferens aliud, hos est laudans Deum. Si vero diu moratus fuerit, alius redibit, quam esset priusquam exiret, atque ita apud se statuet, nullibi tuto se commorari posse extra cellam.

[Ibid. ut supra; Reg. fus. 44 T. II p. 547].

XI.

Egressi e Monasterio Fratres, alter absque altero non subsistet, donec redeant: Et quamvis domum alicuius ingrediantur, ubi unus erit, ibidem aderit et alter. Quodsi confiteri, aut spiritualia colloqui velit saecularis quispiam alterius sexus cum quopiam Nostrorum, Socius, qui eum comitatur, poterit aliquantum recedere, ita ut ne audire possit colloquium, ostio tamen non excedet, ut loquentes cernere possit; ac proinde, ut alter possit rationem reddere Praesidi de altero.

[Ibid. ut supra].

XII.

Si necessitas tulerit mittere Fratres mendicatum, tales eligat Praeses, qui absque detrimento animae suae, et cum aliquo emolumento Spiritualium eorum, ad quos diverterint, id peragant. Quod si talis inter Fratres non extaret, praestat defectum etsi notabilem ferre, quam propter subsidium corporis, animae incurrere detrimentum. Ex revertentibus domum Praeses, si ita necesse ipsi esse videatur, sciscitabitur, ut sese gesserit, et an tentationes aliquas graves passus sit ipse, aut socius, ut ita periculo, quod ex conversatione ortum esset, tempestive occurrat. Insuper unusquisque etiam non interrogatus referet Praesidi, quid effecerit, praesertim in rebus majoris momenti sibi commissis.

[Ibid.].

XIII.

Faemina nulla intra Claustum Monasterij ingredietur, a quarum etiam frequenti alloquio cavendum diligentissime est tanquam ab igne; nec permittendum id, nisi urgente agendi necessitate, quae id necessario exigat: quamprimum vero expediendae sunt.

[Serm. asc. 4 n. 4 T. II p. 461-463].

XIV.

Si quae earum negotium quodpiam habeat, ante ianuas Monasterij praestolabitur, nec quicumque, etiamsi mas sit, intra claustrum ingrediantur, praeterquam ij quos intrmittendos Praeses volet. Quare de quovis veniente janitor Praesidi significabit, etiamsi non ipsum Praesidem modo, sed vel Fratrem quempiam requirat. Praeses autem respondebit tali, prout respondendum iudicaverit, aut Fratri alloquendi facultatem permetteret, addito alio, seu etiam absque eo, prout magis expedire intellexerit. Frater tamen studebit ut sermocinationes, in quibus plures noxae committi possent, frequenterque committuntur, praecidat. Ex eius-

modi enim sermocinationibus plures cogitationes in anima, in Dei cultu, omnique opere bono distrahentes enascuntur. Quodsi necessitas sit loqui quidpiam cum quacumque faemina in templo, aut in porticu templi, id non sine praesentia Fratrum fiet, nisi forte eiusmodi colloquio alij complures interessent homines.

[Reg. brev. 220 T. II p. 695-6].

XV.

Si quis ausus sit alloqui Faeminam seorsim ab alijs contra haec statuta nostra, is suspectus censebitur de candore Religioso, parvique pendens honestum omnium in Religione nostra agentium. Quare cum primo deliquerit, se junctus ab alijs, perdurabit in cella, solo pane, et aqua contentus, integra hebdomada. Quodsi iterum idem delictum commiserit, ad alium locum e monasterio transferetur, ibique seiungetur ab alijs per dies quadraginta. Si vero post eiusmodi poenam in idem delictum relapsus fuerit, punietur gravius, pro arbitrio Praesidis. Porro si pergat ulterius, consulendus erit Protoarchimandrita, quid cum tali statuendum sit.

[Reg. br. 108-109-111 T. II p. 639-40].

XVI.

Socius ea causa additus, ut sit colloquio praesens, ubi quis Nostorum cum faemina loquitur, ad nullum imperium abscedet, relicto in ejusmodi colloquio Religioso, absque alio socio Nostri Ordinis, etsi is, qui ipsi imperet, sit Praeses ipse Ordinis Nostri, secus socius discedens punietur seiunctione a Fratribus integra hebdomada, prima vice; altera vero per dies quadraginta seiungetur; Sin autem tertio deliquerit, integro anno e monasterio non exhibit. Quod si quis iuberet socium suum abire, etiamsi eiusmodi imperio non paruerit, prout nec debet, is si non sit Praeses, per dies quadraginta seiungetur; Si vero Praeses sit, ad mortem usque in Religione à Superioratu abiudicabitur, atque per duos menses a Fratribus seiungetur.

[Ibid. ut supra; Const. mon. cap. III T. II p. 778-780].

XVII.

Si per incuriam Janitoris accidat, ut faemina Clastrum Monasterij ingrediatur, Janitor punietur arbitrio Praesidis; si vero consulto permisit ingredi, pravoque animo, punietur seiunctione à Fratribus per dies quadraginta, nec votum in Capitulo habebit ullum, per annos decem.

XVIII.

Sorores Ordinis Nostri nemini Fratrum nostrorum, aut alloqui licebit, praeterquam Praesidi, aut Patri earum Spirituali, quem eis Praeses assignaverit, aut etiam antiquioribus Patribus delectis ad id a Praeside; tamen nec ij Sororum ullam, ne spiritualiter quidem, alloquentur, nisi praesente Superiorissa, cum ea vero alijs duabus Sororibus antiquioribus. Ad eas autem ne solus ingrediatur, sed comitatus uno aut duobus Fratrum antiquiorum, nihilominus alloquia eiusmodi congressionesque erunt raras, brevesque cumque magna circumspectione, ut nec alijs im-

Angeloque suo Custodi committet sese, atque ita exibat, volvens ore, piam aliquam precatiunculam. Egressus id tantum peraget, cuius gratia exivit, idque quam citissime confecto negotio, nullibi morabitur, sed mox domum repetet tanquam columba Noë ramum ore ferens aliud, hos est laudans Deum. Si vero diu moratus fuerit, alius redibit, quam esset priusquam exiret, atque ita apud se statuet, nullibi tuto se commorari posse extra cellam.

[Ibid. ut supra; Reg. fus. 44 T. II p. 547].

XI.

Egressi e Monasterio Fratres, alter absque altero non subsistet, donec redeant: Et quamvis domum alicuius ingrediantur, ubi unus erit, ibidem aderit et alter. Quodsi confiteri, aut spiritualia colloqui velit saecularis quispiam alterius sexus cum quopiam Nostrorum, Socius, qui eum comitatur, poterit aliquantum recedere, ita ut ne audire possit colloquium, ostio tamen non excedet, ut loquentes cernere possit; ac proinde, ut alter possit rationem reddere Praesidi de altero.

[Ibid. ut supra].

XII.

Si necessitas tulerit mittere Fratres mendicatum, tales eligat Praeses, qui absque detrimento animae suae, et cum aliquo emolumento Spirituali eorum, ad quos diverterint, id peragant. Quod si talis inter Fratres non extaret, praestat defectum etsi notabilem ferre, quam propter subsidium corporis, animae incurrere detrimentum. Ex revertentibus domum Praeses, si ita necesse ipsi esse videatur, sciscitabitur, ut sese gesserit, et an tentationes aliquas graves passus sit ipse, aut socius, ut ita periculo, quod ex conversatione ortum esset, tempestive occurrat. Insuper unusquisque etiam non interrogatus referet Praesidi, quid effecerit, praesertim in rebus majoris momenti sibi commissis.

[Ibid.].

XIII.

Faemina nulla intra Clastrum Monasterij ingredietur, a quarum etiam frequenti alloquio cavendum diligentissime est tanquam ab igne; nec permittendum id, nisi urgente agendi necessitate, quae id necessario exigat: quamprimum vero expediendae sunt.

[Serm. asc. 4 n. 4 T. II p. 461-463].

XIV.

Si quae earum negotium quodpiam habeat, ante ianuas Monasterij praestolabitur, nec quicumque, etiamsi mas sit, intra clastrum ingrediantur, praeterquam ij quos intromittendos Praeses volet. Quare de quovis veniente janitor Praesidi significabit, etiamsi non ipsum Praesidem modo, sed vel Fratrem quempiam requirat. Praeses autem respondebit tali, prout respondendum iudicaverit, aut Fratri alloquendi facultatem permitteret, addito alio, seu etiam absque eo, prout magis expedire intellexerit. Frater tamen studebit ut sermocinationes, in quibus plures noxae committi possent, frequenterque committuntur, praecidat. Ex eius-

modi enim sermocinationibus plures cogitationes in anima, in Dei cultu, omnique opere bono distrahentes enascuntur. Quodsi necessitas sit loqui quidpiam cum quacumque faemina in templo, aut in porticu templi, id non sine praesentia Fratrum fiet, nisi forte eiusmodi colloquio alij complures interessent homines.

[Reg. brev. 220 T. II p. 695-6].

XV.

Si quis ausus sit alloqui Faeminam seorsim ab alijs contra haec statuta nostra, is suspectus censebitur de candore Religioso, parvique pendens honestum omnium in Religione nostra agentium. Quare cum primo deliquerit, se junctus ab alijs, perdurabit in cella, solo pane, et aqua contentus, integra hebdomada. Quodsi iterum idem delictum commiserit, ad alium locum e monasterio transferetur, ibique seiungetur ab alijs per dies quadraginta. Si vero post eiusmodi poenam in idem delictum relapsus fuerit, punietur gravius, pro arbitrio Praesidis. Porro si pergat ulterius, consulendus erit Protoarchimandrita, quid cum tali statuendum sit.

[Reg. br. 108-109-111 T. II p. 639-40].

XVI.

Socius ea causa additus, ut sit colloquio praesens, ubi quis Nostorum cum faemina loquitur, ad nullum imperium abscedet, relicto in ejusmodi colloquio Religioso, absque alio socio Nostri Ordinis, etsi is, qui ipsi imperet, sit Praeses ipse Ordinis Nostri, secus socius discedens punietur seiunctione a Fratribus integra hebdomada, prima vice; altera vero per dies quadraginta seiungetur; Sin autem tertio deliquerit, integro anno e monasterio non exhibit. Quod si quis iuberet socium suum abire, etiamsi eiusmodi imperio non paruerit, prout nec debet, is si non sit Praeses, per dies quadraginta seiungetur; Si vero Praeses sit, ad mortem usque in Religione à Superioratu abiudicabitur, atque per duos menses a Fratribus seiungetur.

[Ibid. ut supra; Const. mon. cap. III T. II p. 778-780].

XVII.

Si per incuriam Janitoris accidat, ut faemina Claustum Monasterij ingrediatur, Janitor punietur arbitrio Praesidis; si vero consulto permisit ingredi, pravoque animo, punietur seiunctione à Fratribus per dies quadraginta, nec votum in Capitulo habebit ullum, per annos decem.

XVIII.

Sorores Ordinis Nostri nemini Fratrum nostrorum, aut alloqui licebit, praeterquam Praesidi, aut Patri earum Spirituali, quem eis Praeses assignaverit, aut etiam antiquioribus Patribus delectis ad id a Praeside; tamen nec ij Sororum ullam, ne spiritualiter quidem, alloquentur, nisi praesente Superiorissa, cum ea vero alijs duabus Sororibus antiquioribus. Ad eas autem ne solus ingrediatur, sed comitatus uno aut duobus Fratrum antiquiorum, nihilominus alloquia eiusmodi congressionesque erunt rarae, brevesque cumque magna circumspectione, ut nec alijs im-

becillioribus scandalo simus, nec ipsi suspicionem incurramus; item ut tales ad conversandum cum illis deligantur, qui ipsi ex eiusmodi conversatione detrimentum non reportent, sororibus vero Religiosis emolumento, bonoque exemplo sint.

[Ibid. ut supra].

XIX.

Conservandae Castitati oppido commendamus Fratribus nostris afflictionem, mortificationemque corporis, idque per ieiunia, vigiliis, aliasque rationes carni modestas, quae Patribus Spiritualibus praescribentur, quasque pietas cuiusque adinveniet; tamen nemini ijs uti licebit suomet arbitrato, sed cum venia Praesidis pro suis quisque eas adhibebit viribus, ne corpus ineptum servitio Dei reddat.

[Red. fus. 28; T. II p. 505; Const. mon. cap. IV n. 3 T. II p. 782].

XX.

Diligens item cura adhibenda est, ut quivis Fratrum, suam certam aliquam habeat occupationem, ne ullum otio dent Fratres nostri locum. Quare a Patribus Nostris opus manuum in magna erit aestimatione, et usu, nec tantum corpori, sed eo magis spiritui nostro congruentes, bonaeque necessariae sunt occupationes, quales sunt studia literarum, scientiarumque in ijs, qui imperio obedientiae sanctae ijs vacant, vacabuntque, lectio piorum librorum, vitarum Sanctorum Patrum, sive proprio promovendo profectui, sive... proximis, aliaque his similia mentis exercitamenta.

[Const. mon. IV n. 1 T. II p. 780; Reg. fus. 38 ibid. p. 538].

OBEDIENTIA.

I.

Omnis Vitae Religiosae caput est Obedientia, ut Praesidem suum Dei loco eique obsequentem se in omnibus exhibeat Religiosus, nisi id, quod praecipiat, expresse contra legem Dei sit, aliud nihil excipiendum. Itaque si Praeses, vile aliquid imperet obsequium, uti esset pascere pecus, aliudve quidpiam sensui adversans, molestumque carni, bonus Religiosus exequetur; cuius rei exemplum habetur in vita saecularium, uti in discipulis operis manuum, item in instrumento cuiusvis artis, quod arbitrio artificis in omnibus subest; item in ovibus respectu Pastoris earum.

[Reg. br. 38 T. II p. 601; n. 121 p. 645].

II.

Obedientia Religiosa debet esse perfecta, nec externa tantum, sed etiam interna. Ratione Obedientiae externae omnia implebit Religiosus imperata, nec ulli eorum contraveniet, idque etiamsi id praecipiat Praeses, quod vires naturae superare videatur, praestabit absque murmure; licet autem quod imperatum est, exequeretur, si tamen cum murmure, et renitentia, deest suo officio, pro quo eo subibit poenitentiam.

[Reg. br. 39 T. II p. 602].

III.

Internae Obedientiae signum est, ut laetus quisque alacriter impleat iussa, diligenterque asuescet, ut non tantum voluntatem suam Maiorum voluntati conformet, verum ut etiam idem sit eius, ac Praesidis iudicium, neque unquam ulla in re contrarium, quamvis eum scientia, alijsque talentis superet. De Praeside autem firmiter apud animum suum statuet, eum honore amoreque tanquam ipsum Christum prosequi debere.

[Ibid. ut supra].

IV.

Continua, tenacique retinebunt memoria Fratres monitum illud Apostoli (ad Hebr. XIII, 17): Fratres obedite Praepositis vestris, et subiaccete eis; item excitabunt sese exemplo Abrahae, aliorumque Sanctorum, tam veteris, quam novae Legis Patrum, qui perfectam Deo praestabant obedientiam. Ut eo vero perfectius voluntas in hac sancta virtute confirmetur, bene concipere debet intellectus, Deum hunc modum regendi homines per homines, maiori merito, copiosiorique in futura vita eorum praemio, ordinavisse, eundemque providentia sua fovere, quem admodum omnes universim, ita quemlibet singillatim; eos tamen singularius, qui per absolutam abdicationem suimet ipsorum plenè regimini gubernationique Divinae sese subdiderunt. Ad quam quidem providentiam id quoque spectat, ut ipse praeficiat Moderatores, qui familia eius ex demanatione eiusdem, iuxta Sanctissimam eius voluntatem administrent.

[Const. mon. cap. XXII n. 2 T. II. p. 815].

V.

Si quis imperatum opus exequi tergiversetur, Praesidem ipse, vel per alios, si ipse non ausit, adibit, proponetque ei quas ob causas id agere non possit. Si Praeses agnoverit rationes minus aequas, iniunctum opus peraget. Quodsi morbum imbecillitatemve causet, sanus vero, firmusque sit, timeat sibi a severa poena Dei monente eos, qui talenta defodiunt a Deo praestando eidem obsequio, sibi concessa. Si vero Praeses Fratrum cuiquam, advertens cum imbecillum, condescendat, alij non id aegre ferent, etiamsi ei Fratri multo leviora imponat onera. In Superiorum negotia non sese ingerent, nec inquirent cur id ita, illud secus fiat, sed suo tantum iniuncto sibi attendet quisque officio. Item si quis de Praeside, eiusque actionibus male loquatur coram alijs, formidet poenam, quam licit Maria, quae detraxit Moysi, quae, etiamsi intercederet pro ea Moyses, poena tamen non vacavit.

[Const. mon. cap. XXI T. II p. 825; Reg. br. 116-119].

VI.

Ad Religiosam Obedientiam spectat non tantum agere id, quod imperatum est, verum et nihil agere pro suo arbitrato citra veniam Praesidis. Exempli causa, e monasterio non egredi, opus nullum aggredi, externos non alloqui, literas non scribere, nec recipere; et quamvis res quaequam ex se bona esset, uti jejunium, vigilia, aut parcitas somni, aliaeve quaequam afflictationes carnis, tamen haec Praeside inconsulto non adhibenda, quippe cuncta eiusmodi, eisque similia, eo ipso quod pro-

prio arbitrato absque venia Praesidis fierent, magna parte mala, quam bona essent. Solemnis enim S. Patris hac de re doctrina est: Quod inscio Praeside fiat, id furtum esse ac sacrilegium quoddam, quamvis bonum esse censeatur:

[Reg. fus. 41 T. II p. 541; Poen. 59 p. 759; Reg. brev. 128-137-138 p. 649-653; Sermo asc. 2us n. 2, 4 p. 283-286].

VII.

Attendet diligenter Praeses, ut Fratres quam perfectissime proprium exuant velle. Quare non permittet eis occupationes, quas ipsi velint, quoque magis volent, eo validius contraveniet. Agant id operis cui admoti sunt, donec sese pervincent, quamvis praeseferant id operi, quod eis assignatum est, esse ineptos, aptiores vero ei quod sibi ipsimet deligunt; talesnamque suspectos se reddunt, ac pro inde malo exemplo sunt. Optimum tutissimumque est, sententiae Praesidis totum committere, eique acquiescere; secus pervicaxerit, peccabitque in Religiosam Obedientiam. Huc etiam spectat, ut ne ullum externum suscipiat negotium Religiosus, absque venia Praesidis.

[Reg. fus. 41 ut supra; Reg. brev. 96-112 T. II p. 633-640].

VIII.

Non tantum viva Praesidis vox, verum signum quoque quaecumque aliud quo voluntas eius exprimitur, ad exequendum opus, ad quod subditos vocat Praeses, excitabit, uti campane ad Ecclesiam, ad Refectorium, et alio. Ut igitur sonum audient, omnes alias etsi coeptas, occupationes relinquent, ac in loco assignato comparebunt, exceptis illis, quibus sub idem tempus aliae occupationes imperio Praesidis exequendae erunt. Quodsi quis non solum ad Ecclesiam orandi, sed nec ad Refectorium quidem reficiendi corporis causa suo tempore non venerit, ieiunabit ad certam horam alterius diei.

[Reg. brev. 136 T. II p. 652; Poen. n. 34 p. 757].

IX.

Ad profectum in Spiritu, vitamque piam, necessum est Fratribus, ut conferant cum Praeside, et cum ijs quos ipse huic rei destinaverit, Eorum consilio utantur, eisque arcana quaeque cordis patefaciant, nil celantes, hoc est propensiones ad bonum, malumve, inspirationes in bonum, cogitationes, ac tentamenta, si quae accident in malum. De profectu quisque suo in perfectione Religiosa sollicitus esse debet, nec de suo duntaxat, sed de reliquorum quoque Fratrum. Unde si qua in re eos contra legem Dei, aut Regulas, consuetudinesque vitae Religiosae delinquentes advertat. Praesidi, aut destinato ab eo significabit, quod ni faciat, Fraterque qui curari potuit in malo inveterascat, incuratusque fiat, lapsus eius reus fiet.

[Reg. fus. 26 T. II p. 518; Sermo asc. 5us n. 2 p. 453-4; Poen. n. 40 p. 757].

X.

Nullum vitium parvi pendent Fratres, quodsi aliquid committatur, diligenter per poenitentiam resarcient. Praeses item pro qualibet culpa

poenam Fratribus infliget, diversam pro diversitate culpa, imitans peritos medicos, qui contrarios morbos contrarijs curant medicamentis; eodem modo Praeses quoque superbiam admotione ad opus vile, inanes sermocinationes silentio, somnolentiam vigilia, desidiam Spiritus oratione, corporis ignaviam opere duriore, ingluviem ieiunij, murmur seiunctione ad tempus a consuetudine aliorum Fratrum aliasque consuetudines pravas ac animi aegritudines alijs emendabit medicamentis.

[Reg. fus. 51 T. II p. 554-5; Reg. brev. 4-106 p. 583-638].

XI.

Hi vero, quibus poena inflictata fuerit, ne putent id ab odio erga eos Praesidis, sed potius ab amore proficisci. Quapropter grato etiam animo acceptabunt, atque cum hilaritate subibunt tanquam salubrem, eorumque animis conducentem rem. Demum excitabunt animum, propositumque facient corrigendi id, pro quo poenas luunt. Considerent laborantes morbis corporis, quos etiamsi medici secunt, urant, amarum pharmacis potent cibentque, ac multum insipida sensui praeter ista propinent, tamen alacres acceptant, medicisque eiusmodi gratiam deinde debent.

[Reg. fus. n. 52 T. II p. 555; Reg. brev. 158 p. 662-3].

XII.

Non Praesidi tantum, verum etiam ijs, qui vices eius implent, eiusdem modi obedientiam praestabunt Fratres; sed pariter Officialibus ad diversa Monasterij obeunda munia destinatis in ijs, quae munus eorum respiciunt, parebunt; uti Ecclesiarchae in rebus ad bonum ordinem ecclesiasticum spectantibus, Scholasticis in rebus literas concernentibus, Oeconomo in domesticis, alijsque qui potestate a Praeside collata alios Fratres dirigunt; qua in re illud attendendum est, ne respiciatur quis sit is, cui obeditur, sed quis est ille propter quem obeditur.

[Reg. fus. 45 T. II p. 548-550].

XIII.

Quilibet magno conatu id curet, ut ex toto, et non ex parte aliqua tantum sese permittat Praesidi, quoad omnem eius de se ordinationem, sive de rebus faciendis, sive de loco, ubi habitandum sit, in omnibus ita existimans, quod per Praesidem Deus ipse, cuius locum hic occupat, disponat.

[Reg. fus. 41 T. II p. 541-2].

RATIO COMMUNIS VITAE.

I.

Ad Religionem nostram seu Fratrum communitatem nemo admittendus est, nisi id impense postulet, post postulationem vero Praeses cum aliquot primoribus Patribus, diligenter considerabit, an dignus sit, qui admittatur; admissus autem, annum in Probatione exiget; deinde si Praesidi, alijsque ad id destinatis Patribus visum fuerit, ad vota admittetur,

vel retardabitur, quousque necessum, expediensve fuerit; ipse tamen ex sua parte mox post annum peractum paratum se praestabit.

[Reg. fus. 10-11-12 T. II p. 491-494; Reg. brev. 97 p. 634].

II.

Habitatio Religiosa remota sit ab habitatione hominum saecularium, ut neque nos cum ijs, neque ipsi nobiscum commorentur. Ad haec, ne sibi in solitudine habitationem eligat Religiosus, sed in communitate multorum Fratrum ad minimum vero decem, communia cum ipsis habens omnia, tum quae ad Spiritum quam quae ad Corpus pertinent, sub eodem Praeside.

[Sermo asc. 4-us n. 4 T. II p. 450; Reg. fus. 7 p. 481-485].

III.

Quale est munus, nexusque mutuus membrorum eiusdem Corporis inter se, talis convictio debet esse inter Fratres Communitatem incolentes: quilibet suum opus peragat, in alterius vero non se ingerat. Commune bonum quivis ex sua parte curabit pro viribus; Omnes, quod noxium sit toti corpori aut commembro cuiuspiam, abigant. Si bene succedat uni, laetentur omnes; si vero adversum quid accidat uni, omnes tristentur, opemque quilibet pro suo virili, ac auxilium ferre contendat.

[Serm. asc. 5-us n. 2 T. II p. 453; Reg. fus. 7 p. 481; 48 p. 552].

[Serm. asc. 5-us n. 1 T. II p. 453].

IV.

Ira, recordatio offensae, contentiones ne sint inter Fratres, ne dum re, verum neque indicio; et quamvis aliquis irascatur, vel contentiones excitet tanquam provocatus et offensus ab alio, apud Deum eiusmodi causatio locum non habet. Detractores, et ij, qui audiunt detractiones, non sunt ferendi inter nos. Et quidquid charitatem mutuam dissolvat, id omne evitabunt Fratres. Quod Fratri meo scandalo sit, id non faciam, siquidem id opus in mea potestate est, hoc est, ut quemadmodum illud facere absque noxa, ita pariter absque noxa intermittere possim. Si quis facto scandalizet, aut verbo legem transgrediatur exemproque suo alios ad transgrediendam legem inducat, aut etiam impedimento sit alteri ad implendam legem, aut opere, etsi ex se non malo, imbecillioribus ansam transgressionis legis praebeat, is diligenter vitandus est. Accidere quoque solet scandalum, cuius nemo causa, aut occasio sit, nisi is qui scandalizatur, ut si quis scandalizetur, quod ego legem Dei adimpleam; eiusmodi vero scandalum curandum non est.

[Poen. n. 46 T. II p. 757-8; Reg. brev. 64 p. 615].

V.

Singularitas in Communi vita est magnum contagium; quare evitabunt eam Fratres. Constitit autem in eo, si Fratrum quispiam velit quid sibi singulare in esu, potu, vestitu, strato munijs Monasterij, aliisque studijs, aut si velit liber esse a quapiam re, a qua alij liberi non sunt, excepto, si cui Praeses permittat, id quod absque iusta gravique causa, non faciet.

[Reg. brev. 131 T. II p. 650].

VI.

Honore alter alterum prosequetur, verbo factoque contendens quisque id, ut ne verbulo contristet Fratrem; Si quis vero contristet, redire cum eo in gratiam debet; Si vero id neglexerit, indignum se praestabit consuetudine aliorum; alter vero id ignoscat, timeat a Iudicio, quale accidit illi, qui decem millium talentorum remissionem consecutus a suo Hero, conservo suo, qui ipsi centum debebat denarios, tantillas dum restitueret, negavit inducias.

[Reg. brev. 41-42 T. II p. 603; Poen. 30-38 p. 756-7].

VII.

Sacerdotibus maior exhibenda est reverentia a Fratribus, quos ipsi, Patres vocabunt; majorem autem illis, qui principaliores sunt, plusque laborant in communi spiritualiter opere, docendoque alios, quod non est singularitatem inducere, sed bonum Ordinem curare iuxta doctrinam Apostoli (1 ad Timot. V, 17): Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina. Quodsi quis Fratrum ea re offendatur, audiat illa verba (Mat. XX, 15): An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.

VIII.

Si quis sermo sit inter Fratres, ut unus alteram, contrariam alter tueatur partem, super hoc non concertandum contesiosè, ne charitas laedatur, sed vel supersedendum ab eiusmodi sermone, vel si res exigat, permittent se sententiae Praesidis.

[Poen. n. 32 T. II p. 756-7].

IX.

Quamvis Officium Oeconomi aut Celarij, aliaque id genus officia Monasterij penes unum esse possint usque ad eius obitum, si ipsum Praeses aptum esse censeat, tamen alia Ministeria domestica, uti Trapezacomii, Lectoris ad mensam, aliaque similia, obibunt singuli ex ordine per vices, hebdomadatim, sive aliter, prout Praeses statuerit. Ut autem quivis sciat de suo munio, scribetur in charta Ordo a Praeside, affigeturque in loco consueto, ubi omnes legere possint. Charitas quoque fraterna poscit, ut alter alterum adiuvet, quemadmodum facere solent famuli in prastaendis ministerijs erga heros suos; quod tamen cum venia Praesidis fiet.

[Reg. brev. 104-156 T. II p. 638-661; Serm. asc. 4-us n. 5 p. 450-1].

X.

Cum ministramus Fratribus, ea id voluntate praestandum est, ac si Christo ministraremus, ut intelligant Fratres, quod ex charitate ministramus: cum autem Fratres nobis ministrant, eo animo eorum ministerium acceptandum est, veluti Petrus Christi. Charitas inter Fratres talis sit, qualem nos edocuit Christus (Jo. XV, 12): Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos; majorem hac dilectione nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

[Reg. br. 160-161-162 T. II p. 659-660].

XI.

Verbum nostrum esto: Est, est, non; iuramento nihil affirmandum. Aspectus, auditus, sermo, responsio temperabuntur utilitate et fructu spirituali. Ausculta sermonem spirituales, a saecularibus diverté aures, a contentionibus aut sermonibus, quibus quocunque modo charitas laedi possit, diligenter cavendum itemque a iocis, qui offendant; nec praecipitandum prius sermo, antequam eum maior aetate, aut scientia ordiatur; cum vero aliqua de re loqui inceperint, vox in sermone accipiet a necessitate, cum remotioribus erit intensior, cum propinquis remissior: generatim autem loquendo clamositas a voce abesse debet, tam in sermonibus, quam in consilijs nostris.

[Reg. br. 151 T. II p. 659; Serm. asc. 5-us n. 2 p. 454-5; 2-dus n. 8 p. 291; Poen. n. 5 p. 754].

XII.

Silentium magna diligentia colendum est a Fratribus, praesertim in Ecclesia, in Refectorio et in cubiculis. In cubiculo vero, si quid contingat loqui, ita loquendum, ne in altera cella, aut prae foribus, id quod dicitur, audiatur. A Completorio ad Primam usque horam nil prorsus loquendum, etsi quid etiam necessarium fuerit, nisi in aliud opportunius differri tempus non possit; tum vero non vocali sono, sed submisso susurro, brevibusque verbis res expedienda.

[Reg. fus. 13 T. II p. 495; Reg. brev. 173 p. 671].

XIII.

Sermoni, quem Religiosus ubicunque conferet, haec lex esto, nil loquetur, quod citra fructum spiritualem sit: Cum hominibus saecularibus quam circumspectissime loquetur, ut non tantum a verbis absit, quo scandalizetur, sed potius aedificetur. Si quis vero de mala quapiam consuetudine frequenter monitus, non tantum non se emendet, sed praeterea monitione offendatur, resecandus est a caetu Fratrum, iuxta illud (Mat. XVIII, 9): Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in genennam ignis.

[Serm. asc. 5 n. 2 T. II p. 453-455].

XIV.

Puritatem animi diligenter curabunt Fratres, non lethales dumtaxat noxas, sed veniales quoque vitando, quam ob rem semel saltem singulis hebdomadis confitebuntur destinato a Praeside confessario, itemque Corpori Christi die quolibet Dominico communicabunt, quod idem praestabunt alijs quoque diebus solemnium Festorum, praesertim Despotieorum, seu Christi Domini.

XV.

Omnes destinatum tempus examini conscientiae, ituri cubitum horae quadrantem, mane autem quovis orationi mentali dimidium horae, deinde lectioni piorum librorum quadrantem quotidie omni cum dili-

gentia impendent, concioni etiam adsint cum in Ecclesia nostra peragitur; omnia haec cum fructu animae praestando.

[Reg. fus. 37 n. 5 T. II p. 537; Sermo asc. 2 n. 10 p. 294;
Serm. asc. 4-us n. 4 p. 449-50].

XVI.

In refectioe corporis, danda opera est, ut temperantia modestiaque intus et extra servetur; benedictionem mensae, gratiarumque post mensam actionem, omnes debita cum devotione, et reverentia agent: tempore autem quo reficitur corpus, animae etiam lectione piorum librorum suis exhibendus est cibus.

[Reg. brev. 180 T. II p. 676].

XVII.

E traditione Sanctorum Patrum, refert relaxare se a consuetis occupationibus ad breve tempus, ut ad easdem aptiores deinde efficiamur. Quare nos etiam qualibet die horam a prandio, a caena vero ijs diebus, quibus caena sumitur, horae dimidium colloquijs bonis pijsque quibus omnes interesse oportet, impendemus. Congressibus eiusmodi semper aderit, si non ipse Praeses, saltem quispiam primorum Patrum, attendetque, ut colloquia Fratrum, animo sint proficua, nec mentem implicent, sed potius exhilarent, ioci honesti modestique risus permittuntur in eiusmodi locis, inter Fratres; Disputationes qualescumque fugiendae; sermone ibi, qui ab omnibus intelligatur, utendum est. Ijs vero diebus, quibus caena non apponitur, convenient non relaxandi causa animi, sed praelegendae meditationis diei crastinae.

[Serm. asc. 2-us n. 8 T. II p. 291].

XVIII.

Exitui domo, nomina sua in tabula signabunt, ac Janitori dicent quo vadant, antequam noctem tempestive domum redeant.

XIX.

Fratribus aegrotantibus, in eorum morbis omne ministerium ex charitate a Fratribus praestabitur. Prima cura erit animae per Sacram exomologesim, et Communionem Eucharisticam Corporis Christi ac Orationem. Secunda cura erit valetudinis corporis, procuratioque medicorum ac medicinarum, non parcendo sumptui pro eo. Medici quidquid aegroti necessarium esse iudicaverint, cui attendendo, designabit Praeses aliquem ex Fratribus ab id idoneum, et in charitate ferventem. Praeterea ipse quoque subinde inviset aegrotum solatij ergo, aliosque Fratres mitabit; esculentorum pro eis singularior erit cura, qua de re, consulentur medici, qui quidquid dandum praescribent eis, detur.

[Reg. fus. 19 T. II p. 506-507; n. 55 p. 557-562].

XX.

Praesides Monasteriorum in id incumbent, ut in quolibet Monasterio sit cella pro aegrotis seu nosocomium, in eoque lecti et strata supel-

lexque, domestica seperata, non tantum necessitati, sed solatio quoque aegroti serviens; quod totum curae Nosocomi suberit; ad id nosocomium aut cellam aegrotantium, Fratrer, ut primum corripietur morbo, deducetur, ad summum tertia, ab incepto morbo, die; illique morabitur, dum convalescat.

[Reg. brev. 286 T. II p. 737].

XXI.

Ut primum senserit in se morbum, Frater Praesidi, aut Nosocomo significabit, comparabitque se ad acceptandum grato animo e manu Dei. Item solidabit in seria patientia, ut si penuria etiam, aut incommodatis quaeapam a Fratribus in eorum Ministerio subeunda sit, ferat, sustinentiamque verbis Religiosis ostendet, significans totum se e manu Domini, alacri animo acceptare cumque pauperiem Christi adamarit, acquam esse intelligat, ut ne ea commoda, quae opulenti quique exigunt, requirat.

[Reg. fus. T. II p. 557-562].

XXII.

Omnes hasce Regulas apud se habebunt Fratres easque semel in mensem relegentes, aut legi in Refectorio audientes, memoria, quo facilius eas adimpleant, repetent. Honori, Gloriamque Dei Unius in Triadae, Nostroque profectui in Spiritu.

AMEN.

p. Joanikij OSBM
Roma, 19.02.2021

« ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. »

- Vol. I.** Fasc. 1: « Analecta Ordinis S. Basilii M. » Romae 1949, p. 208. Pretium fasc. 2 § = 900 Lit.
- Vol. I.** Fasc. 1 (Additamentum): « Index Analectorum OSBM » Series I-a, vol. I-VI, Romae 1949, p. 26. Pretium « Indicis »... 20 cent. = 90 Lit.

Ex Sectione « DOCUMENTA ... ex ARCHIVIS ROMANIS »

- Vol. I.** Acta et Documenta Metropoliam Kioviensem eiusque Antistites concernentia (Archivia S. C. Consistorialis, Datariae, etc.) (praeparantur pro secunda medietate anni 1949).
- Vol. II.** Litterae et scripta Metrop. Hypatii Potij (1600-1613).
- Vol. III.** Litterae et scripta Metrop. Velamin Rutski (1613-1637 (praeparatur)).
- Vol. IV.** Litterae et scripta Metrop. Raphaëlis Korsak (1637-1640) et Antonii Sielava (1641-1655) (praeparatur).
- Vol. V.** Litterae Episcoporum Ruthenorum, periodo 1600-1655.
- Vol. VI.** Alia scripta personarum spiritualium de rebus Ecclesiae Unitae (1600-1655):
fasc. 1, 2, Litterae Nuntii Apostolici Varsaviensis;
fasc. 3, Litterae monachorum;
fasc. 4, Litterae aliorum spiritualium;
- Vol. VII.** Scripta personarum saecularium de rebus Ecclesiae Unitae, periodo 1600-1655:
fasc. 1, 2, Regum Poloniae et Magnum Ducum Lithuaniae;
fasc. 3, Magnatum et Senatorum Regni;
fasc. 4, Aliorum virorum saecularium;
- Vol. VIII.** Acta S. Congr. de Propaganda Fide, periodo: 1622-1655.
- Vol. IX.** Litterae S. C. de Propaganda Fide de rebus Eccl. Unitae: 1622-1655.
- Vol. X.** Decreta S. C. de Prop. Fide in materia Eccl. Unitae, periodo ann. 1622-1655;
- Vol. XI.** Litterae Secretariatus Status de rebus Eccl. Unitae, periodo ann. 1600-1655;
- Vol. XII.** Bullae et Brevia Pontificia (1600-1655), concernentia Ecclesiam Unitam;
- Vol. XIII.** Documenta S. C. Rituum in causa Beatificationis Martyris Josephat Kuncewycz (1623-1643);
Omnia supra adducta inveniuntur hodie in variis stadiis praeparationis. Prima volumina apparebunt iam hoc anno 1949, Deo benedicente.
Nemo rebus historiae Ecclesiasticae studens est, qui valorem talis editionis non videret, praeserim Sectionis Tertiae. Inde valde suadendum omni, ut iam hodie Redactionem « Analectorum » certiore faciet, ut ei suo tempore volumina supramemorata mitterentur, nam editio solummodo in numero limitato exemplarium prodibit.